WITHDRAWN

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ

SEU

COMMENTARIA

IN SUMMAM THEOLOGICAM D. THOMÆ

DE INCARNATIONE
VERBI

(III, QQ. I-LIX)

AUCTORE

ALOISIO-ADULPHO PAQUET

PROTONOTARIO APOSTOLICO

REGIÆ ACADEMIÆ CANADENSIS ET ACADEMIÆ ROMANÆ

S. THOMÆ SOCIO

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFESSORE IN UNIVERSITATE

LAVALLENSI

EX LIBRIS PROVINCIÆ
PRO STUDIO [illegible]
S.S. CORDIS JESU

EDITIO TERTIA

OPUS
PONTIFICII BREVIS LAUDE
ILLUSTRATUM

208.877
P219d
v.4

QUEBECI
Ex typis Actionis Socialis

1922

Nihil obstat.

J.-E. GRANDBOIS, pter
Censor.

Quebeci
die 10a jun. 1921.

Imprimatur.

F. PELLETIER, P.A.
Sup. Sem. Queb.

Quebeci
die 11a jun. 1921.

Imprimatur.

L.-N. Card. BÉGIN
Arch. Quebec.

Quebeci
die 4a Aug. 1921.

Auctor sibi reservat jus proprietatis.

PRÆFATIO

Primam commentariorum nostrorum in *Summam theologicam* seriem, in qua de Deo secundum se, de processu creaturarum ab Ipso, deque creaturæ rationalis motu seu reditu in Ipsum per gratiam peccati reparatricem agendum erat, tribus editis voluminibus explevimus. Altera nunc series ejusdem operis perficienda suscipitur, ubi disputandum venit de ipso Reparatore nostro Jesu Christo, necnon de gratiæ fontibus quos hominibus in sacramentis aperuit et quibus fideles finem æternæ vitæ sibi comparare valeant.

Porro mysterium Christi seu *Verbi Incarnatio*, circa quam præsens lucubratio versabitur, inter divina opera præcipuum gradum tenet et « maxime rationem excedit : nihil enim mirabilius excogitari potest divinitus factum quam quod verus Deus Dei Filius fieret homo verus[1] »; undè *D. Thomas* opus illud pronuntiare non dubitat « miraculum omnium miraculorum[2] ».— Certe tanta hæc tamque stupenda divini Portenti magnitudo nos ab arripiendo calamo deterreret, nisi ad scribendum invitaret præfulgens Scholasticorum doctrina, præsertim vero excellentis-

1 — Cont. Gent. l. IV, c. 27.
2 — 3 Sent. D. III, Q. II, a. 2.

simi illius Magistri sapientia, quem Ducem tutissimum elegimus, et de quo Christus ipse perhibuisse fertur incomparabile testimonium : *Bene scripsisti de me, Thoma*[1].— Alioqui, nihil prope est ad speculandum nobilius, nihil ad cognoscendum suavius, nihil ad meditandum utilius quam mysterium dominicæ Incarnationis. Qua de causa effabatur *D. Paulus* (1 Cor. II, 2) : *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* Et *S. Bernardus* (Serm. 44 in Cant.) : « Sublimior philosophia est scire Jesum ».

Tractatio, quam nunc juxta usitatum nobis morem aggredimur, quæque *Tertiam Summæ Partem* a Quæst. 1a ad LIXam usque persequitur, ab Auctore dividitur in duas partes, quarum prior *stricte dogmatica* peragit de mysterio Incarnationis (QQ. I-XXVI), posterior vero *dogmatico-historica* de mysteriis vitæ Verbi Incarnati (QQ. XXVII-LIX) : eumdem ordinem servabimus.— In prima parte, dicemus de *convenientia* Incarnationis (Disp. I), de *modo* Unionis seu assumptionis naturæ humanæ a Verbo (Disp. II), de *coassumptis* perfectionibus et defectibus (Disp. III), de *consequentibus* Unionem, sive *absolute* (Disp. IV), sive *relative* (Disp. V.) — In secunda parte, post exactam præviam de Matre Christi dissertationem quam *Marialogiam* vocant (Disp. VI), agemus de *ingressu* Christi in mundum (Disp. VII), de *progressu* vitæ ejus in mundo (Disp. VIII), de *exitu* ipsius ab hoc mundo (Disp. IX), tandem de ejus *triumpho* cœlestique gloria (Disp. X).

[1] — Testimonium hoc refert *Leo XIII* in Litt. Apost. *Nostra ergo* ad Ministrum generalem Ord. FF. Minorum missis (1898).

PARS PRIMA

DE MYSTERIO INCARNATIONIS

PROŒMIUM

Consuetudini morem gerentes, nonnulla breviter præmittemus circa nomen, possibilitatem et existentiam Incarnationis, itemque circa errores de ea exortos.

I. Nomen Incarnationis.—Nomen istud, quo intelligitur *unio naturae humanae cum divina in una Verbi persona*, desumptum videtur ex Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est.* Quamvis autem sancti Patres interdum alias voces adhibuerint, puta inhumanationem (Joan. Damascenus), corporationem (Hilarius), frequentius tamen *incarnationis* appellatio recurrit : cujus rei rationes assignant[1], 1° quia sæpe in Scriptura totus homo nomine carnis significatur, v. g. (Luc. III, 6) : *Videbit omnis caro salutare Dei ;* 2° quia caro, sub sensibus cadens, aptior est ad exprimendum hocce mysterium quo Deus factus est visibilis ; 3° quia manifestius commendatur Dei bonitas et humilitas qui quod remotissimum erat a Divinitate assumpsit, nec abjectionem et infirmitatem nostram, carnis significatione contentam, despexit.

II. Possibilitas Incarnationis. — Tria observanda sunt. Et 1° negat nemo possibilitatem Incarnationis *solo naturali creatae mentis lumine demonstrari non posse*, juxta illud *Conc. Toletani XI :* " Si ratione ostendi posset, non esset mirabile ; si exemplo, non esset singulare.» Sane, demonstratio, si quæ dari posset possibilitatis tanti mysterii, quo divina natura cum humana hypostatice conjungitur, supponeret exploratam utriusque naturæ quidditatem. Atqui neque homo,

[1] — Cf. *Sum. theol.*, III, Q. V, a. 3 ad 1.

neque Angelus perspectam naturaliter habet quidditatem divini esse intimamque divinarum Personarum indolem. Ergo.

2° Tamen possibilitas illa, præterquam quod facto ipso Incarnationis fidelibus certo innotescit, *infidelibus suaderi valet* duplici ratione, scil. tum negative, tum positive. *a) Negative* quidem ; quatenus solubilia sunt omnia argumenta quæ contra mysterium Unionis proponi possunt : verum namque vero contradicere non potest. *b) Positive* etiam ; quatenus præsto sunt rationes probabiles vel exempla quæ Incarnationem possibilem esse aliqualiter ostendant. Hujusmodi est *exemplum insertionis* a *S. Thoma* adductum (3 S. D. I, Q. I, a. 1) : « Incarnatio insertioni compæratur : sicut enim in insertione in eodem trunco in quo erat unus ramus per naturam, fit ramus alius per insertionem, ita in eadem persona in qua naturaliter erat divina natura, est per unionem humana natura ».

3° *S. Thomas*, qui in 3 lib. Sent. (*l. cit.*) specialem articulum de possibilitate Incarnationis instituerat, hic tamen in *Summa* eamdem quæstionem omisit : quo motivo, ipse non declarat ; verum ratio esse videtur, tum quia convenientia, de qua late disserit, possibilitatem subaudit, tum quia occurrendo objectionibus mysterii naturam impetentibus se satis pro possibilitate fecisse æstimavit.[1]

III. Existentia Incarnationis.—Quia omnis scientia supponit suum subjectum vel per se notum vel alio ex fonte acceptum, mirandum non est quod Doctor Angelicus nihil de facto ipso Incarnationis in præsenti tractatu præmiserit.

1° Enim vero Messialogia, quæ ad *Theologiam Fundamentalem* dogmaticam pertinet, pro munere habet ostendere Messiam a Prophetis prænuntiatum et a Judæis exspectatum reapse advenisse ; hunc autem, prouti vaticinia multaque signa miraculosa demonstrant, esse Jesum Nazarenum, Christianæ religionis et Ecclesiæ institutorem.[2] Porro pleraque illa, quibus divinitas missionis Christi probatur, probant etiam personalem ejus divinitatem ideoque Incarnationis unionem.

2° Tota fere *Scriptura* N. T. (præsertim textus qui afferri solent in tract. de *Trinitate* ad demonstrandam divinitatem Verbi), historiæ cum evangelicæ tum ecclesiasticæ documenta eamdem veritatem multiplici argumentorum genere confir-

[1] — Objectiones contra assertam Incarnationis possibilitatem solutas habes penes Auctorem (3 Sent. *l. cit.*) penesque Thomistas, ut Gonet, Biluart, etc.

[2] — De hac re cfr. cl. Alex. M. Lépicier, *Tract. de Incarn. Verbi ;* ubi (pp. 56-90) Commentariis in *Summam* D. Thomae specialem annectit dissertationem de Incarnationis existentia.

mant. Præcipua summatim complexus est *D. Thomas* scribens (C. G. IV, 27) : « Hanc Dei incarnationem mirabilem, auctoritate divina tradente, confitemur. *a*) Dicitur enim : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. I, 14) : et Apostolus dicit, de Filio Dei loquens : *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo ; sed semetipsum exinanivit*, etc. (Phil. II, 6, 7). *b*) Hoc etiam ipsius *D. J. C. verba* manifeste ostendunt, quum de se quandoque loquatur humilia et humana, ut est illud : *Pater major me est* (Joan. XIV, 28), et : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (Matth. XXVI, 38), quæ ei secundum humanitatem assumptam conveniunt ; quandoque vero sublimia et divina, ut est illud : *Ego et Pater unum sumus* (Joan. X, 30), et : *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt* (Joan. XVI, 15), quæ certum est ei secundum naturam divinam competere. *c*) Ostendunt etiam hoc ipsius Domini *facta* quæ de ipso leguntur. Quod enim timuit, tristatus est, esuriit, mortuus est, pertinet ad humanam naturam ; quod propria potestate infirmos sanavit, quod mortuos suscitavit et elementis mundi efficaciter imperavit, quod dæmones expulit, quod peccata dimisit, quod a mortuis quum voluit resurrexit, quod denique cælos ascendit, divinam in eo virtutem demonstrant.» — Hæc modo sufficiunt ad fidem de Incarnatione adstruendam. Verum infra (Disp. II, Q. I) specialibus argumentis *divinitatem Christi* contra adversarios vindicabimus.

IV. Errorum summa. — In controversiis Christologicis, mysterii Incarnationis hostes aut ejus *existentiam* impugnant, aut ejus *naturam* adulterant : unde in duas classes secernendi sunt.

1ª *classis* adversariorum comprehendit *Judaeos* qui negarunt ac negant Messiam divinitus promissum advenisse ; — *Gentiles* et *infideles* despicientes lucem veram, *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. I, 9) ; — *Incredulos* inficiantes realitatem vel historicitatem Christi ; — *Agnosticos* scepticismo cuidam religioso addictos nihilque sollicitos de supernarum rerum veritate.

2ª *classis* adversariorum ulterius dispesci potest in tria genera[1], prouti error versetur vel circa divinitatem Christi, vel circa ejus humanitatem, vel circa utriusque naturæ unionem.

1° Circa *divinitatem* Christi errarunt *Cerinthus* et *Ebion*, *Paulus Samosatenus*, *Photinus* aliique veteres qui in Christo solum naturam humanam confitebantur, divinam vero excellenter participatam et meritis acquisitam in eo fuisse confin-

[1] — *S. Thom.* in cap. 1 Matth.

gebant[1].— Hanc hæresim jamdiu protritam renovarunt *Sociniani* (sæc. XVI), quos nunc deteriori impietatis pervicacia *Rationalistae* omnigeni et *Protestantes*, ut aiunt, *heterodoxi*[2] sequuntur : ex istorum enim sensu Christus (si quem admittant) purus est homo, etsi valde sapiens riteque comparandus cum celebratioribus viris qui olim sive philosophiæ cultu, sive novis religionis institutis præstiterunt. Ita *Baur*, *Richter*, *Renan*, *Harnack*, etc.— Eis nuper conniventes et auxiliantes se præbuerunt *Loisy* ejusque sequaces, asserentes Christi divinitatem haud posse ex Evangeliis historica certitudine colligi, sed dogma hoc Christiana conscientia efformatum fuisse (prop. 31).[3]

2° Circa *humanitatem* Christi referuntur errores *Manichæorum* docentium Filium Dei non verum corpus, sed phantasticum assumpsisse ; — *Valentini* ponentis corpus verum, sed de cœlo asportatum ; — *Apollinaris* eo usque desipientis ut contenderet Verbum conversum fuisse in carnem ; — *Arii* vero aliorumque subducentium animam de humanitate assumpta, quasi Verbum solam carnem assumpsisset.[4]

3° Circa ipsam *Incarnationis unionem* duo sunt extremi et capitales errores, scil. *Nestorianismus* et *Eutychianismus*.[5]— *a*) *Nestorius*, post *Theodorum Mopsuestenum*, dogmatizavit in Christo duas esse personas, quarum una divina et Filius Dei, altera autem humana.— *b*) *Eutyches*, volens Nestorium confutare, in oppositam incidit hæresim ponendo Christi personam *ex* duabus naturis esse, non tamen *in* duabus naturis subsistere, sed naturam divinam et humanam in unam coivisse. Ab Eutychianismo[6] non longe distant *Lutherani* dicentes attributa Divinitatis, in specie ubiquitatem[7], communicari in Christo humanitati ; nec minus aberrant *Pantheistae moderni* qui cum *Schleirmacher* Christum quemdam fabricant unius naturæ humano-divinæ, in qua relucere contendunt idealem humanitatis perfectionem una cum anthropologica Divinitatis forma.

[1] — C. G. l. IV, c. 28.

[2] — Sic vocant eos Protestantes hodiernos qui, relicto primævo protestantismo, in *rationalismum* declinant.

[3] — Cf. propositiones modernisticas a Sancto Officio damnatas, nn. XXVII-XXXVIII (in nostro opere *Etudes et Appréciations. Fragments apologétiques*, 1917).

[4] — C. G. IV, 29-33.

[5] — *Ibid.* cc. 34-36.

[6] — Supersunt adhuc in Oriente propagines Nestorii et Eutychetis.

[7] — Lutheranis hac in re obstiterunt Calvinistæ ; — cf. P. Schaff, *The creeds of Christendom*, ed. 4, Vol. I, pp. 285 sqq.

Locus est repetendi verba *Leonis M.* (ad Flavianum, cap. I) : « Ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuere[1].»

[1] — De historia hæresium circa Incarnationem, cfr. in primis Petavium, *de Inc. Verbi*, l. I.

DISPUTATIO PRIMA

QUÆSTIO UNICA

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS

« Si quis, ait *S. Thomas* (C. G. IV, 54), diligenter et pie Incarnationis mysteria consideret, inveniet tantam sapientiæ profunditatem quod omnem humanam cognitionem excedat, secundum illud Ap. (1 Cor. I, 25) : *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Unde fit ut pie consideranti semper magis ac magis admirabiles rationes hujus mysterii manifestentur.»

Tripliciter potest convenientia Incarnationis investigari : *absolute* maximeque ex parte Dei (art. 1), relate ad *finem* seu ex parte hominis lapsi (art. 2-4), et relate ad *tempus* (art. 5-6). — Ex parte vero hominis Incarnatio considerationi objicitur vel sub respectu *utilitatis* ad peccatum reparandum (art. 2), vel sub ratione *connexionis* cum peccato reparando (art. 3), vel secundum *determinationem peccati* principaliter reparandi (art. 4).— Demum, quia temporis est initium, medium et finis, convenientia Incarnationis in plenitudine temporum implendæ ita demonstrari debet ut excludatur eadem congruentia ab initio (art. 5) et fine mundi (art. 6).

ARTICULUS I.

Utrum conveniens fuerit Deum incarnari.

Convenientia hic sumitur non pro exigentia nel necessitate ejus cujus carentia sit inconveniens, sed pro decentia vel competentia quadam, adeo ut nec incongruum fuisset Deum non incarnari.— Decentia autem illa demonstranda assumitur ex *propriis* Dei per respectum ad creaturam *absolute* inspectam.

Conclusio.— CONVENIENS, IMO CONVENIENTISSIMUM FUIT DEUM INCARNARI.

Prob. 1° ex *attributis Dei.*— Maxime conveniens videtur ut per visibilia invisibilia Dei patefiant, secundum sententiam Apostoli (Rom. I, 20). Atqui per mysterium Incarnationis præcipua Dei attributa, scil. sapientia, caritas et misericordia, justitia potentiaque mirifice patescunt[1]: ergo.— *a*) *Sapientia* quidem, in quantum Deus (ut ait Damascenus, l. III Orth. Fid. c. 1) « invenit difficillimi pretii decentissimam solutionem,» concilians scil. vindicationem justitiæ cum benignitate clementiæ, juxta illud (Ps. LXXXIV, 14) : *Justitia et pax osculatae sunt.*— *b*) *Caritas* et *misericordia*, « quoniam non despexit proprii plasmatis infirmitatem » (Damasc. *ibid.*), Unde dicitur (Eph. II, 4-5) : *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.*— *c*) *Justitia* quoque, « quoniam, homine victo, non alio quam homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem » (Damasc. *ibid.*), sed per liberam Dei-hominis substitutionem *quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae* (Rom. III, 25).— *d*) Demum *potentia ;* nam « qui in forma Dei erat inclinans cœlos descendit... novorum omnium maxime novum, imo quod unum sub sole novum est infinitamque Dei potentiam declarat. Quid enim majus quam Deum hominem fieri ?» (Damasc. *ibid.*) Idcirco in Scripturis (Habacuc, III, 2) Incarnatio vocatur antonomastice *opus* Dei.

Prob. 2° ex *natura divina.*— Unicuique rei conveniens est illud quod ei competit secundum rationem propriæ naturæ, v. g. ratiocinari in homine. Atqui Incarnatio maxime congruit indoli naturæ divinæ : ergo. *Min. prob.* Cum natura Dei sit ipsa bonitas essentialiter et transcendentaliter sumpta, quidquid pertinet ad rationem boni simpliciter convenit Deo, sive ex necessitate naturæ, sive ex voluntatis arbitrio. Atqui pertinet ad rationem boni simpliciter ut se aliis communicet. Ergo Deo, qui est summum Bonum, convenit se summo modo creaturæ communicare. Jamvero summa ommium communicationum Dei ad extra est Incarnatio. Ergo Incarnatio convenientissima est. Ad declarationem argumenti tria subjicere juvabit. Et *primo* bonum est suî diffusivum, quatenus eo finaliter tendit ut alia in se trahat et veluti convertat. Id autem contingit per communicationem suî, in quantum ens in se bonum et perfectum natum est alia perficere

[1] — Cf. Gonet, *De Incarn.* Disp. III, a. 1.

et se in illis quodammodo multiplicare ; quæ quidem communicatio non necessario affert perfectionem intrinsecam communicanti, sed magis illis quibus bonum communicatur, unde etiam Bono infinito convenire potest.— *Secundo* cum *Cajetano* (in h. art.) observandum est tribus modis omnino diversis Deum se creaturæ communicare. *a*) Primus modus est *naturalis* ordinis, juxta quem res a Deo creatæ et conservatæ aliqualem ejus similitudinem participant, dum tamen supremus omnium Provisor extra et supra totum universum in suî ipsius fruitione solus consistit. *b*) Alter et excellentior modus *supernaturalis* est, quo Deus omnes intellectuales et rationales substantias elevat in consortium suæ naturæ, ita ut, inchoate quidem per *gratiam*, consummate vero per *gloriam*, eis communicet propriam suam felicitatem et seipsum in ordine intelligibili. *c*) Postremus modus, omnium excellentissimus, est per communicationem *personalem*, qua Deus (o mirabile dictu !) propriam personam, secundum subsistentiam quam in semetipso habet, creaturæ copulat in uno esse reali : hæc est unio Incarnationis.— *Tertio* assumendo naturam humanam corpore spirituque compositam, in qua veluti mundi synthesis continetur, non immerito Deus dicitur absolute se *creaturae* totique universo communicare. Huc referri possunt verba *S. Thomae* (Opusc. II, c. 201) : « Perficitur per hoc quodammodo totius operis divini universitas, dum homo, qui est ultimo creatus, circulo quodam in suum redit principium, ipsi rerum principio per opus Incarnationis unitus.»

Solv. obj.— Obj. 1.— Sic optimum et necessarium est Deum esse, sicut fuit ab æterno. Atqui ab æterno fuit absque carne. Ergo.

Resp. *D. M* :... Deum esse in se, sicut fuit ab æterno, *C ;* in creaturis, *N.*— *C. d. m* :... atque ideo non immutatur in se per assumptionem carnis, *C ;* nec convenit creaturam immutari per respectum ad Deum, *N.*— *Neg. conseq.*

1° Incarnationis mysterium non est impletum per hoc quod Deus sit aliquo modo a suo æternali statu remotus, sed per hoc quod novo modo se creaturæ univit, vel *potius eam sibi.*— 2° Cum creatura sit essentialiter mutabilis et perfectibilis, conveniens erat ut reapse mutaretur et in majus illud hypostaticæ unionis bonum elevaretur.

Obj. 2.— Quæ sunt in infinitum distantia, inconvenienter junguntur. Atqui Deus et caro in infinitum ab invicem distant. Ergo.

Resp. *D. M :...* consideratâ solâ distantiâ entitatis, *C ;* considerata etiam habitudine proportionalitatis et perfectibilitatis, *N.*— *C. d. m :...* entitative, *C ;* quin caro dicat ad Deum ordinem perfectibilitatis, *N.*— *Neg. conseq.*

Certe uniri Deo in unitate personæ non fuit conveniens carni humanæ *entitative* sumptæ et secundum conditionem suæ naturæ, quia hoc erat supra dignitatem ipsius. Attamen inspecto proportionis ordine, juxta quem creatura a Deo summe perfecto summe *perfectibilis* est, congruebat infinitæ excellentiæ Bonitatis divinæ ut sibi carnem pro salute humana conjungeret.

Obj. 3.— Sic distat corpus a summo spiritu, sicut malitia a summa bonitate. Atqui omnino inconveniens foret Deum, maxime bonum, malitiam assumere. Ergo.

Resp. *D. M :...* lato quodam sensu, *C ;* stricte et absolute, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Creaturarum *corporalium* et mutabilium conditio, qua tantopere a Creatore differunt, ab ipsa Dei sapientia instituta est et ad ejus bonitatem ordinata ; immo et malum *poenae* a divina justitia est introductum propter Dei gloriam. Sed malum *culpae* committitur per recessum ab arte divinæ sapientiæ et ab ordine divinæ bonitatis. Quapropter Deo conveniens esse potuit assumere naturam corpoream, mutabilem et pœnalitati subjectam, non tamen assumere malum culpæ.

Obj. 4.— Repugnat eum qui immensus est et omnium provisor, contineri in corpusculo. Atqui Deo competit immensitas naturæ, sicut et universalitas Providentiæ. Ergo.

Resp. *D. M :...* i. e. contrahere ad corpusculum immensitatem suæ naturæ et virtutis, *C ;...* uniri corpusculo secundum novum subsistentiæ et providentiæ effectum, salva tamen manente sua natura et quin magnitudo suæ virtutis ullas in angusto sentiat angustias, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.* (August. epist., 137 ad Volusianum)[1].

ARTICULUS II.

Utrum necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari.

Agitur de determinanda Incarnationis convenientia *ex parte hominis* et respectu humanæ *restaurationis.*— Porro non defuere, ut *S. Anselmus* aliique antiqui, quibus videretur Incarnationem fuisse necessariam ad reparandum humanum

[1] — Vid. plura in C. G. IV, 53-55.

genus.— Verum eorum verba intelligenda sunt sub luce distinctionis a *D. Thoma* traditæ, quatenus aliquid potest esse necessarium ad finem dupliciter : uno modo *absolute*, utpote sine quo finis attingi non possit, v. g. cibus respectu vitæ ; alio modo *secundum quid*, quia per illud melius et convenientius ad finem pervenitur, v. g. equus ad iter faciendum.— Hæc duo materiam præbent duarum conclusionum, in quarum posteriori breviter controversiam tangemus de *sufficientia satisfactionis* pro peccato.

Conclusio 1ª. — DEUM INCARNARI NON FUIT ABSOLUTE NECESSARIUM AD REPARATIONEM HUMANÆ NATURÆ.— Hæc est sententia *communis* et ita certa ut negari non possit sine temeritate (*Suarez*, de Incarn. Disp. IV).

Sane Deus liberrimus est atque potentissimus, efficere valens quidquid contradictionem non involvit. Poterat igitur humanam naturam multis aliis modis reparare, puta gratuito prorsus remittendo peccatum[1], vel aliqualem tantum satisfactionem ab homine exigendo, etc.— Unde *S. Thomas* (3 S. D. XX, Q. I, a. 4) : « Ex parte Dei fuit alius modus possibilis nostræ liberationis, quia ejus potentia limitata non est ; quem si elegisset, convenientissimus fuisset : non tamen habuisset rationem redemptionis sed liberationis, quia liberatio non fuisset facta per solutionem pretii.»

Conclusio 2ª. — INCARNATIO PERUTILIS ET VALDE CONVENIENS FUIT AD REPARANDAM HUMANAM NATURAM, SPECIATIM VERO AD SATISFACIENDUM PRO PECCATO.

1ª *Pars* innititur innumeris utilitatibus quæ ex mysterio Verbi Incarnati consecutæ sunt : decem proponit *S. Thomas* sequenti ordine digestas.

1° Quantum ad *promotionem hominis in bonum.*— *a*) Roboratur *fides*, tum ex parte divinæ veritatis in *Verbo* humanato veluti incarnatæ, tum ex parte motivi credendi, quatenus ipsi Deo sensibiliter loquenti creditur, juxta illud (Joan. I, 18) : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit ;* unde *Augustinus* (de Civ. Dei, l. XI, c. 2) : « Ut (homo) fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus Dei Filius, homine assumpto, non Deo consumpto, constituit atque fundavit fidem ».— *b*) Erigitur *spes* ex ostensione tantæ erga nos sollicitudinis divinæ ; unde idem *August.* (de Trin. l. XIII, c. 10) : « Quid tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram... quam ut demonstraretur nobis

[1] — Cf. *Sum. th.*, III, Q. XLVI, a. 2 ad 3.

(ineundo nostræ naturæ consortium) quanti nos penderet Deus quantumque diligeret?» — *c*) Inflammatur *caritas* ex manifestatione divinæ dilectionis per modum familiaris amicitiæ ; unde rursus *August.* (de Catech. rud. c. 4) : « Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat.» — *d*) Fovetur cultus *omnium virtutum* per documenta Christi verbo et exemplo firmata : nam « homo sequendus non erat, qui videri poterat ; Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini et qui videretur ab homine et quem homo sequeretur, Deus factus est homo » (*August.* Serm. de Nat. Dom., 22 de Temp.).— *e*) Tandem conjunctio humanæ naturæ in *esse* reali unitatis hypostaticæ præambula est et dispositiva ad plenam Dei participationem in ordine intelligibili per *actum* beatificæ visionis ; unde illud *August.* (Serm. de Nat. Dom., 13 de Temp.) : « Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus.»

2° Quantum ad *remotionem mali*, præteriti ac futuri.— *a*) Homo enim per tantam suî elevationem instruitur ne sibi *diabolum* præferat eumque venèretur peccati auctorem ; de quo *August.* (de Trin. l. XIII, c. 17) : « Quandoquidem sic Deo conjungi potuit humana natura ut ex duabus substantiis fieret una persona,... superbi illi maligni spiritus... non ideo se audeant homini præponere, quia non habent carnem ».— *b*) Præterea, edocti sublimem naturæ nostræ dignitatem, Christi voce avertimur ab ea *peccato* inquinanda ; quod eloquenter monet *S. Leo P.* (Serm. de Nativ. 1) : « Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam ; et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis et cujus corporis sis membrum ».— *c*) Per hoc quoque tollitur hominis *praesumptio*, quatenus « gratia Dei nobis sine ullis meritis præcedentibus in homine Christo commendatur » (*August.* de Trin. l. XIII, c. 17) ; nec enim ipse ut Filius Dei fieret ullis est meritis propriis assecutus, utpote nullam habens hypostasim neque operationem ante unionem[1].— *d*) Amplius, *superbia* hominis, malorum parens, retunditur, juxta illud *S. August.* (Tract. 25 in Joan. n. 16) : « Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum ».— *e*) Denique Incarnatio maxime congruebat ad liberandum hominem a *servitute peccati*, quatenus in una eademque persona haberetur et qui posset, ut Deus, et qui deberet, ut homo, pro peccato satisfacere : sed hoc jam ulterius declarandum est.

[1] — III, Q. II, a. 11.

2ª *Pars* ergo eo adstruetur sensu quod speciatim Incarnatio Verbi *requirebatur ad exhibendam Deo condignam satisfactionem ;* quam *homo purus* (sine gratia aut cum gratia) *offerre non poterat,* tametsi posset imperfecte satisfacere.

Prænotanda.— Nomine *satisfactionis* intelligi debet *active* quidem recompensatio illatæ injuriæ, *objective* vero ipsum opus satisfactorium.— Triplex distingui potest satisfactionis genus : quippe alia dicitur *rigorosa* seu secundum omnem justitiæ formam exhibita[1], ad quam pertinet quod aliquis satisfaciat de bonis *propriis ;* alia *condigna* et æquivalens seu tantum reddens quantum fuerit per offensam ablatum ; alia manca et *deficiens,* quam persona læsa pro sua benignitate acceptare dignatur, quamvis condigna non sit.

1° Facile intelligitur hominem purum, quicumque sit, non posse offerre Deo pro peccato *rigorosam* satisfactionem, sicut nec ex rigore justitiæ mereri ; siquidem totum bonum quod habet aut operatur, a Deo est.— At quæstio est num homo, suppositis divinis naturæ vel gratiæ donis, potuerit *condigne* satisfacere pro culpa originali vel actuali.

2° *a*) Itaque dico nullum hominem *extra gratiam* potuisse condigne seu æquivalenter satisfacere pro peccato *originali* humani generis.— Imprimis ad hominem lapsum referre fas est verba *S. Thomae* (3 S. D. I, Q. I, a. 2 ad 9) quod « totum quod potest, pro se Deo debet ; unde non relinquitur sibi ut *pro alio* satisfacere possit.»— Universalius vero valeat sequens argumentum : *peccatum* contra Deum commissum quamdam ducit *infinitatem* non solum ex infinito beatitudinis bono quod per illud aufertur[2], sed maxime ex infinitate divinæ majestatis in quam delinquitur ; siquidem pro dignitate personæ offensæ crescit culpæ malitia. Atqui satisfactio *cujuslibet creaturae,* cum ejus valor ex persona satisfaciente desumatur, insufficiens est ad resarciendam talem injuriam. Ergo.

b) Sin autem homo *gratiâ donatus* consideretur, vel supponitur homo reparatus, vel homo in justitia creatus.— Quod ad primum seu ad *hominem reparatum* pertinet, certe non valet pro se (nec consequenter pro tota natura humana cujus est individuum) condignam satisfactionem exhibere. Creatura enim non habet ex se gratiam, sed illam a Deo, tituloque gratuito, recipit. Porro gratia peccatori non confertur nisi simul eodemque influxu reatus æternæ pœnæ, quidquid sit de pœna temporali, tollatur. Ergo ipsa receptio

[1] — Vide infra (Disp. IX, Q. III, a. 2) conditiones strictæ justitiæ ; ubi plura de satisfactione Christi discutiuntur.

[2] — 3 S. D. XX, Q. I, a. 2.

gratiæ in illo condignæ satisfactioni detrahit.— Quod spectat ad *hominem in justitia creatum*, nec ipse potuisset pro peccato originali condigne satisfacere. Etenim (ut docet *S. Thomas* h. art. resp. ad 2, et 3 S. D. I, Q. I, a. 2) *tota natura* humana fuit per peccatum originale corrupta. Atqui corruptio hæc *infinitatem* quamdam *subjectivam* sortitur ex indole naturæ in qua supposita in infinitum multiplicari possunt. Ergo bonum alicujus personæ creatæ vel etiam plurium, utpote subjective finitum (etsi objective infinitum ratione gratiæ et caritatis in Deum), nequaquam poterat per æquiparantiam totius naturæ detrimentum recompensare.

3° Igitur purus homo, quicumque sit, non valet pro peccato humani generis satisfacere nisi *imperfecte* et *deficienter*, scil. offerendo compensationem de se inadæquatam. Porro omne imperfectum præsupponit aliquid perfectum a quo sustentetur. Ergo conveniens fuit ut imperfecta hominis satisfactio efficaciam haberet a satisfactione Christi, per quam et merendi et satisfaciendi vim, scil. gratiam, consequimur, et opera nostra satisfactiva (secundum reversibilitatis legem in corpore mystico) valorem divinum induunt.

4° Ex dictis *colligitur* quare *D. Thomas*, loquens de peccato *actuali*, dixerit (3 S. D. XV, Q. I, a. 2) hominem posse ex gratia « secundum æqualitatem proportionis » satisfacere, hanc rationem reddens (*ibid.* ad 1) quod « sicut offensa habuit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ majestatis, ita et satisfactio accipit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ misericordiæ, prout est gratiâ informata, per quam acceptum redditur quod homo reddere potest.»[1] Hæc certe satisfactio quodammodo æquivalens[2], nedum frustretur satisfactionem Christi, eam præsupponit ceu fundamentalem omnium peccatorum, maximeque peccati originalis, expiationem.

Solv. obj. (cont. 2am concl.). — Obj. 1. — Non debet Deus plus ab homine requirere quam iste possit. Atqui potest homo actum contrarium peccato elicere. Ergo id habendum erat tanquam sufficientissima naturæ humanæ reparatio.

Resp. *D. M* :... quam possit sive ut purus homo sive ut homo Deus, *C ;* ut purus homo tantum, *S. d :* potuisset ab-

[1] — Cf. 4 S. D. XIV, Q. II, a. 1 qu. 1 ad 4 ; — item tract. nost. *de Sacramentis* (2a pars), Disp. III, Q. IV, a. 2.

[2] — Dicitur *quodammodo* æquivalens ; nam (prouti tenent plerique theologi) deest æquivalentia *absoluta*, eo quod gravius videtur Deum per peccatum subjici creaturæ quam Ei honorificum sit creaturam se Deo per caritatem subjicere.

solute Deus non plus requirere, *C ;* non convenientius fuit ut plus requireret, *N.*— *D. m :*... et hunc actum contrarium ex se elicit, *N ;* cum gratia, *S. d :* quin tamen iste actus puri hominis condigne adæquet culpam humani generis, *C ;* ita ut ei coæquetur, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— In primo parente idem fuit peccatum originale et actuale. Atqui ipse per pœnitentiam de peccato actuali satisfecit. Ergo[1].

Resp. *D. M :*... i. e. *eodem* actu utrumque ortum est, *C ;* eadem fuit utriusque ratio formalis, *N.*— *D. m :* ipse satisfecit pro peccato actuali secundum quod ex actu malo provenit corruptio totius naturæ, *N ;* quantum ad corruptionem boni personalis, *S. d :* per se, *N ;* adjutorio *gratiae* misericorditer elargitæ intuitu futuræ satisfactionis Christi, et præsertim quoad pœnam temporalem, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Ad salutem hominis præcipue pertinet ut Deum revereatur. Atqui Deus magis reverendus dici debet extra carnem quam in carne. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :* secundum se, *Trans ;* quoad nos et secundum quod per carnis assumptionem inducimur ad illum melius cognoscendum, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum, si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

1° Præmittendum est *Wicleffum* docuisse absolutam Incarnationis necessitatem ; quam necessitatem *in hypothesi creationis* itidem defensarunt *Raym. Lullus, Malebranchius* et *Leibnitzius* secundum Optimismi systema.— Optimismum autem tum theologice tum philosophice falsum esse, in comperto est.

2° *a*) Proposita quæstio non instituitur de *possibilitate* quam nullus negat catholicus, sed de *facto* et secundum vim *praesentis decreti* Incarnationem regulantis.— *b*) Circa quod duplex obtinuit opinio. *Scotus* enim, quem secuti sunt *Suarez, Isambert,* aliique nonnulli, posuit futuram Incarnationem etiam peccato non existente ; verum plerique theologi præsertim moderni contrarium sentiunt : et in hoc ducem sectantur *D. Thomam* qui, quanquam in 3 Lib. Sent. (D. I, Q. I, a. 3) utramque sententiam probabilem admiserat, tamen in *Summa,* mente provectior, negativæ parti magis assentiendum declarat.

[1] — 3 S. D. I, Q. I, a. 2, arg. 7.

Conclusio.— ADAMO NON PECCANTE, FILIUS DEI PROBABILIUS INCARNATUS NON FUISSET.

1° Etenim ea quæ ex sola Dei voluntate proveniunt, supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt nisi revelatione divina, præcipue in Scripturis contenta. Atqui in Sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur : ergo. *Min. ostend.* ex illustrioribus locis, puta (Luc. XIX, 10) : *Venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat ;* (Joan. III, 17) : *Misit Deus Filium suum in mundum,... ut salvetur mundus per ipsum ;* et (1 Tim. I, 15) : *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.*

2° His cohæret unanimis *Patrum* traditio : paucos referamus. Ita *S. Irenaeus* (Adv. hær. 1. V, c. 14) ait : « Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.» *S. J. Chrysost.* (Hom. 31 in Matth.) : « Adeo procul abest, ne peccatores abominetur, ut *solum* eorum causa se advenisse testetur.» Et *S. August.* (Serm. 175, al. 9) : « Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla est medicinæ causa. Si venit de cœlo magnus medicus, magnus per totum orbem jacebat ægrotus.»

3° Ecclesiæ *sensus* perspicue elucet, tum ex *Symbolo Nicaeno-Cpno* ferente : « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis ;» tum ex *precibus liturgicis* præsertim Sabb. Sancti, quando cantatur : « O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem !» Et iterum : « O certe necessarium Adæ peccatum quod tali morte deletum est !»

4° *Rationes congruentiae* adducit *S. Bonaventura* (3 S. D. I, Q, I, a. 3), ubi ait : « Opinio dicentium Deum non fuisse incarnatum, nisi homo peccasset, magis consonat *fidei pietati*, quia in Scripturis ratio Incarnationis communiter assignatur liberatio a peccato. Magis quoque *devotionem* accendit, dicendo Deum incarnatum esse ad succurrendum tot ac tantis miseriis nostris. *Deum* etiam *magis honorat* quam opinio alia ; nam illa quasi includit Deum intra perfectionem universi et quamdam necessitatem videtur Incarnationis præfigere, dicendo opera Dei sine ea perfecta non esse.»

5° Ad præcavendas *Scoti* aliorumve argutiones, diligenter notetur in omni hypothesi motivum *ultimum* Incarnationis esse supremam Dei gloriam, in præsenti vero œconomia motivum ejus *proximum* esse Redemptionem humani generis, quæ quasi medium ad gloriam Christi et Dei ulterius ordinatur. Porro nihil absurdi nec inconvenientis est quod sic

Deus non decreverit Incarnationem nisi dependenter a lapsu Adæ et ex voluntate redimendi homines : siquidem ex una parte, ipse non tenetur de facto velle quidquid in se melius et appetibilius est ; ex altera autem parte, destinatio Incarnationis ex *occasione* peccati, misericordiam divinam provocantis, maxime contulit in augendam Christi glorificationem et in demonstrandam Dei sapientiam, ac potentiam, quatenus ex malo præstantissimum bonum eruere scivit ac valuit[1].

Solv. obj.— Obj. 1.— Manente causa, manet effectus. Atqui præter liberationem a peccato multæ sunt aliæ causæ Incarnationis. Ergo.

Resp. *Trans. M.—D. m :*... quæ tamen peccatum præsupponunt, *C ;* quæ non pertinent ad remedium peccati, *S. d :* præcisive, *C ;* comprehensive, *N.— Neg. conseq.*

Rationes adductæ in præc. art. pro Incarnatione præsupponunt *peccatum*, scil. hominem ad corporalia delapsum et per corporalia seu per assumptan carnem a Verbo Dei reparandum ; si enim homo non peccasset, perfusus lumine sapientiæ et justitiæ rectitudine perfectus immediate fuisset. — Quæ vero motiva de se, et præcisione facta a Redemptione humani generis, sufficientia fuissent ad Incarnationem, ea tamen de facto et *comprehensive* connectuntur cum prævisione peccati, cujus reparatio fuit causa *motiva* Verbi incarnandi.

Obj. 2.— Ad omnipotentiam divinam pertinet ut se per infinitum effectum demonstret et universum perficiat. Atqui id requirit Incarnationem. Ergo.

Resp. *D. M :*... ut se demonstret per effectum infinitum ex *modo* productionis atque universum *debita* perfectione compleat, *C ;* ut se demonstret per effectum *in se* infinitum et universum *supernaturaliter* seu præter debitum perficiat, *N. — C. d. m :* effectus infinitus in se et supernaturalis mundi perfectio requirunt Incarnationem, *C ;* effectus infinitus secundum productionem *ex nihilo* et naturalis rerum perfectio requirunt Incarnationem, *N.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Natura humana, etiam peccato non existente, capax fuisset gratiæ Unionis hypostaticæ. Atqui Deus non subtrahit bonum cujus natura nostra est capax. Ergo.

Resp. *D. M :*... secundum potentiam *naturalem*, *N ;* secundum potentiam *obedientialem* qua quævis creatura obedit di-

[1] — Cfr. *Cajetanum* (in h. art.), qui omnia argumenta Scoti subtiliter dissolvit.

vinæ potentiæ ad nutum, *C.*— *C. d. m :* scil. Deus semper implet capacitatem naturalem, *C ;* capacitatem obedientialem, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 4.— Praedestinatio Dei non potest non impleri. Atqui Christus ab æterno prædestinatus est (Rom. I, 4). Ergo etiam sine peccato etc.

Resp. *D. M :...* independenter ab omni futurorum præscientia, *N ;* secundum ea quæ prævisa et præstituta sunt, *C.* — *D. m :* prædestinatus est æternali Dei actu, *C ;* independenter a prævisione lapsus humani generis, *N.*— *Neg. conseq.*

Prædestinatio præsupponit præscientiam eorum quæ sunt in finem prædestinationis ordinanda ; et ideo sicut Deus prædestinat salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædestinavit opus Incarnationis in remedium peccati æternaliter prævisi.

Obj. 5.— Incarnationis mysterium fuit primo homini revelatum. Atqui Adam non potuit esse præscius sui casus. Ergo.

Resp. *D. M :...* secundum quod ordinatur ad gloriam Dei et humanæ naturæ sublimationem, *C* ; quasi revelari simul debuerit secundum omnes suas causas, *N.*— *C. d. m :...* et ideo non cognovit tunc Incarnationem ut *redemptivam, C ;* neque ut *glorificativam, N.*— *Neg. conseq*[1].

ARTICULUS IV.

Utrum principalius Christi incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale quam actuale.

Ex præcedentibus liquet finem *proximum* Incarnationis fuisse liberationem hominis a peccato. Peccatum autem duplex est, *originale* seu origine a parentibus contractum, et *actuale* seu propriæ voluntatis actu commissum. Hinc subortum est dubium, sequenti propositione enodandum.

Conclusio.— Christus venit in mundum ad delendum peccatum tum originale tum actuale, principalius tamen ad delendum originale.

1ª *Pars* certo evincitur ex *SS. Litteris* (1 Joan. I, 7) : *Sanguis J. C. emundat nos ab omni peccato ;* et (II, 2) : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*— Id vero intelligendum est quoad plenam *sufficientiam* auxilii præstiti, non quoad

[1] — Alias objectiones refutatas invenies penes Billuart, Diss. III, a. 3.

omnimodam *efficientiam ;* siquidem Incarnationis opus accommodari debuit conditioni hominis, qui ex libertate habet ut possit Christi beneficia recusare, juxta illud (Joan. III, 19) : *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.*

2ª *Pars* concl. *ostend :* — 1° ex illo (Joan. I, 29) : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi ;* quod exponens *Beda* (Hom. in Oct. Epiph.) ait : « Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod est commune totius mundi.»— 2° *Ratione.* Christus ad illius peccati deletionem principalius venisse censendus est quod est simpliciter majus. Atqui, simpliciter loquendo, peccatum originale majus est : ergo. *Min. prob.* Licet peccatum actuale sit majus *intensive* quam originale, quia plus habet de voluntario ; tamen peccatum originale gravius est *extensive*, in quantum inficit totum humanum genus. Atqui hæc est major gravitas *simpliciter* dicta, *a*) tum quia opponitur bono communi quod « divinius et eminentius est quam bonum unius » (1 Ethic. c. 2), *b*) tum quia fons est et origo peccatorum actualium ad quæ nativa quadam propensione inclinat. Ergo.

Solv. obj.— Obj. 1.— Deus incarnatus est ad medendum peccato quod gravius ex gravitate pœnæ judicatur. Atqui peccato originali levissima pœna debetur (August. c. Julianum, l. V, c. 11). Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :...* in ratione pœnæ, *C ;* in ratione mali, *N.— Neg. conseq.*

Pœna, qua talis, respondet quantitati intensivæ peccati seu gradui voluntarii, qui minor est in peccato originali quam in actuali ; unde minor pœna originali culpæ debetur. — Attamen hæc pœna, quæ consistit in privatione fruitionis Dei attingente totum humanum genus, certe secundum *mali* rationem maxima est.

Obj. 2.— Peccato originali debetur pœna damni, non sensûs. Atqui Christus pœnam sensûs sustinuit, non damni. Ergo.

Resp. *D. M :...* in futura retributione, *C ;* neque pœnalitates præsentis vitæ ex peccato originali procedunt, *N.— C. d. m :...* sustinuit sensibiles pœnalitates debitas in hac vita tum actuali tum originali peccato, *C ;* debitas actuali peccato tantum, *N.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Quisque æstimare debet Christi beneficia quasi sibi soli et pro suorum peccatorum deletione præstita, juxta illud (Gal. II, 20) : *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Atqui propria peccata nostra sunt actualia, dum originale commune est. Ergo.

Resp. *D. M :*... eo sensu quod in unoquoque remedium peccati ita perfectum est ac si uni tantum concessum fuisset, *C ;* quasi illud remedium non fuerit principaliter toti naturæ adhibitum, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS V.

Utrum conveniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi.

Convenientia Incarnationis modo inquirenda est relate ad *tempus ;* quod quia considerari potest secundum initium, medium et finem, extrema excludenda sunt ut aptior Christi ætas constituatur in medietate sæculorum.— Ordiamur a removendo *initio* mundi.

Conclusio..— Conveniens non fuit ut Deus a principio humani generis incarnaretur.

1° Etenim in operibus Dei, sapientissimo consilio dispositis, ab esse rei ad ejus convenientiam valet illatio. Atqui Deus prædefinivit Incarnationem futuram *in medio annorum* (Habacuc, III, 2) et *in plenitudine temporis* (Gal. IV, 4). Ergo convenientia Christianæ ætatis admittenda est præ tempore primordiali.

2° *a*) Conveniens non fuit Deum incarnari *ante peccatum :* quandoquidem medicina non datur nisi jam infirmis. Unde Dominus ait (Matth. IX, 12-13) : *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus... non enim veni vocare justos, sed peccatores.*

b) Sed nec etiam *statim post peccatum*, ob quadruplicem rationem.

Primo, ob *conditionem hominis.*— Nam, quia humanum peccatum ex superbia provenerat, eo modo erat homo liberandus quo humiliatus agnosceret se liberatore egere. Atqui hoc requirebat certum illud temporis spatium, quod interfuit post casum Adæ, antequam Filius Dei mitteretur : siquidem sub lege naturæ, obscurata primæva fide, homo expertus est ignorantiam sui intellectus ; lex autem Moysis medela fuit illius ignorantiæ, sed naturæ, non legis, vitio excrevit debilitas voluntatis morbusque invaluit ; ita ut, cognita sua infirmitate, homo clamaret ad medicum uberiorisque gratiæ expeteret auxilium.

Secundo, ob *ordinis exigentiam.*— Promotio enim in bonum, secundum innatam rerum legem, ab imperfecto ad perfectum progreditur. Atqui homo per Incarnationem in summum bonum erat promovendus. Ergo congruebat ut prius in

servitute dejectioris vitæ jaceret quam ad nobilitatem christianæ libertatis accederet, juxta illud Ap. (1 Cor. XV, 46-47) : *Non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Primus homo de terra, terrenus ; secundus homo de cœlo, cœlestis.*

Tertio, ob *dignitatem Verbi incarnati.*— Pertinebat enim ad Christi venturi majestatem ut secundum temporum progressum historiæque evolutionem augusta ejus persona divinaque munera prænuntiarentur. Atqui id contigisse constat, juxta illud *Augustini* (Tract. 31 in Joan. n. 5) : « Quanto major judex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat ;» quippe Patriarchæ primum et cumulatim, postea vero et divisim Prophetæ, sacerdotes, et reges, summam Christi scientiam et sanctitatem et potestatem præluserunt ac præfigurarunt. Ergo.

Quarto, ob *efficaciam Redemptionis.*— Opus Incarnationis fieri oportebat eo tempore quo majorem hominum multitudinem efficaciori influxu attingeret. Porro, si a principio mundi perfectum fuisset, fidei et caritatis fervor temporis prolixitate tepesceret ; nam etiam secundum præsentem statum circa finem mundi languescet multorum religio (Luc. XVIII, 8). Ergo.

Solv. obj.— Obj. 1.— Incarnationis opus ex immensitate divinæ caritatis processit. Atqui caritas non tardat subvenire indigenti amico. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... salva tamen negotiorum opportunitate et personarum conditione, *C ;* inconsulte et secluso prudentiæ consilio, *N.*— *Neg. conseq.*

Si medicus præcipitanter nec satis disposito infirmo medicinam ministraret, minus proficeret vel etiam magis eum læderet quam juvaret : ea de causa Deus remedium humano generi exhibendum distulit.

Obj. 2.— Christus venit ad salvandos homines. Atqui plures salvati fuissent, si a principio apparuisset. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... plures in antiquitate, *Trans ;* plures simpliciter, *N.*— *Neg. conseq.*

1° Profecto nostrum non est judicare quosnam et quot homines salvare Deus in sua prædestinatione debuerit (cf. *Aug.* 1. de Don. persev. c. 11).— 2° Verum falsum videtur, *simpliciter* loquendo, quod Incarnatio anterius facta magis humanæ saluti favisset. Nam *a*) ex una parte, non defuere ante Christum sufficientia gratiæ auxilia. *b*) Ex altera parte, (præter rationes jam supra allatas) dilatio Incarnationis id ad salutem hominum perutile habuit ut Christus in clariori

historiæ lumine appareret ejusque missio prophetiarum antecedentium argumento comprobaretur : quod in hypothesi contraria defuisset.

Obj. 3.— Opus gratiæ, subindeque Incarnationis, non est minus ordinatum quam opus naturæ. Atqui natura initium sumit a perfectis. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... in diversis subjectis, quatenus perfectum est illud quod alia ad perfectionem adducit, *C ;* in uno eodemque subjecto, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS VI.

Utrum Incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi.

Remoto uno extremo circa opportunitatem temporis Incarnationis, removendum occurrit et aliud, ut *medietas* sæculorum velut accommodatior Christi ætas concludatur.

Conclusio. — Non fuit conveniens Verbi incarnationem differri usque in finem mundi.

Prob. triplici ratione.

Primo, ex *unione divinæ et humanae naturae.*— Sicut enim superius indicavimus, in eo quod perficiendum est, imperfectum tempore præcedit perfectum ; at in eo quod est causa efficiens perfectionis, perfectum imperfecto antecedat necesse est. Atqui in opere Incarnationis utrumque concurrit : natura enim humana, vocata ad subsistentiam Verbi, summam perfectionem accepit, ideoque non decuit quod a mundi initio Deus incarnaretur ; sed ipsum Verbum incarnatum causa est efficiens humanæ perfectionis in eis qui ejus gratiæ participes fiunt, ideoque non debuit Incarnationis opus usque in finem mundi differri. Verum perfectio gloriæ, ad quam ultimo natura nostra perducenda est, processum hunc progressivum absolvit.

Secundo, ex *effectu humanae salutis.*— Tunc fieri congruebat Incarnationem quando, jam exploratâ humanâ indigentiâ, et antequam totaliter religionis sensus exstingueretur, humanitas Liberatorem exposcebat. Atqui, post ætatem patriarchalem et mosaïcam, planum erat quod homo non valeret peccati jugum excutere ; si vero salutis remedium dilatum amplius fuisset, Dei notitia et reverentia morumque honestas penitus evanuissent. Ergo.

Tertio, ex *manifestatione Christi Salvatoris.*— Illud tempus Incarnationi maxime conveniebat quo virtus et excellentia Christi majorem ederentur in lucem et clarius splen-

descerent. Porro tempus istud non est finis mundi, sed ipsa ætas qua reapse Verbum incarnatum est : quippe Christus, sic de stirpe David in horizontem mundi emersus, apparet velut sæculorum vertex, centrum historiæ[1], in quod omnia antecedentia conspirant et cui omnia consequentia subordinantur ; eminet velut supremus dominator una manu Synagogam regens alteraque Ecclesiam instituens, multiplicans media salutis et salvans homines modo per fidem futuri, modo per fidem præsentis et præteriti. Ergo.

Solv. obj.— Obj. 1.— Secundum legem progressus, quod est maxime perfectum debet esse omnino ultimum in tempore. Atqui summa humanitatis perfectio est in unione cum Verbo. Ergo.

Resp. *D. M :...* quoadusque perfectum illud consideretur ut terminus motûs progressivi, *C ;* si consideretur etiam ut principium perfectionis in aliis, *N.— C. d. m.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Non est conveniens fieri per duo id quod per unum fieri potest. Atqui unus Christi adventus sub fine mundi sufficere poterat ad salutem humanæ naturæ. Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :* adventus Christi *judicantis*, *N ;* adventus Christi *miserentis*, *S. d :* et hic misericordiæ adventus coïncidere debebat cum adventu judicii, *N ;* oportebat misericordiam præcedere, judicium vero subsequi, *C.— Neg. conseq.*

[1] — Cf. Bossuet, *Disc. sur l'Hist. universelle*, ubi philosophiam historiæ peregregie evolvit.

DISPUTATIO SECUNDA

DE MODO SEU NATURA UNIONIS HYPOSTATICÆ

Comperta jam Incarnationis convenientia, proximo gressu ducimur ad indagandum modum seu essentiam illius unionis tum in se (Q. I), tum ex parte personæ assumentis (Q. II), tum ex parte naturæ assumptæ (Q. III).— Etsi enim « quodam incomprehensibili et ineffabili modo[1]» Deus se humanæ naturæ sociaverit, ita ut hæc « quo attolleretur altius non haberet, sicut pro nobis ipsa divinitas quousque se deponeret humilius non habuit[2]»; tamen ipso SS. Doctorum exemplo sollicitamur ad tantum mysterium modeste perscrutandum variisque rationibus illustrandum.

QUÆSTIO PRIMA

DE UNIONE HYPOSTATICA IN SE

Unionis hypostaticæ natura investigari potest vel secundum *substantiam* qua constet (art. 1-3), vel secundum *proprietates* quibus ornetur (art. 4), vel secundum *causandi rationes* a quibus pendeat (art. 5).— Substantia vero Unionis definiri debet excludendo quod facta fuerit in *natura* (art. 1), et concludendo quod facta sit in *persona* (art. 2), propterea-que in *hypostasi* (art. 3). Igitur quæstio S. Thomæ ad quinque articulos, brevitatis gratia, congrue reduci poterit.

ARTICULUS I.

Utrum unio Verbi Incarnati sit facta in natura.

1° Circa *titulum* adverte, *naturae* nomen a nascendo derivatum esse ad significandum principium generationis viventium et, communius, quodlibet principium intrinsecum

[1] — *S. Thom.* Opusc. III, c. 6.
[2] — *S. August.* l. de Præd. Sanct. c. 15.

motûs ; item fuisse extensum ad designandum formalem terminum generationis qui est essentia speciei.— Nunc ergo de natura loquimur, quatenus significat *essentiam* vel *quidditatem* rei.

2° Perspecta res est unionem *in natura* eam esse qua plura inter se conveniunt et concurrunt ad constituendam unam novamque, ex componentibus resultantem, naturam seu essentiam.

3° *Eutyches*, auctor *Monophysismi*, ut salvaret contra Nestorium unitatem personæ in Christo, docuit duas naturas, divinam scil. et humanam, distinctas quidem ante unionem, post unionem in unam coaluisse : quod ille imperitus monachus explicuisse fertur (probabilius) secundum absorptionem quamdam humanæ naturæ a divina, *Dioscorus* vero, patriarcha Alex., aliique monophysitæ potius secundum quamdam naturarum mixtionem seu confusionem.

Conclusio.— Impossibile est unionem Verbi Incarnati factam esse in natura.— *Fides* hac in re firmata est contra Eutych. a *Conc. Chalced.* (œcum. IV, an. 451), in quo Patres solemniter adhæserunt celebri epistolæ *S. Leonis I* ad Flavianum, et confessi sunt (act. 5) « Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter unionem.»

1° Sic ex *Scriptura* S. Leo M. (*cit. ep.* cap. IV) dualitatem naturarum tuetur : « Unus idemque est vere Dei Filius, et vere hominis filius. Deus per id quod *in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*[1], homo per id quod *Verbum caro factum est et habitavit in nobis ;* Deus per id quod *omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil*, homo per id quod *factus est ex muliere, factus sub lege*, Gal. IV, 4.»— Accedit illud Ap. de Christo (Phil. II, 6-7) : *Qui, cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens ;* ex quo colligitur duplicem in Christo formam seu naturam inconfuse ponendam esse.[2]

2° *Ratione* S. Thomas tam potenter hæreticos premit ut nullum eis effugium relinquat.

Sane vero, tripliciter aliquid unum ex duobus vel pluribus constitui potest : *primo* ex pluribus integris completis non transmutatis, quo modo ex lapidibus congregatis lignisve dispositis fit acervus vel domus ; *secundo* ex completis seu

[1] — Joan. c. I.
[2] — C. G. IV, 35.

perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis chimicis fit compositum ; *tertio* ex aliquibus non permixtis vel permutatis, sed incompletis, sicut ex anima et corpore fit homo. Atqui nullo ex his modis effici potuit unio Incarnationis. Ergo. *Prob. min.* per partes.

Non primo modo.— Nam *a*) conjunctio secundum meram juxtapositionem vel ordinem non est substantialis, sed *accidentalis ;* quod de Incarnatione dici haud posse, mox contra Nestorium persuadebitur.— *b*) Præterea in tali conjunctione, componentibus actu remanentibus, non fit unum simpliciter, sed *secundum quid ;* quod summæ Christi unitati repugnat. — *c*) Amplius, forma rerum sic conjunctarum non est natura, sed magis *ars*, ut patet de forma domus, et sic non constitueretur una natura in Christo, ut Eutychiani volunt.

Non secundo modo.— *a*) Siquidem, quæ mixtione chimica uniuntur, corrumpuntur et *mutantur*. Porro natura divina est omnino immutabilis.— *b*) Item, in mixto habetur *species diversa* a quocumque componente ; sic enim caro specie differt a substantiis nutritoriis. Ergo Christus non esset ejusdem naturæ cum Patre seu verus Deus, neque ejusdem naturæ cum matre Maria seu verus homo : quod falsum est. — *c*) Insuper, ex his quæ *nimium distant* commixtio fieri non potest, sed unius componentis *species solvitur*, puta si quis guttam aquæ amphoræ vini infundat. Atqui natura divina humanam in infinitum excedit. Ergo in Monophysitarum hypothesi sola natura divina, alteram absorbens, subsisteret.

Non tertio modo.— *a*) Nam utraque natura, divina scil. et humana, secundum rationem suam completa et *perfecta* est.— *b*) Præterea, natura divina et humana non possunt aliquod tertium constituere : neque per modum *partium quantitativarum*, quoniam Deitas incorporea est ; neque per modum *formae* et *materiae*, tum quia divina natura nequit esse forma alicujus præsertim corporei[1], tum quia in illa hypothesi species resultans foret prædicabilis de pluribus actu vel potentia, seu, aliis verbis, esse possent plures Christi sub quadam specie communi.— *c*) Tandem Christus non esset neque humanæ neque divinæ naturæ ; quandoquidem differentia addita *variat speciem*, sicut unitas numerum.

Solv. obj. — Obj. 1.— *S. Cyrillus Alex.* in actis *Conc. Chalc.* inducitur dicens : « Non oportet intelligere duas naturas ; sed *unam naturam* Verbi Dei incarnatam.» Et frequenter apud eum occurrit locutio : unio *naturalis* vel *secundum naturam*. Ergo.

[1] — Cf. op. nost. *de Deo*, Disp. II, Q. I, a. 8 ; Disp. III, Q. II, a. 2.

Resp: *a*) *S. Cyrillum* negasse duas naturas hypostatice *separatas*, sed intellexisse naturam divinam conjunctam esse carni in persona.— *b*) Hinc in ore ejus unio naturalis vel secundum naturam idem est ac unio *physica* et *substantialis*, quam opponebat unioni morali et accidentali assertæ a Nestorio.— *c*) Non diffitemur hunc loquendi modum æquivocum fuisse, quam æquivocationem usus ecclesiasticus postea sustulit ; sed ipsemet S. Doctor sese explicuit, v. g. in Ep. 2 ad Successum, necnon in Ep. ad Joan. Antioch., ubi ait : « Unus est Dominus J. C., quamvis *differentia naturarum* non ignoretur » etc.— *d*) Cæterum, uti refertur a *D. Thoma*, Synodus œcum. V (Cptana II) auctoritative exposuit verba Cyrilli secundum unitatem *subsistentiae*[1].

Obj. 2.— Legitur in *Symb. Athan:* « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus». Atqui anima rationalis et caro conveniunt in constituenda una natura. Ergo.

Resp. *D. M :...* ex parte et analogice, *C ;* sub omni respectu et univoce, *N.— C. m.— Neg. conseq.*

1° Ex anima et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas, naturæ et personæ : *naturæ* quidem, in quantum anima unitur corpori ut forma materiæ, unde resultat humanum compositum, et quantum ad hoc non attenditur similitudo : *personae* vero, quatenus unus homo subsistit in carne et anima, et huic unitati comparatur Christus subsistens in natura divina et humana.— 2° Accedit aliud : quemadmodum enim anima, utpote forma subsistens et intelligens, communicat *esse proprium* corpori eoque tanquam *instrumento conjuncto* utitur, ita persona Verbi utrumque sibi vincicat respectu humanitatis assumptæ ; ideoque præsens comparatio, licet inadæquata et analogica, cæteris quibusque exemplis naturalibus præferenda est.

Obj. 3.— Duarum naturarum una non denominatur ex altera, nisi aliquo modo in invicem transmutentur. Atqui divina natura dicitur incarnata (S. Cyr.), humana vero deificata (S. Greg. Naz.). Ergo.

Resp. *D. M :...* una non denominatur ex altera *stricto* sensu nisi... *C; latiori* sensu, *N.— D. m:...* quia Divinitas est unita carni, caro vero Divinitati, in esse personali, *C;* ad significandam conversionem unius naturæ in aliam, *N.— Neg. conseq.*

[1] — Cf. Petavium, *de Incarn.* l. III, c. 4.

ARTICULUS II.

Utrum unio Verbi incarnati sit facta in persona ; — de divinitate Christi.

Potissimam aggredimur totius tractatus quæstionem, quæ cardo seu nodus mysterii merito judicabitur.— Plura præloqui opus est.

1° *a*) Compertus est error tum antiquorum tum recentiorum *divinitatem* Christi negantium ; cujus impietatis coriphaei sæculo præterito exstiterunt Strauss et Renan.— *Strauss* quidem in suis operibus (*Vie de Jésus* et *Nouv. Vie de Jésus*) magno eruditionis scientiæque criticæ molimine adstruere connisus est Christum ab Evangelistis descriptum magis mythicum quam historicum esse ; eum autem sub adspectu mythico-ideali habendum esse tanquam exemplar quoddam et symbolum typicæ perfectionis humanæ speciei in qua secundum progressum evolutionisticum coëunt Infinitum et finitum : hæc sane produnt Pantheismum Heghelianum.— *Renan* clarior est. Totum ejus studium in eo consistit ut supernaturalia naturaliter explicet ; idcirco, multiplicatis verborum artificiis atque sophismatibus, inferre non hæsitat Christum fuisse hominem tantum, etsi præstantissimum[1].

b) *Nestorius*, licet Christum esse Deum ore profiteretur, duas tamen in eo distinguebat personas, divinam scil. et humanam, quas dicebat multipliciter sibi unitas, nempe per *inhabitationem* Verbi in homine quasi in templo, per unitatem *affectuum* et voluntatum, per officium *instrumentale* quod homo Verbo præstabat, per consortium *honoris* a Verbo in hominem redundantis, tandem per communicationem *nominum* qua homo Deus Deique Filius vocatur[2]. Hanc ob unionem mere moralem, Christum *Deiferum* potius quam Deum appellabat Nestorius ; et B. Virginem dicebat *Christiparam*, Deiparam vero negabat.— In errorem Nestorianum manifeste concedit positio quorumdam[1] repetens identitatem per-

33

[1] — Rationalistarum aciem modo ducit germanus auctor *Harnack*, qui variis in scriptis, præsertim in opere « *L'essence du Christianisme* », negata divinitate Christi, Ecclesiæ, sacramentorum, Christianismum totum ad hanc reducit rationalismi formulam : « Homo liber a Deo patre vitæ præmium expectans ».— Ex Russia quoque nuper insonuit altera vox rationalistica, scil. scriptoris *Tolstoi*, qui et ipse Christum Deum esse negat, nec aliud in Christianismo videndum æstimat quam naturalem quemdam stoïcismum (cf. Polidori, *La nuova apologia del Christianesimo*).

[2] — Ex *S. Thom.*, hic Q. II, a. 6.

[3] — Huc spectat prop. 27a *Rosminii*, damnata a S. Off : *In humanitate Christi humana voluntas fuit ita rapta a Sp. Sancto ad adhaerendum Esse*

sonæ sive a *conscientia suî* (Günther) sive a *libertate* (Maine de Biran) ; siquidem, duplicata conscientia et libertate cum duabus naturis, persona et ipsa duplicetur oportet.

2° Unanimis *catholicorum* sententia habet Christum esse verum Deum, quatenus unio duarum naturarum facta est *in persona ;* ast circa rationem explicandi hanc personalem unionem variæ prodierunt opiniones pro diverso modo intelligendi habitudinem inter naturam et suppositum.

a) Præprimis recolenda est genuina *notio suppositi* ac personæ.-- Alibi (*de Deo*, Disp. II, Q. I, a. 3) post Boëtium aliosque christianos philosophos definivimus suppositum : *substantia completa, individua, per se subsistens incommunicabiliter ;* quæ quidem substantia si sit naturæ rationalis, vocatur *persona.* Itaque ad rationem suppositi et personæ requiritur *praesuppositive* ut sit *substantia* (non accidens), *completa* (non pars), *singularis* (non communis) ; requiritur autem *formaliter* ut sit *per se subsistens incommunicabiliter*, nempe ut gaudeat perseitate independentiæ et incommunicabilitatis, quatenus nec ab alio tanquam a fulcro sustentari egeat, nec alteri tanquam termino communicari valeat.— Quænam vero habitudo sit atque distinctio naturam inter et suppositum, res est satis controversa.

b) *Scotus*, quem secuti sunt inter modernos *Franzelin*, *Hurter*, *C. Pesch*, etc., solam *distinctionem rationis* agnovit, docens ipsam naturam singularem vocari suppositum secundum quod suppositalitas addit naturæ *negationem communicationis* actualis vel *aptitudinalis* (naturaliter) ad aliud suppositum.— Alii, quibuscum recentius consentit *Billot*[1], reale quidem discrimen admittunt, sed eo sensu quod suppositum nihil aliud dicat præter naturam quam *esse existentiae* realiter ab illa discretum.— Quidam theologi, duce *Suarezio*, concedunt subsistentiam esse modum quemdam substantialem quo natura singularis terminatur, verum, quia identificant in creatis existentiam cum natura, coguntur modum illum significare ut supervenientem rei jam in esse constitutæ. — Tandem *thomistae*, post *Cajetanum*, eamdem distinctionem realem inter naturam et suppositum explicant per modum seu terminum completivum naturæ, ita ut hæc, nondum existens, vi illius termini ultimo capax fiat existendi et operandi.

objectivo, i. e. Verbo, ut illa Ipsi integre tradiderit regimen hominis, et Verbum illud personaliter assumpserit, ita sibi uniens naturam humanam. Hinc voluntas humana desiit esse personalis in homine, et cum sit persona in aliis hominibus, in Christo remansit natura.

[1] — *Comm.* in Sum. theol., *de Verbo Inc.* quæst. II (1896).

c) Porro, quod in omnibus creatis *realiter suppositum a natura distinguatur*, signate tradit *S. Thomas* (Quodl. II, Q. II, a. 4), ubi docet *soli Deo* identitatem suppositi et naturæ convenire ; hoc ipsum colligitur ex S. Th. III, Q. IV, aa. 1-2 ad 3, ubi ab Auctore voces, *corrumpi*, *impediri*, de personalitate prædicantur; item ex III, Q. XVII, a. 1, ubi affirmat in solo Deo non differre *quod* est et *quo* est : sub hac luce, dubia S. Doctoris loca declaranda sunt.— Ex eodem *S. Thoma* (heic et alibi) licet argumentum probabilius saltem conficere : si qua est res cujus natura claudat in sua ratione essentiali quidquid est perfectionis et actualitatis ideoque ipsam existentiam, in illa, eaque tantum, locus dari nequit distinguendi realiter suppositum a natura. Atqui solus Deus tanta pollet actualitate et simplicitate ; in reliquis vero, præter rationem speciei accipere est vel principia individuantia quæ non expresse includuntur in natura specifica materialium, vel saltem accidentia et esse existentiæ quæ superveniunt formæ per se individuatæ immaterialium. Ergo in his, non obstante identitate naturæ specificæ cum numerica, subindeque in omnibus creaturis, realiter distinguere debemus suppositum a natura etiam singulari ; quatenus hæc dicit subjectum *quo* tantum accidentium et existentiæ, suppositum vero significat subjectum *quod* existit, agit et patitur.

d) Liquet igitur subsistentiam formaliter sumptam non esse meram *negationem :* quod nimis refragatur perfectioni contentæ in ratione subsistendi.— Realis autem distinctio, quam modo propugnavimus, inter naturam et suppositum (quidquid in contrarium sentiat laudatus *Billot*) nobis videtur esse *modalis* eo sensu quo thomistæ, præeunte *Cajetano*, D. Thomam interpretantur. Nam *Angelicus* in plerisque locis suppositum exhibet velut *totum* quoddam[1] vel quiddam *completum*[2] cujus natura est pars formalis, et cui existentia *accedere* censetur[3]. Recte ergo suppositalitas concipitur tanquam *modus realis* seu *terminus naturam complens* in linea substantiæ eamque ultimo coaptans ad existendum et operandum ut principium *quod*, absque possibili communicatione ad aliud suppositum[4].— Quandocumque autem docet *S. Thomas* (puta Quodl. IX, a. 3 et hic Q. XIX, a. 1 ad 4) quod « esse est suppositi proprie » vel quod « esse pertinet ad ipsam

[1] — Hic, art. 2 ; — Quodl. II, Q. II, a. 4.
[2] — 3 Sent. D. V, Q. III, a. 3 ; — Sum. th., III, Q. II, a. 3 ad 2.
[3] — III, Q. XVII, a. 2 ad 1.
[4] — Cf. Cajet. in III, Q. II, a. 2 et Q. IV, a. 2 ; — Satolli, *ibid.*, præsertim in Appendice, pp. 63-70 ; — Lorenzelli, *Metaphys. Gen.*, P. II, lect. VII ; — Lépicier, tract. *de Incarn. Verbi*, P. I, pp. 226-232.

constitutionem personæ,» sensus non est personam constitui formaliter per solum esse existentiæ, sed personalitatem in sua realitate respectum dicere ad existentiam veluti ad propriam actualitatem.

3° Antequam unionem *personalem* seu hypostaticam Verbi et naturæ humanæ directe introspiciamus, propositum est in prævia conclusione fundamentum catholici dogmatis constituere demonstrando contra hæreticos et incredulos *divinitatem* Christi.— Verum summa tantum argumentorum capita indicabimus, lectorem remittentes ad Apologetas.

Conclusio 1ª. — JESUS CHRISTUS EST VERUS DEUS ; prout solemniter in *Conc. Nicaeno I* definitum est.

Prob. 1° adversus *haereticos* qui revelationem divinam admittunt.

a) Omissis cæteris *Scripturae* libris et locis[1], appello *Ep. ad Hebraeos*, in qua Apostolus, ut averteret Judæos ab observantiis legalibus, præcipuo studio excellentiam Christi, auctoris Novæ Legis, commendat, ejusque divinitatem multiformi testimonio illustrat.— Sic non solum Christus vocatur *Filius Dei*, eique tribuuntur plerique *characteres Divinitatis*, uti immutabilitas, omnipotentia, vis creatrix et gubernatrix, sed et explicite nominatur *Deus* (I, 8) : *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi.*— Præstantia quoque sacerdotii Christi præ sacerdotio Mosaïco extollitur, quia novus *Pontifex* purissimo suo sanguine *emundat conscientiam* a peccatis (IX, 14), efficaciâ universali et infinita : quæ certe propria Dei sunt.

b) Ex *traditione* accipiantur vetustiora suffragia. Ait *Clemens Rom.* (Ep. 1 ad Corinthios, cap. 2) : « *Dei... passiones* vobis præ oculis erant.» Et *Ignatius M.* (ad Ephesios, n. 18) : « *Deus noster J. C.* in utero gestatus est a Maria juxta dispensationem Dei, ex semine quidem Davidis, Spiritu autem sancto ; qui natus est et baptizatus est ut passione aquam purificaret.» Succedit *Tertullianus* (de Carne Christi, c. 5) : « Nonne, inquit, vere *crucifixus est Deus* ? Nonne vere mortuus, ut vere crucifixus ?»[2]— Abstinemus a referendis posteriorum Patrum sententiis, quæ certatim divinitatem Christi resonant.

[1] — Vide *de Deo trino*, Disp. VII, Q. I, aa. 1-2.— Evangelium *Joannis* tam luculenta præbet argumenta pro divinitate Christi, ut *Rationalistæ* satius duxerint illud repudiare.

[2] — Tres illos antiquitatis testes citavimus ex *Patrol. Migne.*— Cf. Petavium, *de Incarn.* l. III, c. 9 ; — Mgr Ginoulhiac, *Hist. du Dogme cath.*; — Zigliara, *Propaedeutica*, l. III, c. 17 ; etc.

c) Non solum mysteria *vitae Christi*, scil. nativitas ex Virgine, Magorum adoratio, descensus Sp. Sancti in baptismo, transfiguratio, tempore mortis naturæ commotio, etc., hominem-Deum revelant[1], sed tota Christianismi œconomia, Redemptionis adæquatæ ratio, Ecclesiæ infallibilitas, sacramentorum, præsertim SS. Eucharistiæ, institutio, cultus liturgicus idem dogma subaudiunt et demonstrant.

Prob. 2° contra *Incredulos* et *Rationalistas*.

a) Certum est ex historia,— et id ipsi increduli fassi sunt, — *gentes* ante Christum intima quadam præsensione *exspectasse* Liberatorem, Regem, Dominatorem, imo et *Deum*, qui collapsum mundum restauraret hominesque ab imperio mali eriperet[2]. Porro adventus Christi (seu Salvatoris illius quem Deum confitemur) gentium exspectationi adamussim respondet tum quoad finem humanæ reparationis, tum quoad plerasque circumstantias divinæ ejus missionis[3]. Ergo.

b) Item, Christus non modo implicite, sed et explicite sæpius *affirmavit* se esse Deum tum coram discipulis, tum coram populo, tum coram judicibus suis, illaque affirmatio reperitur non solum in Evangelio Joannis quod adversarii (immerito sane) respuunt, verum etiam in aliis Evangeliis minus eis suspectis. Atqui tam solemnis assertio, quam nullus homo de se unquam pronuntiare ausus est, nisi Christus esset verus Deus, aut amentiam aut imposturam insignem demonstraret : quæ tamen duo valde aliena sunt ab ingenio et charactere Christi, ut ipsi *Strauss* et *Renan* fatentur. Ergo.

c) Amplius, constat ex utraque historia tum ecclesiastica tum profana[4] inde ab initio viguisse apud Christianos fidem in divinitatem Christi ; quam quidem *fidem universalem* et *perpetuam*, omnibusque armorum, passionum ac superbientis rationis obstaculis superiorem, professi sunt docti simul et indocti, Apostoli, principes, martyres, etc. Porro talem tantamque totius mundi christiani attestationem nemo rejicere potest, quin simul Dei sapientiam et providentiam negare cogatur. Ergo.

[1] — Cf. Portmans, *La Divinité de Jésus-Christ* vengée des attaques du Rationalisme contemporain (1887).

[2] — Hinc illud *Sibillae Erythraeae* in carmine relato ab *August.* (de Civ. Dei, l. XVIII, c. 23) :

E coelo Rex adveniet per saecla futurus.

[3] — Aug. Nicolas, *Etudes phil. sur le Christian.*, t. II, l. II, ch. 4-5.

[4] — Cf. celeberrimum testimonium *Josephi Flavii*, l. XVIII Antiquit.; — Origen. *contra Celsum ;* — Plin. *ep. ad Trajanum.*

d) Præterea, Christus, veluti *suam*, proposuit *doctrinam* cum speculativam tum practicam quæ longe vires humanæ mentis cordiumque sensus excedit, quæque inter celebratiora philosophorum systemata religiosa ac moralia incomparabiter præcellit. Atqui solus Deus poterat tam sublimia de se rebusque divinis edocere, eamque mirabilem humanis facultatibus perfectionem afferre. Ergo.

e) Rursus, non solum Christus *miracula* patravit, sed ea operatus est quasi ex *propria potestate*, non orando tantum, sicut alii ; unde dicitur quod *virtus de illo exibat et sanabat omnes* (Luc. VI, 19) : idemque Patres testati sunt. Etiam opera illa ad inculcandam doctrinam, qua se Deum dicebat, perfecit. Atqui, velint nolint rationalistæ, vis faciendi opera tam mirabilia solius Dei est, quin ulli virtuti creatæ principaliter attribui queat ; nec Deus potest falsum miraculis confirmare. Ergo[1].

f) Denique tanta fuit efficacia doctrinæ Christi ut mentes hominum, a pessimis erroribus revocans, per *omnia* tempora et in *omnibus* regionibus sibi fidelissimas subjecerit ; tam late quoque tamque profunde influxus ejus irrepsit ut individuorum mores, societatem, scientias, litteras, artes, vi quadam inaudita penitus *transformaverit*. Atqui effectus universalior ad causam universaliorem reducendus est. Ergo non virtute creata ac finita, sed increata divinaque sibi propria, Christus ad unitatem doctrinalem, moralem ac socialem, plerasque gentes tempore indoleque diversas coëgit[2].

Conclusio 2ª.— UNIO VERBI INCARNATI FACTA EST NON IN NATURA, SED IN PERSONA ; QUO AUTEM MODO, SUBSEQUENTER DECLARATUR.

1ª *Pars* definita continetur in *CC. Ephes.* et *Chalced ;* Patres enim Chalced. professi sunt Christum constantem ex dualitate naturæ « *in unam personam* atque subsistentiam

[1] — Vid. III, Q. XLIII, a. 4 ; ubi sic arguit *Cajetanus* : « Aut conceditur Christum fecisse miracula relata in Evangelio, aut non. Si conceditur, habetur illius deitas, ut patet... Si non conceditur, tunc habetur etiam illius deitas ex hoc *maximo miraculorum* quod pauperculus, juvenis, indoctus, ex gente exosa (Judæus scil.), persecutionem cum tot ludibriis et mortem turpissimam passus, derelictus, dicens se Deum, habitus fatuus a suis, a Judaeis, ab Herode, a Pilato, absque miraculis promittens mortem et mala omnia, post mortem suam per pauperes piscatores, indoctos, exosos omnibus, morti obnoxios, etc., absque miraculis contra totum mundum idola colentem pugnans superaverit. Vacate ergo et videte, quoniam ego sum Deus.»

[2] — De dogmate Divinitatis Christi cfr. inter alios Zigliara, *Propaedeutica*, l. III, c. 14-17 ; — Freppel. *Conf. sur la Divin. de J.-C.;* — Monsabré, *Conf.* 1878 ; — Portmans, *op. cit.* Hic auctor speciatim contra Strauss et Renan congressus est.

concurrente, non in duas personas partitum aut divisum.» Accedunt diversa *Symbola.*

1° *a*) Hæc veritas non est nisi *consectarium* præc. conclusionis : quippe quando duo supposita vel personæ distinguuntur, unum proprie non dicitur alterum. Atqui Christus-homo est verus Deus : ergo conjunctio naturæ humanæ et divinæ in eo facta est secundum unitatem personæ seu in persona.— *b*) Item omne quod factum est aliquid, est illud quod factum est secundum identitatem suppositi vel personæ. Atqui *Verbum caro factum est* (Joan. I, 14) : ergo.— *c*) Præterea, pronomina demonstrativa ad personam vel suppositum referuntur. Atqui homo-Jesus dixit de se (Joan. X, 30) : *Ego et Pater unum sumus.* Ergo[1].

2° En *ratio* ab Auctore proposita.— Secundum dogma catholicum (prout ostensum est) natura humana distincta manens a natura divina, vere tamen Verbo Dei unita est ; quod qui negaret, ipsam Incarnationem totamque fidem christianam subrueret. Atqui vera illa unio humanitatis cum Verbo alia esse non potest quam unio *in persona ;* ergo. *Min.* constat, quia omne quod proprie inest alicui personæ, sive pertineat ad naturam ejus, sive ad partes integrantes, ut manus, sive ad accidentia inhærentia, ut color, unitur ei in persona ; accidentia autem extrinseca, ut vestis, locus, etc., nec vere insunt personæ, nec unionem personalem constituunt. Igitur, dum unio inhabitationis, affectus vel honoris, quam fingebat Nestorius, Incarnationem tollit, sola unio in persona eam salvat.

2ª *Pars* versatur circa *modum* quo explicanda sit (quantum fieri potest) unio hypostatica Verbi cum natura humana.

1° *Opinio Scoti* aliorumque superius recitata (quam philosophia suadet esse falsam) impar omnino est ad declarandum Incarnationis mysterium ; ex quo novum falsitatis argumentum derivatur.— *a*) Nam humanitas Christi Verbo conjungitur ut, non jam propria personalitate, sed personalitate Verbi *subsistat.* Porro, cum Scotus doceat humanitatem Christi *actu* continere omnem realitatem substantialem pertinentem ad cæteros homines, addita tantum adjectione ad Verbum, non apparet in tali hypothesi cur naturæ humanæ in Christo deesset ratio totius completi ideoque proprii suppositi : quippe nihil, per solam additionem ad aliud nullaque amissa realitate, ex completo fit incompletum in eo in quo de se complementum habet. Gauderet igitur Christi humanitas perseitate, si non incommunicabilitatis, saltem subsis-

[1] — Vid. plura apud. *S. Thom.*, C. G. IV, 34.

tentiæ et independentiæ : quod sapit Nestorianismum.— *b*) Cum vero, juxta rei veritatem, persona Verbi *suppleat* personalitatem humanam, ultro consequitur hanc postremam constitui per quidpiam positivum realiter a natura singulari distinctum ; quod etsi non possit seorsum a natura consistere, certe tamen impediri potest.

Opinio *Suarezii* consentientis cum Scoto, pro quanto multiplicat in Christo substantiales existentias, rejici debet tum ex eis quæ mox dicenda sunt, tum ob ea quæ disputabuntur infra (Disp. IV, Q. II, a. 2).

2° Sententia de *distinctione reali-modali* naturam inter et suppositum ea est quæ aptius congruit explanandæ Incarnationi.— *a*) Siquidem per illam recte deprehendimus subsistentiam Verbi, *complendo* ac terminando naturam humanam, *supplere* vices humanæ personalitatis, scil. termini connaturalis qui sponte ex humanitate resultasset nisi (ut ait *S. Thomas*) a Verbo impeditus fuisset.— *b*) Eadem ex sententia planius intelligitur quomodo Verbum Dei sit subjectum *quod* temporalis *filiationis*; quippe filiatio, sicuti existentia, non subjectatur in natura nisi secundum quod hæc suppositaliter terminatur[1]. Terminum autem istum esse oportet realitatem quamdam aut creatam aut increatam, qua natura fiat ultimo idonea existentiæ et efficientiæ.— *c*) Perperam cl. *Billot* (*de Verb. inc.* pp. 121-122) Thomistas reprehendit, quasi in eorum sententia Verbum supplens modum substantialem naturæ humanæ non haberet hanc naturam ratione univoca : siquidem speciei univocatio sumitur a natura, *qua talis* est, non a natura qua personata per suum terminum.— *d*) Quia vero subsistentia Verbi divini non est nobis quidditative nota, nequimus reapse scrutari eminentiorem modum quo persona Filii Dei subrogatur humanæ personalitati ; et in hoc radicaliter consistit Incarnationis mysterium.

3° Concludimus in præsenti materia humanam philosophiam plurimum lucis ex fide mutuari, quatenus doctrina propugnans distinctionem realem inter essentiam et existentiam, ac naturam et suppositum, eo ipso quod dogma Incarnationis illustrat, ab eodem dogmate mire illustratur ac confirmatur.

Coroll.— 1° Sequitur ex dictis Filium Dei non assumpsisse *personam*, sed naturam tantum : secus, vel persona humana corrupta fuisset in assumptione, quod repugnat ; vel actu remaneret, quod Nestorianum est (Q. IV, a. 2).— 2° Nec proprie Verbum assumpsit *hominem*, prouti determinatum

[1] — *Sum. th.*, III, Q. XXXV, a. 1.

est in *Conc. Ephes :* siquidem nomen *homo* significat humanam naturam in supposito existentem ; nullum autem suppositum assumptioni præintelligi potest. Idcirco locutiones hujusmodi , si quæ reperiantur apud Patres, *pie* sunt exponendæ, quatenus sumatur *homo* quoad naturam et assumptio quoad terminum in quo Filius Dei est homo (*ibid.* a. 3).

Solv. obj. (cont. 2am concl.).— Obj. 1.— Persona in Deo idem est ac natura. Atqui constat unionem non fuisse factam in natura : ergo neque in persona.

Resp. *D. M :*. . . secundum rem, *C ;* secundum rationem seu modum significandi, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Una eademque res, Deus, significari potest aut per modum *quidditatis* aut per modum *subsistentiae*, secundum quod eminenter duplicem actum formalem exercet. Quia vero natura humana unitur Verbo, non secundum rationem complendæ vel transmutandæ naturæ, sed ut Verbum in ea subsistendi actum exerat, ideo unio humanæ naturæ ad Verbum Dei facta est in persona, non in natura.

Obj. 2.— Natura humana habet in Christo quidquid ad suî dignitatem pertinet. Atqui personalitas maxime ad dignitatem hominis pertinet. Ergo humana natura in Christo habuit propriam personalitatem.

Resp. *C. M.*— *D. m :* i. e. pertinet ad humanam dignitatem per se tantum existere, *N ;* pertinet. . . existere vel per se vel melius in aliquo digniore, *C.*— *Neg. conseq.*

Subsistere, quod est personalitatis proprium, certe perfectionem dicit. At dignius est alicui *in alio superiore* existere seu subsistere quam existere *per se.* Quam ob rem humana natura, prouti personæ Verbi suppositaliter unitur, dignior est in Christo quam in nobis, ubi per se existens propriam personalitatem habet ; sicuti v. g. nobilius est in homine *sensitivum* per nobiliorem formam completum quam in bruto animali, in quo ipsum est forma speciei completiva.

Obj. 3.— Persona (juxta Boëtium) est « rationalis naturæ *individua* substantia.» Atqui Verbum Dei assumpsit naturam humanam individuam. Ergo.

Resp. *D. M :*. . . i. e. essentia singularis tantum, *N ;* substantia per se separatim seu incommunicabiliter subsistens, *C.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Non quodlibet individuum substantiale etiam in rationali natura habet rationem personæ, sed solum illud quod per se existit, quin alicui perfectiori communicetur. Qua de causa manus Petri, etsi sit quoddam individuum seu singulare, non tamen persona est ; quippe non est substantia completa,

sed pars substantiæ subsistens, non per se, sed in aliquo perfectiori, scil. in suo toto. Licet ergo *haec* humana Christi natura sit quoddam individuum in genere substantiæ, quia tamen *non per se separatim* existit, sed in persona Dei Verbi, consequens est quod non habeat propriam personalitatem ; ideoque facta est unio in persona[1].

ARTICULUS III.

Utrum unio Verbi incarnati facta sit in supposito vel hypostasi.

Quæstionem hanc, jam secundum *rem* in præcedenti articulo enucleatam, proponit D. Thomas gratiâ refutandæ *falsae* cujusdam *opinionis* majorisque lucis tanto mysterio affundendæ.— *Suppositum* non differt ab *hypostasi* nisi secundum modum significandi : utrumque enim nomen significat primam seu individuam ultimoque terminatam substantiam, at suppositum modo logico seu per modum nominum secundæ intentionis, hypostasis vero modo reali primaque intentione.— *Quidam* igitur ignorantes habitudinem hypostasis ad personam, licet concederent in Christo unam solam personam, posuerunt tamen aliam hypostasim Dei et aliam hominis, perinde ac unio esset facta in persona, non in hypostasi : certe decepti sunt.

Conclusio.— Unio Verbi incarnati facta est in supposito vel hypostasi ; quod *de fide* est, juxta id quod decrevit *Conc. Ephes.* (œcum. III, an. 431) can. 2 : « Si quis non confitetur carni secundum subsistentiam (*hypostasim*) unitum ex Deo Patre Verbum, unumque esse Christum cum sua carne... Deum et hominem, A. S.»

1° Sane cum persona non addat super hypostasim nisi determinatam naturam, scil. rationalem, *idem est* attribuere humanitati Christi propriam hypostasim et personam propriam : quod est Nestorianum aperteque reprobatum fuit in *Conc. œcum. V* (Cpolitan. II, an. 553) can. 5 : « Si quis introducere conetur in mysterio Christi duas subsistentias seu duas personas, A. S.»; subsistentia enim sumitur pro hypostasi.— 2° Si quid persona super hypostasim adderet in quo unio fieri posset, hoc nihil aliud foret quam proprietas ad *dignitatem* pertinens. Atqui unionem factam esse tantum secundum quamdam dignitatis seu honoris communionem,

[1] — Vid. plures objectiones ap. Billuart, *de Incarn.* Diss. IV, a. 1.

contendebat quidem Nestorius ; qui propterea damnatus est in *Conc. Ephes.* can. 3 : « Si quis in uno Christo dividit subsistentias post adunationem, sola copulans eas conjunctione quæ secundum dignitatem quamdam vel auctoritatem est... A. S.»— 3° Operationes et proprietates naturæ in concreto attribuuntur hypostasi, quæ idcirco vocatur suppositum, utpote prædicationem *attributorum* recipiens. Atqui operationes et proprietates humanitatis Christi de ipsa hypostasi Verbi verificantur, puta esse passum, crucifixum, etc., contrarium reprobante *Conc. Ephesino*, can. 4 : « Si quis personis duabus vel subsistentiis eas, quæ sunt in evangelicis et apostolicis Scripturis, impartitur voces... A. S.» Ergo.

Ex præcedentibus *tria colligere* fas erit (art. 4) : — 1° Persona sive hypostasis Christi, spectata secundum id quod est *in se*, est *omnino simplex*, sicut et natura Verbi.— 2° Attamen si spectetur secundum *rationem hypostasis*, cujus est subsistere in aliqua natura, dici potest *composita :* siquidem omne illud, in quo duo conveniunt, potest dici ex eis compositum. Atqui in persona Christi divina humanaque natura conveniunt secundum duplicem subsistendi rationem. Ergo.— 3° Verum compositio hæc talis est quæ omnem imperfectionem abjicit. Etenim compositio aut est complexio *partium* ex qua efficitur esse totius ; aut conjunctio extremorum in aliquo uno *communicante esse extremis* unitis. Primum quidem compositionis genus claudit imperfectionem incompossibilem cum perfectione divinæ personæ, non vero aliud[1].

Solv. obj.— Obj. 1.— Ut loquuntur Patres (*Aug.* in Enchir., *Leo P.* ad Flavian.), de Christo dicitur aliud et aliud. Atqui aliud et aliud differunt supposito. Ergo.

Resp. *D. M :* Ipse Christus ratione *suî* dicitur aliud et aliud, *N ;* in Christo ratione *naturarum* aliud et aliud agnoscuntur, *C.*— *D. m :* in creaturis, *C ;* absolute, *N.*— *Neg. conseq.*

Sicut accidentalis differentia facit *alterum*, ita differentia essentialis facit *aliud*. Porro manifestum est posse idem numero suppositum diversis accidentibus subesse, non autem diversis essentiis subsistere, excepto tamen Christo subsistente in duabus naturis. Unde quemadmodum alterum et alterum in creaturis non significant diversitatem suppositi, sed solum diversitatem accidentium, ita etiam aliud et aliud (non in creaturis, sed in Christo) important cum identitate suppositi solam naturarum diversitatem, præsertim si verba

[1] — Cf. Cajetanum in Q. II, art. 4 ; — Billuart, Diss. IV, a. 2.

illa in modo prædicandi non tam Christum quam Christi naturas appellent.

Obj. 2.— Hypostasis nihil aliud est quam substantia particularis. Atqui in Christo viget præter hypostasim Verbi substantia particularis, i. e. hæc humanitas. Ergo.

Resp. *D. M:*... prout est in suo *complemento*, *C ;* secundum quod venit in unionem alicujus magis completi, *N.*— *C. d. m :*... substantia perticularis seu humanitas per se ultimo terminata, *N ;* terminata per suppositum Verbi, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Christus, secundum quod homo, continetur sub specie humana. Atqui nequit sub specie humana contineri nisi tanquam hypostasis quædam humanæ speciei. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :*... i. e. nisi subsistat *in* humana natura, cujus ratione individuum in humana specie collocatur, *C ;* nisi sit hypostasis resultans *ex* humana natura, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

De proprietatibus Unionis hypostaticae.

(Q. II, aa. 5-9)

Præstitutis iis quæ ad constitutionem unionis Verbi incarnati pertineant, subjicienda sunt quæ unionem illam, qua unio est, *proprietatum* ad instar, subsequi intelliguntur.— Tria indaganda se præbent, nempe an unio Verbi Dei cum natura humana sit necne *substantialis*, an sit aliquid *creatum*, an quadamtenus saltem dici debeat *maxima* unionum.— Doctrinam D. Thomæ in tres conclusiones cogemus.

Conclusio 1ª.— Unio Verbi incarnati facta dicenda est neque secundum essentiam, neque secundum accidens, sed secundum subsistentiam seu hypostasim, ita ut proprie hypostatica nominetur (art. 5-6).— Id *fide* sancitum est tum in *Conc. Ephes.* jam citato, tum in *Syn. œcum. V*, can. 4: « Sancta Dei Ecclesia, utriusque perfidiæ (Eutychianæ et Nestorianæ) impietatem rejiciens, unionem Verbi Dei ad carnem confitetur *secundum subsistentiam.*»

1° Revera prædicta unio fieri non potuit nisi vel secundum *essentiam*, vel secundum *accidens*, vel secundum *subsistentiam* seu hypostasim.— Porro *a*) primum ipse est error *Eutychianorum* qui confitebantur Christum esse *ex* duabus naturis, quasi ante unionem distinctis, non autem *in* duabus

naturis, quasi post unionem cessante naturarum distinctione. Error vero ille superius (art. 1) profligatus est.— *b*) Secundum tuentur *Nestoriani aliique* quorum opinio fuit negandam esse in Christo unionem animæ et corporis (ne secus humana hypostasis ex ea resultet) conjungique hæc duo Verbo accidentaliter, sicut vestis unitur supposito vestito. At errorem Nestorianum satis superque jam refutavimus ; nec ullum latere potest, ad rationem humanæ speciei ideoque ad *veritatem humanitatis* Christi, quam totus supponit Christianismus, requiri ut anima corpori uniatur tanquam forma materiæ.— *c*) Rejecta igitur unione tum essentiali tum accidentali, superest ut agnoscamus in Christo unionem substantialem seu *hypostaticam.*

2° Ad clariorem rei evidentiam notanda est distinctio quam *Cajetanus* (*Comm.* in art. 6) adducit inter uniri alicui *in hypostasi* et *secundum hypostasim.* Etenim uniri in hypostasi sibi vult inesse alicui quomodocumque, unde accidens, puta albedo, unitur homini in persona ; uniri autem secundum hypostasim addit conjunctionis modum, scil. *per modum subsistentis*, unde quod non est aptum subsistere, ut accidens, nequit tali modo uniri, bene tamen caput, quod pertinet saltem partialiter ad lineam substantiæ. Atqui unio Verbi incarnati ita perfecta est ut Verbum subsistat in natura humana et natura humana ex Verbo subsistentiam sortiatur. Ergo unio illa non solum facta est in hypostasi, quod etiam accidentali conjunctioni convenire potest, sed amplius secundum hypostasim, unde habet esse substantiale.— *Conf. exemplo* (art. 6 ad 2). Sicut enim corpus in resurrectione animæ præexistenti conjungetur, ita quodammodo humanitas in Christo personæ Verbi copulata est. Atqui corpus, secundum quod ad esse substantiale animæ assumetur, eidem substantialiter, non accidentaliter, sociabitur. Ergo et unio Verbi cum natura humana substantialis affirmari debet seu hypostatica.

3° In sermonibus et controversiis Christologicis, *Patres*, etsi unitatem Personæ in dualitate naturarum tenerent, non tamen statim et veluti primo gressu ad exactam dogmatis catholici formulam devenerunt, sed paulatim voces magis congruas tam singulari mysterio, veteribus philosophis impervio, significando adaptarunt. Id, præeunte *S. Basilio*[1] qui jam (*Epist.* passim) hypostasim ab essentia in Trinitate distinxerat, maxime effectum est operâ *S. Cyrilli Alex.*[2] qui

[1] — Hurter, *Th. dogm. comp.*, Vol. II, Tract. VII, th. 142, in nota.
[2] — Cf. Petavium, *de Incarn.* l. III, c. 4, n. 10.

præcipuus exstitit Nestorianismi debellator ; post quem, nomen *hypostasis* pro persona ac subsistentia usu theologorum et Ecclesiæ communiter fuit acceptum. Unum textum *S. Cyrilli* afferamus (l. I cont. Nestorium, c. 1) : « Carnem, inquit, factum esse illud ex Deo Patre Verbum ait Scriptura divinitus inspirata, h. e. carni sine confusione et *secundum hypostasim* unitum.» Ita etiam loquitur in Epist. 2 ad Nestorium, in Anathematismo 2, etc.

Conclusio 2ª.— UNIO NATURÆ DIVINÆ ET HUMANÆ, FORMALITER SUMPTA, EST ALIQUID CREATUM, SCIL. REALIS RELATIO ASSUMPTIONEM CONSEQUENS (art. 7-8).

1° *Praenotetur* unionem sumi posse dupliciter, nempe vel *formaliter* pro relatione inter duas naturas conjunctas in una persona Filii Dei, vel *fundamentaliter* pro illo esse personali in quo ambæ naturæ conveniunt. Ex dictis constat unionem, hoc postremo sensu acceptam, quiddam esse substantiale et increatum, quod est esse Verbi subsistentis in utraque natura, licet ex tempore natura humana divinum illud subsistere sortita sit.— Nunc agitur de unione, ut *relatio* est.

2° *Prob. concl.*— Omnis relatio vigens inter Deum et creaturam realiter est in creatura, non autem in Deo ; siquidem innascitur per mutationem creaturæ, immutato Deo : ergo et relatio naturæ divinæ et humanæ, fundata in communi subsistentia Verbi, reale esse habet in humanitate Christi, correspondente ex parte Dei relatione rationis. Atqui quidquid realiter est in creatura, creatum est. Ergo.— Quamvis autem Verbum nullam in se mutationem passum fuerit qua realiter referatur ad humanitatem, veraciter *homo* est, in quantum vere habet naturam humanam reali vinculo sibi copulatam.

3° Ex notione unionis *colligitur* eam ab *assumptione realiter* discriminari.— *a*) *Prima* et *principalis* differentia est quod assumptio non significat relationem, ut unio, sed *mutationem* ex qua relatio illa resultat : quam quidem mutationem *assumptio* exprimit per respectum ad principium assumens, *incarnatio* autem et *humanatio* per respectum ad rem assumptam.— *b*) *Secunda* differentia est, quia assumptio dicitur sicut *in fieri*, unio autem sicut *in facto esse ;* unde unitum prædicatur de uniente, i. e. Filius Dei est homo, non autem assumptum de assumente, nam Filius Dei non est natura humana.— *c*) *Tertia* differentia habetur, quia unio *nullum extremorum determinat*, dum assumptio dicitur quasi ab alio ad se sumptio ; unde indifferenter dicitur natura divina unita humanæ et humana divinæ, non autem natura divina dicitur assumpta ab humana.

Conclusio 3ª. — UNIO DUARUM NATURARUM IN CHRISTO, EX PARTE EJUS IN QUO CONJUNGUNTUR, MAXIMA EST.

Unio modo sumitur, non jam pro relatione, quippe quæ gradus non admittit, sed pro relationis fundamento, scil. pro *conjunctione* aliquorum in aliquo uno. Quapropter potest unio Incarnationis dupliciter accipi : *uno modo* ex parte eorum quæ conjunguntur ; *alio modo* ex parte ejus in quo conjunguntur. Atqui, quamvis unio illa non sit maxima ex parte conjunctorum quæ infinite distant ; tamen simpliciter seu ex parte ipsius *vinculi conjunctionis* præeminentiam sibi vindicat inter alias uniones : ratio est, quia unitas personæ divinæ, in quam coëunt duæ naturæ, maxima est, increata, per se subsistens, nec in aliquo participata vel ab alio completa. Unde omnem unitatem creatam excedit.— Imo sub *aliquo* respectu, i. e. sub respectu personali, magis est homo-Christus in Filio Dei quam Filius in Patre propter identitatem suppositi.

Solv. obj. (cont. 1ªm concl.) — OBJ. 1.— Dicit Ap. (Phil. II, 7) de Filio Dei : *Et habitu inventus ut homo.* Atqui habitus accidentaliter advenit ei cujus est. Ergo.

RESP. *D. M* :... et hæc similitudo tenet in omnibus, *N ;* quoad aliqua, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

1° Ut *Damascenus* ait (de Fid. Orth. l. III, c. 26), « non necesse est exempla esse rebus prorsus similia ac hujusmodi ut nihil omnino desideretur... Nam quod omni ex parte simile est, ea ipsa res est, non exemplum, idque potissimum in Deo.»— 2° Humanitas in Christo assimilatur habitui seu *vestimento*, non ob accidentalem unionem, sed præsertim quantum ad duo : *a*) *primo*, quantum ad hoc quod Verbum se nobis visibile exhibet per humanam naturam, sicut homo per vestimentum ; *b*) *secundo*, quatenus, sicuti vestis mutatur ac formatur secundum figuram induentis quin iste mutetur, ita humanitas meliorata accessit ad Verbum absque Verbi mutatione.

OBJ. 2.— Quod advenit alicui post esse completum, ei unitur accidentaliter. Atqui natura humana ex tempore advenit Verbo habenti esse perfectum. Ergo.

RESP. *D. M* :... si non trahatur in communionem illius esse completi, *C ;* si in illius esse consortium vocetur, *N.*— *C. d. m* :... advenit Verbo jam perfecto, quin ideo assumpta fuerit ad unum esse, prout est naturæ, *C ;* nec assumpta est ad unum esse, prout est hypostasis vel personæ, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Quidquid non pertinet ad naturam seu essentiam alicujus rei, est accidens ejus. Atqui natura humana non pertinet ad essentiam seu naturam divinam Filii Dei. Ergo.

Resp. *D. M :* Quod non pertinet neque ad naturam neque ad suppositum... *C ;* quod non pertinet ad naturam, pertinet tamen ad suppositum... *N.— C. d. m.— Neg. conseq.*

Accidens dividitur contra substantiam. Substantia autem dupliciter sumitur : uno modo pro *essentia* seu natura quam logici vocant substantiam *secundam ;* alio modo pro supposito vel *hypostasi*, quam vocant substantiam *primam*, scil. in quam primo mens convertitur. Quare unio accidentalis excluditur per conjunctionem hypostaticam, licet non sit facta secundum naturam.

Obj. 4.— Instrumentum accidentaliter unitur causæ principali. Atqui humanitas in Christo fuit Divinitatis organum seu instrumentum (Damasc., de Fid. orth. l. III, c. 15). Ergo.

Resp. *D. M :* Instrumentum separatum... *C ;* instrumentum conjunctum secundum unitatem hypostaticam, *N.— C. d. m.— Neg. conseq.*

Non omne quod assumitur ut instrumentum pertinet ad hypostasim assumentis, ut patet de securi vel gladio ; nihil tamen prohibet illud quod assumitur ad unitatem hypostasis consequenter se habere ut instrumentum, sicut corpus hominis vel membra ejus. Hujus generis fuit humanitas in Christo.

ARTICULUS V.

De causa unionis Verbi incarnati.

(Art. 10.12)

Ut conceptus genuinus Unionis hypostaticæ undequaque illustretur, disserendum superest de *causalitate* propria atque effectiva illius unionis. Qua in re *tria* inquiri poterunt, scil : *unum* de causa principali ; *aliud* de dispositione meritoria ad unionem ; *tertium* de modo quo hæc unitio naturæ humanæ cum Verbo a sua causa processerit.

Conclusio 1ª.— Causa Incarnationis fuit gratuita Dei voluntas, a qua gratia unionis quasi potissimum donum prodiit, nulla mediante gratia habituali.

1ª *Pars :* — 1° evinci potest ex *S. Augustino* (l. de Præd. Sanct. c. 15) : « Eâ gratiâ, inquit, fit ab initio fidei suæ homo

quicumque christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus ; de *ipso Spiritu* et hic renatus, de quo est ille natus.»— 2° Cum elevatio ad Deum, ut est in se, essentialiter excedat naturæ facultatem, humana natura non potest secundum hanc elevationem sublimari sine gratuita Dei voluntate et actione. Porro elevatur natura humana in Deum dupliciter : uno communiori modo per *operationem*, qua scil. sancti Deum cognoscunt et amant ; alio modo singularissimo per *esse personale*, quatenus natura humana assumitur ad subsistentiam Filii Dei. Ergo tam excellens assumptio propriissimus est effectus gratuitæ Dei voluntatis et actionis.

2ª *Pars* exhibet Incarnationem veluti gratiam *potissimam*, quam theologi vocant *gratiam unionis*.— Etenim gratia, quæ est accidens, constat similitudine quadam Divinitatis participata in homine ; per Incarnationem autem humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquam naturæ divinæ, sed ipsi Divinitati in persona Filii conjuncta esse agnoscitur. Jamvero majus est ipsa res seu rei substantia quam similitudo ejus accidentaliter participata. Ergo gratia unionis quodcumque aliud donum supernaturale præcellit.— In id conferri potest sententia Ap. (Coloss. II, 9) quod in Christo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter :* quippe gratia illa hypostatica attingit, non animam tantum, ut gratia habitualis, sed totum humanum *compositum* ex anima et corpore, et hoc secundum plenitudinem divinæ *substantiae*.

3ª *Pars* vix declaratione indiget.— Quamvis enim ad perfectionem operationis requiratur habitus, tamen repugnat naturam supposito suo secundum esse substantiale copulari mediante aliquo accidente.

Conclusio 2ª.— NULLA MERITA CHRISTI PRÆCESSERUNT AUT PRÆIRE UTCUMQUE POTUERUNT INCARNATIONIS UNIONEM ; HANC TAMEN, NON QUIDEM MERITO CONDIGNO, SED CONGRUITATE QUADAM PATRES V. T. ET MAXIME B. VIRGO IMPETRARUNT.

1ª *Pars*, intellecta de *lege ordinaria*, communiter conceditur ; at nonnulli censent *absolute* fieri potuisse ut Christus mereretur suam incarnationem : quibus assentire renuimus. — Etenim nec tempore (ut posuit Photinus) nec naturâ purus homo præcessit Incarnationem, sed eodem instanti naturæ fuit Christus homo-Deus. Atqui operatio sequitur esse non solum naturæ, sed et suppositi cui tanquam principio *quod* attribuitur. Ergo neque fuit neque esse potuit ullum

Christi meritum respectu unionis hypostaticæ : quod *S. Augustinus* aperte confirmat (l. de Præd. Sanct. c. 15)[1].

2ª *Pars* negat quoque *merita sanctorum* saltem *condigna* seu importantia jus ad præmium.

1° Sane opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem, cui virtualiter *aequantur*, quæque in plena Dei fruitione consistit. Atqui unio Incarnationis secundum *esse* personale hunc beatificum *actum* absque proportione transcendit. Ergo non potest esse objectum meriti saltem condigni.— 2° Id quod universaliter *antecedit omne meritum* supernaturale, nequit proprie sub illo merito cadere. Atqui hujusmodi est non solum prima gratia, qua meremur, sed et Incarnatio a qua profluit gratia, juxta illud (Joan. I, 17) : *Gratia et veritas per J. Christum facta est.* Ergo.— 3° Bonum et meritum singularis hominis nequit esse causa boni totius naturæ. Atqui Incarnatio Christi est reformativa totius humanæ naturæ. Ergo.

3ª *Pars* additur, quatenus *SS. Patres V. T.* et *B. V. Maria*, desideriis ac petitionibus suis, *de congruo*[2] *impetrarunt* Incarnationem : « congruum enim erat, ait *S. Thomas* (art. 11), ut Deus exaudiret eos qui ei obediebant.»— Sicubi vero ab Ecclesia cantatur de B. Virgine quod « meruerit portare » Dominum, hoc intelligendum est, non quasi proprie merita sit Dominum incarnari, sed quia ex gratia sibi data illum meruit puritatis et sanctitatis gradum quo congrue posset eligi in Matrem Dei.

Conclusio 3ª.— GRATIA UNIONIS DICI POTEST HOMINI-CHRISTO NATURALIS, NON QUOD EX PRINCIPIIS NATURÆ HUMANÆ PROFLUXERIT, SED QUIA VIRTUTE DIVINÆ NATURÆ, A NATIVITATE CHRISTI ET VI EJUS CONCEPTIONIS, UNIO FACTA EST.

1° Cum natura dicatur aut essentia rei aut etiam nativitas, aliquid potest naturale nominari, sive quia procedit a principiis *essentialibus* rei, sive quia a *nativitate* contingit. Jamvero gratia unionis in Christo, haud secus ac gratia habitualis, nequit dici naturalis, quasi causata a *principiis essentialibus humanae naturae ;* propterea quod nulla naturæ nostræ progressio proprios ac specificos limites prætergredi valet.— 2° Verum eadem gratia unionis poterit vocari naturalis triplici ex titulo : *a) primo*, quia provenit in naturam humanam Christi *virtute* ejus *naturae divinae*, quatenus pertinet ad naturam divinam, ut est communis Trinitati, esse

[1] — Vid. plura ap. Billuart, Diss. V, aa. 1-2.
[2] — Cf. id., Diss. V, a. 3.

principium activum cujuslibet operis *ad extra ; b) secundo,* quia convenit Christo a *principio suae nativitatis* seu conceptionis ; *c) tertio,* quia singulari prædestinatione sic Christus conceptus est de Spiritu Sancto ut esset idem *naturalis Filius* Dei et hominis, secundum illud Angeli ad parituram Virginem (Luc. I, 35) : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi Ideoque* (quasi diceret, propter hanc conceptionis vim) *et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

QUÆSTIO SECUNDA

DE MODO UNIONIS EX PARTE PERSONÆ ASSUMENTIS

Incarnationem exploravimus secundum formalem unionis rationem. At unio hæc spectari debet non solum in se, verum etiam ex parte eorum quæ illam ingrediuntur : modo sermo erit de unione *ex parte personae assumentis.*— Quæstionem D. Thomæ sub hoc titulo propositam ad quatuor articulos reducemus sequenti ordine : quippe expedit investigare assumptionem naturæ vel respectu divinæ *personae* in genere (art. 1), vel respectu divinæ *naturae* cum persona identificatæ (art. 2), vel secundum varias hypotheses *possibilitatis* assumptionis ab una in specie vel pluribus personis unius vel plurium naturarum (art. 3), vel tandem secundum *congruentiam* assumptionis a determinata persona quæ est Filius Dei (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum personae divinae conveniat assumere naturam creatam.

Pauca circa titulum.— 1° *Assumptio* intelligenda est non de quocumque dominii exercitio, neque de quacumque actione unitiva, sed de evectione naturae creatae ad divinam *personalitatem.*— 2° *Persona* divina consideratur *in genere* et præcisione facta ab una vel altera e tribus personis ; unde non formaliter hic intenditur persona Verbi.— 3° Quæritur de *convenientia,* non quæ sensum exigentiæ promit, sed quæ meram congruentiam involvit.

Conclusio.— PROPRIISSIME COMPETIT PERSONÆ DIVINÆ ASSUMERE NATURAM CREATAM.— Thesis constat duabus partibus, quatenus munus assumendi convenit personæ divinæ, et in quantum *persona,* et in quantum *divina.*

1ª *Pars prob.*— Ei propriissime competit assumere naturam creatam cujus maxime est exercere actionem unitivam et naturam assumptam terminare. Atqui hæc duo maxime pertinent ad personam divinam : ergo. *Maj.* patet ex conceptu assumptionis quæ duo importat, *principium actus* et *terminum ;* dicitur enim assumere, quasi ad se sumere. *Min. ostend ;* videl. assumptionis persona est et principium et terminus. *a*) *Principium* quidem : nam personæ proprie competit agere, prout est suppositum *quod* actionem ponit. Atqui carnis sumptio in Incarnatione facta est per actionem divinam. Ergo. *b*) Similiter persona est hujus sumptionis *terminus*, eo quod unio facta est in persona, non in natura, et causa fuit ut natura humana in Verbo et per Verbum subsisteret. Ergo.

2ª *Pars* habet, munus assumendi naturam alienam soli personæ *divinae* convenire ad exclusionem cujuslibet personæ creatæ.

Prob : — 1° ex *D. Thoma* (resp. ad 2) : « Hoc est proprium divinæ personæ propter ejus infinitatem ut fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundum subsistentiam.»

2° *Ratione* ab Angelico indigitata.— Omnis subsistentia creata vel creabilis est necessario finita. Atqui ad terminandam alienam naturam requiritur subsistentia seu personalitas *infinita :* ergo. *Maj.* patet ; *min. ostend. a*) Etenim subsistentia creata et finita limitatur et specificatur per naturam cujus est terminus. Atqui implicat ut terminus *adaequatus* alicujus naturæ specificæ, idem manens, ad aliam naturam specificam terminandam extendatur. Ergo. *b*) Præterea, non posset subsistentia vel personalitas creata personare duas naturas distinctas nisi *eminenter* præhaberet vim subsistendi propriam illarum naturarum : ergo et plures quam duas, imo et infinitas naturas saltem inferiores per illam eminentiorem subsistentiam personare posset. Id autem competere nequit nisi subsistentiæ simpliciter infinitæ, quatenus præcontineat in aliquo communiore, scil. in ratione transcendentali et illimitata entis, innumeras rationes subsistendi proprias[1].

Solv. obj.— Obj. 1.— Personæ divinæ perfectio prohibet ne ei additio fiat. Atqui assumptio importat ut assumptum addatur assumenti. Ergo.

[1] — Vid. ampliora apud Cajetanum (in h. art.), Gonet, Billuart, etc.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... i. e. ut proprie addatur assumenti, *N ;* ut ei conjungatur tanquam perfectibile perfectivo principio, *C.*— *Neg. conseq.*

Cum persona divina, sicut et divina natura, sit infinite perfecta, non potest ei fieri *additio.*— Sed sicuti in unione filiorum adoptivorum per gratiam habitualem non additur aliquid Deo, sed quod divinum est ad perficiendum hominem extenditur, ita proportionaliter in unione secundum esse Filii naturalis nihil apponitur Deo, sed Deus *jungitur homini*, ut absque suî deterioratione hominem perficiat.

Obj. 2.— Id ad quod aliquid assumitur, ei quodammodo communicatur. Atqui de ratione personæ est ut sit incommunicabilis. Ergo.

Resp. *D. M* :... ei communicatur tanquam naturæ in qua subsistat, *C ;* tanquam supposito per quod subsistat, *N.*— *C. d. m* :... ut sit incommunicabilis phuribus suppositis, *C ;* pluribus naturis sive substantialibus sive accidentalibus, *N.*— *Neg. conseq.*

Persona dicitur incommunicabilis, in quantum non potest *de pluribus suppositis praedicari ;* nihil tamen prohibet *plura praedicari de ipsa persona.* Igitur minime rationi personæ repugnat sic communicari ut subsistat in pluribus naturis ; siquidem etiam in personam creatam plures possunt naturæ accidentaliter concurrere, v. g. quantitas et qualitas.

Obj. 3 — Persona constituitur per naturam. Atqui inconveniens est a re constituta assumi elementum constituens. Ergo.

Resp. *D. M* :... per naturam ex qua resultat, *C ;* quam ad se sumendo terminat, *S. d :* constituitur simpliciter, *N ;* secundum quod denominatur a tali natura, *C.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Natura humana non constituit personam divinam *simpliciter* seu quatenus *persona* est, sed tantum secundum denominationem, utique substantialem, a tali natura, seu in quantum est *humana :* non enim ex natura humana habet Filius Dei quod sit, quandoquidem ab æterno fuit, sed solum quod sit homo. Verum secundum naturam divinam simpliciter constituitur divina persona ; unde humanam, non divinam, dicitur assumere naturam.

ARTICULUS II.

Utrum divinæ naturæ conveniat assumere.

(Q. III, aa. 2-3)

Titulus declaratione indiget — 1° *a*) *Natura*, ut notat *Cajetanus* (in h. loc.), sumenda est non in abstracto tantum pro Deitate, sed et in concreto, secundum quod significatur nomine Dei et distinguitur contra personam simpliciter.— *b*) Quæritur an, posito Incarnationis facto, vere dici possit quod natura divina assumpserit naturam humanam, non solum ut id *quo* facta sit unio, sed etiam ut id *quod* assumpserit.— *c*) Hic sane *assumptio* accipitur univoce, scil. prout terminatur ad unionem personalem Verbi.

2° Memoranda est sententia *Durandi* qui, cum in Trinitate negaret subsistentias relativas personarum virtualiter distinctas a subsistentia absoluta Deitatis, ratus est personam Verbi subsistere in natura humana formaliter vi subsistentiæ essentialis, ideoque assumptionem *primo* et *immediate* convenire naturæ divinæ.

3° Cum natura divina dupliciter considerari possit, nempe vel secundum statum *realis* identitatis cum tribus personis, vel secundum hypothesim *logicam* in qua personalitas per intellectum ab ea abstrahatur, pro hoc duplici quæstionis adspectu duas conclusiones constituemus.

Conclusio 1ª.— CONVENIT SECUNDARIO NATURÆ DIVINÆ ASSUMERE, QUIN HOC PRÆJUDICET MUNERI ASSUMPTIVO QUOD VERBUM PRIMO ET PROPRIISSIME EXERCET.

1ª *Pars* ostend.— Assumere duo importat, scil. esse principium et terminum assumptionis. Atqui esse assumptionis principium convenit naturæ divinæ secundum seipsam, quia ejus virtute assumptio facta est ; esse autem assumptionis terminum non competit divinæ naturæ secundum seipsam, sed ratione personæ in qua consideratur et veluti illabitur. Ergo primo et propriissime persona dicitur assumere ; at *secundario* potest etiam dici quod natura assumpsit humanitatem ad suî personam.— Eo modo intelligi potest *SS. Athanasii* et *Cyrilli* dictum *Verbi naturam incarnatam esse*, nimirum non quasi sit in carnem conversa, sed quia naturam carnis assumpsit.

2ª *Pars* subjicitur contra *Durandum* et ad doctrinam D. Thomæ clarius explanandam.

1° Etenim ideo Durandus sententiam superius relatam invexit, quia putavit proprietates relativas, quibus personæ

divinæ constituuntur, non esse ex se et formaliter subsistentias. Atqui, quamvis divinæ illæ hypostases suam propriam seu relativam subsistentiam a subsistentia Deitatis absoluta mutuentur tanquam a *radice*, constat tamen ex doctrina *de Trinitate*[1] inter utramque, relativam scil. et absolutam subsistentiam, distinctionem virtualem intercedere ; siquidem subsistentia absoluta est incompleta in ratione personæ, completur autem et veluti specificatur per relationes subsistentes, personarum constitutivas. Ergo subsistentia relativa Verbi, completa in ratione personalitatis, vim habet *proxime* et *propriissime* terminandi suppositaliter naturam humanam[2].

2° Nisi hoc admitteremus, periculum foret impingendi in falsam consequentiam, quod Pater et Sp. Sanctus sint incarnati non minus quam Filius : subsistentia enim absoluta communis est tribus personis.— Tam absona positio concordaret cum errore *Sabellianorum* seu *Patripassianorum* qui dogmatizabant Filium non potuisse incarnari et pati sine Patre, quocum ejusdem est naturæ.

Conclusio 2ª.— ABSTRACTIS MENTE PERSONALITATIBUS QUAS FIDES PONIT, POSSUMUS INTELLIGERE NATURAM DIVINAM ASSUMENTEM ; IMO NON REPUGNAT A PARTE REI QUOD DEUS PER SUBSISTENTIAM ABSOLUTAM IMMEDIATE ASSUMAT NATURAM ALIENAM, PERSONIS EAM SECUNDARIO TANTUM TERMINANTIBUS.

1ª *Pars*, ut patet, non versatur circa Deum ut est *in se ;* siquidem tanta est Dei unitas et simplicitas ut nihil possit ab eo abstrahi, cæteris remanentibus ; sed abstractio sumenda est tantum *ex parte intellectus* modo suo, seu multipliciter et divisim, accipientis quod in Deo est unum.— Itaque remotis per intellectum proprietatibus personalibus quibus tres personæ divinæ constituuntur, remanebit in mente nostra subsistentia Dei absoluta secundum se terminata. Atqui subsistentia secundum se terminata, in natura intellectuali, est persona. Ergo sic habebitur una Dei personalitas, ut Judæi intelligunt, ad quam poterit assumptio terminari.

2ª *Pars* communis est inter *thomistas* atque consequitur ex admissa in Deo subsistentia absoluta distincta a subsistentiis relativis.— Nam (ait Billuart) quod est Deo ratio subsistendi in natura propria, potest esse illi ratio subsistendi in natura aliena. Atqui ex subsistentia absoluta habet Deus

[1] — Cfr. Tract. nost. *de Deo*, Disp. VIII, Q. II, a. 2.
[2] — Cfr. Cajet. in h. loc., Gonet, Billuart, etc.

ut subsistat in propria natura secundum perseitatem independentiæ. Ergo per illam subsistentiam potest sibi immediate unire naturam creatam, quae tunc secundario et mediate incommunicabilitatem suppositi a subsistentiis relativis sortietur.

Solv. obj. (cont. 1am concl.) — Obj. 1.— Assumere dicitur quasi ad se sumere. Atqui natura divina non sumpsit ad se naturam humanam. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :. . . non sumpsit *ad se* ut est natura. . . *C ;* ut est identica cum persona Verbi, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Quod convenit naturæ divinæ convenit tribus personis quibus natura communis est. Atqui falsum est quod Pater vel Sp. Sanctus assumpserit naturam humanam. Ergo.

Resp. *D. M :* Quod convenit naturæ divinæ *secundum se*. . . *C ;* quod convenit ei *ratione personæ* Verbi. . . *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Assumere est agere. Atqui agere convenit personæ, non naturæ. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :. . . non convenit naturæ ut principio *quo*, *N ;* ut principio *quod*, *S. d :* non convenit naturæ in abstracto, *C ;* non convenit naturæ in concreto, secundum quod est subsistens, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum una quælibet persona possit sine alia unam vel plures naturas, et plures personæ unam numero naturam, assumere.

(Art. 4-7)

Plura sub hoc generali titulo componuntur quæ S. Thomas per varios articulos edisserit, quæque, quanquam ad *possibilitatis* campum pleraque pertinent, scitu tamen utilia videntur, ut inde eorum quæ facta sunt in Incarnatione notitia illustrior capiatur.— Propositam materiam sequentium conclusionum limitibus comprehendemus.

Conclusio 1a.— Una persona potest sine alia naturam creatam assumere.

Sane assumptio importat non solum actum assumentis, sed et assumptionis terminum. Jamvero actus quidem assumentis procedit ex divina virtute, communi tribus personis, sed terminus unionis esse non potest nisi persona. Igitur,

licet id quod est *actionis* in assumptione commune sit tribus personis, tamen id quod pertinet ad rationem *termini* uni personæ exclusive competit. Unde *simpliciter*, agentibus tribus personis, sola persona Filii assumpsit naturam humanam.— Patet ex hoc *differentia* vigens inter assumptionem Incarnationis et assumptionem justorum per gratiam *adoptionis :* quippe hæc, ad participationem divinæ naturæ et bonitatis terminata, communis est tribus personis tum ex parte *principii*, tum ex parte *termini*.

Conclusio 2ª. — QUÆLIBET PERSONA DIVINA POTUIT HUMANAM NATURAM ASSUMERE.

Etenim duo ad assumptionem requiruntur, actio unitiva et terminus. Porro utrumque competit singulis personis divinis : ergo. *Min. decl. Primo*, virtus divina, qua assumendi actus exercetur, communiter se habet ad omnes personas ; siquidem est attributum essentiæ necessarium. *Secundo*, licet proprietates personales sint differentes, communis est tamen in tribus personis ratio personalitatis, qua persona terminativa est naturæ assumptæ. Igitur Pater vel Sp. Sanctus potuit carnem assumere, sicut et Filius.— Quod si *Pater* incarnatus fuisset, *a*) filius simul dici posset secundum nativitatem temporalem absque naturarum confusione ; *b*) non autem ejus incarnatio nuncupari posset *missio*, quia non esset Deus a Deo procedens.

Conclusio 3ª. — NON EST IMPOSSIBILE DIVINIS PERSONIS UT DUÆ VEL TRES UNAM NUMERO NATURAM ASSUMANT.— Agitur de personis divinis secundum quod propriis personalitatibus distinguuntur ab invicem ; et thesis militat contra *Scotistas*.

Prob : — 1° *a pari*. Persona incarnata subsist't in duabus naturis, divina scil. et humana. Atqui tres personæ divinæ consubsistunt in una eademque natura divina. Ergo etiam possunt subsistere in una natura humana, quam singulæ per se primo terminent.

2° Ex *intimiori ratione*.— Si quid propositæ conclusioni adversaretur, hoc esset vel ex parte personæ assumentis, vel ex parte naturæ assumptæ. Atqui neutro ex capite repugnantia datur : ergo. *Min. decl.— Non ex parte personæ assumentis ;* siquidem talis est divinarum personarum conditio quod una non excludit aliam a communione ejusdem naturæ, sed solum a communione ejusdem personæ.— *Non ex parte naturæ assumptæ : a*) nam in hac materia judicium ferendum est non secundum potentiam naturalem creaturæ, sed secun-

dum ejus potentiam *obedientialem*, quæ tam late patet quantum ipsa Dei omnipotentia. *b*) Verum equidem est unam personam totaliter terminare sua subsistentia naturam assumptam ; sed quia totalitas seu perfectio duplex est, *intensiva* et *extensiva*, una quælibet persona nonnisi totalitate intensiva actum terminandi alienam naturam exercet, adeo ut extensive locus detur alteri terminationi, eo ferme modo quo paternitas in creatis totaliter intensive ad unum filium refertur, extensive vero etiam plures alios, si nascantur, attingit. *c*) Eo magis id conceditur, quod ex variis proprietatibus relativis, quibus tres divinæ personæ constituuntur, triplex oritur *ratio diversa per se primo terminandi* unam naturam assumptam. *d*) Tandem advertenda est diversa habitudo naturæ creatæ ad *propriam* et ad *alienam* personalitatem. Cum enim propria personalitas ex ipsa natura constituatur, illa omnino istam adæquat et veluti exhaurit, nec posset sine contradictione natura *in se* terminata terminari simul *in alio* supposito ; at non repugnat ut eadem natura terminetur simul in pluribus suppositis alienis diversarum rationum[1].

3° Hac positione facta, scil. quod tres personæ assumerent unam naturam humanam, verum esset dicere personas illas esse *unum hominem*, propter unam humanitatis formam, non secus ac sunt unus Deus propter unam Deitatem, quin tamen sint *unus* simpliciter.

Conclusio 4ª.—UNA PERSONA DIVINA POTEST ASSUMERE DUAS NATURAS HUMANAS

1° *Prob.*—Assumptio hujusmodi possibilis est tum quoad principium, tum quoad terminum : ergo. *a*) Quoad *principium :* illud quod potest in unum et non in amplius, habet potentiam limitatam. Atqui potentia divinæ personæ infinita est, nec potest ad aliquid creatum limitari. Ergo. *b*) Quoad *terminum :* nam si non posset persona divina præter unam naturam assumptam, aliam terminare, sequeretur divinam personalitatem creata natura includi et comprehendi. Atqui hoc est impossibile, tum quia generatim increatum a creato comprehendi non potest, tum quia Deus infinitus est non solum natura et causalitate, sed etiam secundum vim subsistentialem et terminativam personæ. Ergo.

2° *Observandum* est quod in tali hypothesi, nempe si persona divina assumeret duas naturas humanas, propter unitatem suppositi diceretur *unus homo* habens duas naturas hu-

[1] — Cf. Cajetanum, Billuart, Satolli, etc.

manas. Ratio est, quia nominibus utendum est secundum quod sunt ad significandum imposita. Atqui usu communi nunquam nomen concretum ab aliqua forma impositum, sive in substantialibus, sive in accidentalibus, pluraliter dicitur nisi propter *pluralitatem suppositorum*, dum insuper exigitur ad multiplicationem nominis concreti substantivi *pluralitas formæ* significatæ. Hinc, quemadmodum ob defectum hujus postremæ conditionis tres personæ assumentes eamdem naturam humanam dicerentur *unus homo ;* ita, propter defectum primæ conditionis, una persona assumens duas naturas humanas *unus homo*[1] quoque denominaretur[2].

ARTICULUS IV.

Utrum fuerit magis conveniens quod persona Filii assumeret humanam naturam quam alia persona divina.

1° *Fide* constat ex Scriptura, Symbolis aliisque ecclesiasticis fontibus, solum *Filium de facto* incarnatum esse ; nunc autem quæritur de *convenientia* hujus facti.— 2° Jam ostensum est *absolute* seu de potentia absoluta fieri potuisse ut Pater vel Sp. Sanctus humanam carnem assumeret, propterea reaque in quæstione mox pertractanda id unum dubitationi subest, utrum ordini rerum a Deo constituto *conformius* fuerit Filium præ cæteris personis divinis incarnari ; quod ad *ordinatam potentiam* pertinet.

Conclusio.— Convenientius fuit ut persona Filii assumeret naturam humanam.

Prob.— Id in mysterio Incarnationis convenientius dici debet quod magis coaptatur tum *unioni* ipsi, tum *fini* unionis, tum *reparationi* peccati qua finis ille attingitur. Atqui incarnatio personæ Filii, præ cæteris personis divinis, ex triplici capite prædicto potiorem congruentiam desumit. Ergo. — *Min. decl.* per partes.

[1] — Cf. Billuart, Diss. VI, a. 4.

[2] — Nonnulli, nescio qua imaginatione ducti, hypothesim invexerunt hypostaticae unionis Verbi cum omnibus sanctis. Quod si ita intelligendum proponatur ut sancti retineant suam personalitatem, Nestorianam Incarnationis speciem habemus ; sin vero cujusque sancti personalitas corrupta a Verbo dicatur, praeter corruptionis hujusmodi repugnantiam (vid. supra, Q. I, a. 2), alia quoque ex praehabita doctrina sequeretur absurditas, nempe unum tantummodo, propter personæ Christi unitatem, sanctum haberi qui est Deus-homo.

1ª *pars : Incarnatio Filii magis congruit unioni.* — Sane convenienter ea quæ sunt similia uniuntur. Atqui Filius, secundum nomina *propria* propriasque rationes *Verbi* et *Imaginis*, præcipuam quamdam præ se fert similitudinem cum natura humana : ergo.— 1° *Verbi* Dei duplex attenditur convenientia, una quidem communis ad *totam creaturam*, alia specialis ad *hominem*, prout rationalis est. *a*) Cum enim verbum seu conceptus artificis sit similitudo exemplaris artificiatorum, Verbum Dei, quod est æternus divinæ mentis conceptus, totam creaturam exemplariter præhabet. Porro, in ordine naturæ, per participationem hujus exemplaritatis creaturæ sunt in propriis speciebus institutæ juxta mutabilem, qua constant, conditionem. Ergo, cum gratia naturam elevet secundum quamdam proportionis legem, conveniens fuit ut creatura per Verbi unionem, non participatam tantum, sed personalem, repararetur in ordine ad æternam et immobilem perfectionem. *Eo magis*, quia per eamdem artis formam, qua artifex artificiatum condidit, opus suum, si collapsum fuerit, restaurat. Itaque divinum opus, formatum per Verbum, erat Verbo reformandum. *b*) Præterea, *specialis* Verbo inest affinitatis necessitudo cum humana natura, quatenus est conceptus æternæ sapientiæ, a qua omnis sapientia hominum derivatur. Ergo, sicut discipulus instruitur per hoc quod recipit verbum magistri, sic optime homo in sapientia perficitur per arctiorem cum Verbo Dei conjunctionem, juxta illud (Eccli. I, 5) : *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Unde ad consummatam hominis perfectionem conveniens fuit ut ipsum Verbum Dei humanæ naturæ personaliter uniretur.— 2° Accedit ratio *Imaginis*, propria Filii Dei, secundum quam peculiariter convenit cum creatura reparanda, scil. cum homine, qui ad imaginem Dei factus est (Gen. I) ; quo sub respectu maxime « decuit ut Imago imaginem assumeret, increata creatam » (3 S. D. I, Q. II, a. 2).

2ª *pars : Incarnatio Verbi magis convenit fini unionis ;* — quod evincitur ex reliquis quæ Verbi *propria* sunt, scil. ex rationibus *Filii* et *mediæ Personæ*.

1° *a*) *Supremus* finis Incarnationis est gloria Dei, speciatim secundum ostensionem relationum quibus divinæ personæ inter se devinciuntur, et clariorem Trinitatis agnitionem. Jamvero in id certe confert incarnatio Filii : siquidem « convenit sibi ad Patrem et deprecatio et satisfactio, et alia hujusmodi, quæ in Patre auctoritatem demonstrant » (3 Sent. *loc. cit.*) ; præterea inde fit quod « qui in Divinitate est Dei Filius in humanitate sit Virginis filius, ut non sint

plures filii in Trinitate » (*ibid.*). *b*) Finis *proximior* Unionis est impletio prædestinationis eorum qui præordinati sunt ad hæreditatem cœlestem. Porro hæc hæreditas non debetur nisi filiis, secundum illud (Rom. VIII, 17) : *Si filii, et haeredes.* Itaque congruum fuit ut per eum, qui est filius naturalis, homines consequerentur hujus filiationis similitudinem seu adoptionem, juxta verba Ap. (*ibid.* v. 29) : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.*— 2° Si spectetur Verbum ut *media* in Trinitate persona, congruit ejus incarnatio potissimo effectui et fini qui in reconciliatione hominis ad Deum consistit : quippe « decet ut qui est medius sit et mediator » (3 Sent. *l. cit.*).

3ª *pars : Incarnatio Verbi magis convenit reparationi peccati,* qua finis unionis obtinetur.

Etenim quatuor inveniuntur Filio *appropriata :* sapientia, virtus, æqualitas, et species seu pulchritudo[1]. Jamvero hæc quatuor, in incarnatione Filii, apprime congruunt homini restaurando.— *a*) Congruit *sapientia,* quatenus homo, appetitu scientiæ dæmonisque astutia seductus, coelestis scientiæ artibus a peccato liberatur.— *b*) Congruit *virtus,* quasi brachium Patris, ad victoriam de hoste maligno capiendam ; (Luc. I, 51) : *Fecit potentiam in brachio suo.*— *c*) Pariter *æqualitas,* attributa Filio secundum unitatem cum Patre, consonat tum æqualitati justitiæ Deum inter et hominem restituendæ, tum naturæ morbi spiritualis seu peccati sanandi ; uterque enim, diabolus et homo, instigator et auctor humanæ ruinæ, peccaverat appetendo ille potentiæ, iste scientiæ Dei æqualitatem — *d*) Tandem *species* et *pulchritudo* congruit reparationi, in qua deformata per peccatum imago et pulchritudo Dei erat in homine per divinam artem reintegranda.

Solv. obj.— Obj. 1.— Per mysterium Incarnationis homines ad veram Dei cognitionem perducendi erant. Atqui ex hoc quod Filius est incarnatus præ Patre, multi inducti sunt in errorem, v. g. Ariani ponentes inæqualitatem personarum divinarum. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :*... occasionaliter et libero hominum defectu, *C ;* quasi ex incarnatione alterius personæ homo non potuisset occasionem erroris sumere, *N.*— *Neg. conseq.*

Nihil est quo humana malitia aut cæca perversitas non possit abuti, quando et ipsa Dei bonitate abutitur, juxta illud (Rom. II, 4) : *An divitias bonitatis ejus... contemnis ?* Unde

— *De Deo trino,* Disp. X, Q. I, a. 2.

etiamsi persona Patris fuisset incarnata, forte ex hoc homo alicujus erroris occasionem sumpsisset, æstimans Filium non potuisse ad humanam naturam reparandam sufficere.— Qui autem errores post incarnationem Filii suborti sunt, fidelium ingenia ad divinorum veritatem diligentius exquirendam et intelligendam exercuerunt, sicut et mala quæ in creaturis accidunt ad bonum a Deo ordinantur (C. G. IV, 55).

Obj. 2.— Incarnationis effectus videtur esse recreatio quædam humanæ naturæ. Atqui potentia creandi appropriatur Patri. Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :...* Patri agenti per Verbum, *C ;* independenter a Verbo, *N.— Neg. conseq.*

Prima rerum creatio facta est a potentia Dei Patris *per Verbum ;* nam *omnia per ipsum facta sunt* (Ioan. I, 3). Itaque et recreatio, auctore Patre, per Verbum fieri debuit, ut sic restauratio creationi responderet ; quod insinuatur (2 Cor. V, 19) : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Obj. 3.— Incarnatio ordinatur ad remittenda peccata. Atqui peccatorum remissio attribuitur Spiritui Sancto, ut patet ex Joan. XX, 22-23. Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :...* tanquam ei qui donum est Patris et Filii sibique idcirco *dona* gratiæ et caritatis appropriatione veluti formali adsciscit, *C ;* tanquam *auctori* et *mediatori* per quem dona illa potestative in mundum effunduntur, *N.— Neg. conseq.*

QUÆSTIO TERTIA

DE MODO UNIONIS EX PARTE NATURÆ ASSUMPTÆ

Perspecta unione hypostatica ex parte personæ assumentis, theologi mens in eamdem unionem pervestigandam *ex parte naturæ assumptæ* convertatur oportet.— Circa quod triplex consideratio occurrit. *Prima* est quantum ad *ipsam naturam*, sive secundum speciem (art. 1), sive secundum statum seu conditionem (art. 2) inspectam. *Secunda* est quantum ad *partes* naturæ assumptæ, quæ essentialiter sunt corpus (art. 3) et anima (art. 4). *Tertia* est quantum ad assumptionis *ordinem* (art. 5). Tres igitur D. Thomæ quæstiones in unam, præfato articulorum nexu dispositam, haud inconvenienter colligentur.

ARTICULUS I.

Utrum natura humana fuerit magis assumptibilis a Filio Dei quam aliqua alia natura.

Nonnulla *præmittantur.*— 1° Aliquid *assumptibile* dicitur, quasi aptum a divina persona assumi. Hæc autem aptitudo non potest intelligi secundum potentiam *naturalem, activam* vel *passivam ;* neutra enim valet se extendere ad id quod transcendit naturalem ordinem, cujus modi est personalis unio creaturæ ad Deum.— Relinquitur ergo quod assumptibilitas dicatur secundum potentiam *obedientialem* et divinam[1].

2° Verum potentia divina dupliciter accipitur, vel ut *absoluta*, vel ut *ordinata.*— *a*) Potentiæ *absolutæ* attribuendum est quidquid non involvat in se contradictionem, neque in defectum potentiæ vergat. Quod quidem duplici modo habetur : aut *conditionate* tantum, si objectum potentiæ, etsi secundum se non repugnans, sapientiæ tamen ac sanctitati divinæ contrariatur ; aut *simpliciter*, si nulla contrarietas hujusmodi, antecedenter ad statutum ordinem præsentis providentiæ, inveniatur.— *b*) Supposito autem speciali ordine divinitus in rebus instituto, plura quæ absolute fieri poterant amplius possibilia non sunt, utpote ab ordine illo dissona ; sed id dicitur possibile de potentia *ordinata* quod prædicto ordini congruit[2].

3° Jam sub lumine præfixorum principiorum gressum faciamus ad solvendam quæstionem ab Angelico propositam, quam (ut comperiet lector) et rei utilitas et argumenti jucunditas summopere commendant.

Conclusio.— SOLA NATURA HUMANA UNDEQUAQUE ASSUMPTIBILIS DICENDA EST.

1° Veritatis hujus *indicium* colligi potest ex verbis Sapientiæ genitæ (Prov. VIII, 31) : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum ;* quæ merito congruentiam assumptionis humanæ naturæ designare censentur. Idem videtur innuere Apostolus (Hebr. II, 16) : *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

2° Assumptibilitas humanæ naturæ spectari potest vel per habitudinem ad naturam irrationalem, vel per respectum ad naturam angelicam Atqui utraque comparatio demonstrat

[1] — Cf. 3 Sent. D. II, Q. I, a. 1, sol. 1.
[2] — *Ibid.*, D. I, Q. II, a. 2.

sola natura humana coïre duo illa, vid. *dignitatem*, et *necessitatem*, ex quibus congruentia Unionis secundum ordinem divinæ sapientiæ exsurgit. Ergo.— *Min. decl.* sequenti processu.

Primo, non fuit conveniens creaturam irrationalem assumi : ubi negamus non solum assumptibilitatem de potentia ordinata, sed etiam de potentia *absoluta simpliciter* (licet non conditionate).— Sane creatura irrationalis est expers intellectus atque voluntatis. Porro *dignitas* intellectiva et volitiva videtur omnino requiri ad congruam unionem hypostaticam cum divina persona. Nam *a*) imprimis congruit ut natura, ad divinæ subsistentiæ consortium evecta, sit capax attingendi Deum propria operatione *cognitionis* et *amoris*. *b*) Præterea, quod deficit a minori non habet congruitatem ad id quod majus est ; v. g. corpus quod non est aptum perfici animâ sensitivâ, multo minus potest animâ intellectivâ ornari. Jamvero longe major et perfectior est unio ad Deum secundum *esse* personale quam secundum *operationem*. Quocirca, creatura irrationalis, quæ nequit Deo operatione conjungi, certe caret congruitate qua ei personaliter uniatur. *c*) Suppetit tertia ratio ex C. G. IV, 55. Solius rationalis naturæ est per se agere ; creaturæ autem irrationales magis aguntur naturali impetu quam agant per seipsas. Atqui oportuit a Deo assumi naturam quæ *per se agere* posset, secundum quod convenit naturæ elevatæ ad dignitatem *personæ*. Ergo.

Secundo, nec congruebat ut natura angelica assumeretur ; quod accipias velim non absolute, sed secundum potentiam Dei *ordinatam*.— 1° Namque (contra quosdam) tenemus naturam angelicam *absoluta* Dei potentiâ esse assumptibilem, et objicientibus eam non posse in unitatem divinæ personæ assumi, nisi ejus personalitas destrueretur (quod neque ejus incorruptibilitati neque assumentis bonitati convenit), respondemus posse Deum, creando novam angelicam naturam, eam sibi in unitate personali copulare.— At 2° deest congruitas *necessitatis*, ex qua naturæ angelicæ assumptio cadat sub potentia Dei *ordinata*. *a*) Etenim, ut Scripturæ divinæ satis insinuant, præcipua Incarnationis causa non alia assignanda videtur quam peccatorum expiatio. Atqui Angelus, sicut cognoscendo simplici intellectu immobilem habet apprehensionem, ita volendo uno libero actu *immobilem exercet electionem*[1]; unde vel in malum omnino non fertur (quo in casu nulla reparationis necessitas), vel, si in malum feratur,

[1] — Cf. tract. nost. *de Creatione*, Disp. III

immobiliter labitur casu irremediabili quo, statu viæ egressus, in *termino* constituitur. Ergo. *b*) Cæterum Angeli mali peccarunt, non *extraneæ suggestionis* voce decepti, sed propriâ inducti voluntatis malitiâ quæ in singulis *actualis* fuit, quin tamen *tota* spirituum coelestium universitas ruinam illam subiret ; e contrario vero, cuncta ista hominibus contigerunt. Igitur minus Angelos decebat peccati reparatio[1]; quam, contra, levior in homine primæ culpæ perversitas majorque necessitas convenientissimam nobis fuisse suadent. *c*) Demum, cum Angelus naturâ sit Deo propinquior, poterat ab Eo *intelligibiliter* instrui de veritate divina ; sed conditio hominis, cognitiones suas a sensu colligentis, requirebat ut Deus sensibiliter hominem de seipso instrueret : quod per Incarnationem factum est (C. G. *l. cit.*).

Tertio itaque *inferendum superest solam naturam humanam fuisse congrue assumptibilem* — Nam 1° in ea attenditur congruentia et secundum dignitatem et secundum necessitatem. *a*) Secundum *dignitatem :* quippe in quantum rationalis est, nata est ipsum Verbum cognitionis amorisque actu quadamtenus attingere. *b*) Secundum *necessitatem :* nam in natura irrationali peccatum non erat ; in angelica erat, sed irremediabiliter ; in sola natura humana reperitur peccatum remediabile.— 2° Cum homo sit ex corpore animaque compositus, confinium, ut ita dicam, tenet utriusque naturæ, corporalis et spiritualis, adeo ut in eo omnes creaturæ veluti confluant. Quare naturâ humanâ unitâ Verbo et per Verbum restauratâ, reliquæ naturæ quodammodo unitæ sunt, et ipsa creatura irrationalis ex peccato Adæ quasi deteriorata, secundum quod in usum hominis cedit, restaurata est.

Solv. obj.— Obj. 1.— In rebus mirabiliter factis « tota ratio facti est potentia facientis » (*August.* ad Volus., ep. 137, cap. III, n. 8). Atqui potentia Dei, utpote infinita, nequit limitari ad assumptionem unius naturæ. Ergo.

Resp. *D. M :*... secundum possibilitatem absolutam, *C ;* secundum possibilitatem ordinatam, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Creaturæ denominantur aliquales ex eo quod competit eis secundum proximas et *proprias* causas, non ex eo quod eis convenit secundum causas *primas* et universales ; v. g. morbus dicitur incurabilis, non quasi a Deo curari non possit, sed quia propria principia subjecti et ars medica non habent

[1] — Cf. 2 S. D. VII, Q. I, a. 2.

unde illum sanent. Sic ergo dicitur aliqua natura non esse assumptibilis, non ad subtrahendum aliquid potentiæ Dei *absolutæ*, sed ad ostendendum conditionem creaturæ quæ ad hoc aptitudinem non habet.

Obj. 2.— Similitudo est congruitatis ratio in Incarnatione. Atqui datur in ipsa creatura irrationali similitudo ad Deum. Ergo.

Resp. *D. M* :... Similitudo nobilior... *C* ; sola similitudo inferioris ordinis, *N.*— *D. m* : similitudo inferior seu *vestigii* tantum, qua indigitatur Dei causalitas, *C* ; similitudo nobilior et *imaginis* per participationem divinæ intellectualitatis, *N.* — *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Admittitur quod similitudo imaginis fundat congruitatem assumptibilitatis. Atqui in natura angelica reperitur expressior Dei similitudo secundum imaginem quam in natura humana. Ergo.

Resp. *D. M* :... i. e. non repugnantiam ex parte divinæ sapientiæ *antecedenter* sumptæ, *C* ; quasi per se sola et absque motivo necessitatis etiam *consequenter* assumptibilitatem efficiat, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 4.— Tanto aliquid est assumptibilius, quanto perfectius. Atqui totum universum est perfectius quam pars, ut natura humana. Ergo.

Resp. *D. M* :...quanto perfectius perfectione unitatis substantialis, *Trans* ; perfectione compositionis et ordinis substantiarum diversissimarum, quarum plures ratione et voluntate carent, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum conveniens fuerit ut Filius Dei assumeret naturam humanam singularem et numero unam ex stirpe Adae.

(Q. IV, aa. 4-6)

Natura humana, secundum statum et conditionem suam, tripliciter considerari potest, nempe ; vel ut *singularis* est, et dividitur contra communem seu abstractam a principiis individuantibus ; vel ut est *una numero*, et dividitur contra naturam plurium vel omnium humanorum individuorum ; vel ut descendit *ex stirpe Adae* secundum carnalem generationem, et dividitur contra naturam immediate a Deo creatam.— Tria hæc trium conclusionum materiam suppeditant, quas brevi discursu expediemus.

Conclusio 1ª. — FILIUS DEI NEC ASSUMPSIT NEC ASSUMERE DEBUIT NATURAM HUMANAM AB INDIVIDUIS ABSTRACTAM.— Hoc militare intelligitur contra *Pantheistas* et *Progressistas* modernos somniantes Christum quemdam idealistico-realem, seu Divinitatis incarnationem evolutivam in humana *specie* cujus potior typus fuit Christus.[1]

Prob : — 1° ex *auctoritate* Evangeliorum, in quibus Christus ceu *individuum* humanæ speciei ubique exhibetur. Jam prophetam id vaticinatus erat (Baruc, III, 38) : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*— Ad rem *Damascenus* (III Fid. orth. c. 11) : « Deus Verbum incarnatum non eam, quæ nuda contemplatione consideratur, naturam assumpsit : non enim incarnatio hoc, sed deceptio et fictio Incarnationis esset.»

2° *Ratione.* Natura hominis, præter esse quod in singularibus habet, dupliciter potest accipi : *uno modo*, quasi per seipsam consistat extra materiam (ut Platonici posuerunt) ; *alio modo*, quasi existens in intellectu sive humano sive divino. Atqui in neutro ex hisce statibus natura humana assumptibilis erat : ergo. *Min. prob.* per partes.— 1ª *pars* ostend. 1° ex *falsitate suppositi ;* falsum quippe est naturam humanam existere posse absque materia sensibili, quæ ad rationem talis naturæ pertinet. 2° Etiamsi valeret hypothesis platonica, plura adhuc assumptioni humanitatis in illo statu obstarent : *a*) nam assumptio terminatur ad personam ; repugnat autem formæ communi, qua talis, ut in persona *individuetur. b*) Naturæ communi non possunt attribui nisi operationes communes et universales ; porro vis *merendi*, ad quam pro nobis exercendam Filius Dei humanitatem assumpsit, requirit actiones individuas ac liberas merenti cuique proprias. *c*) Amplius natura, ab individuis abstracta, non est sensibilis, sed intelligibilis ; Filius autem Dei assumpsit naturam humanam, ut in ea *visibilis* hominibus appareret. Ergo.— 2ª *pars* evincitur. Et 1° non potuit assumi humana natura, secundum esse quod habet in *intellectu divino : a*) tum quia sic non distinguitur realiter a natura divina ; *b*) tum quia consequeretur humanitatem ab æterno fuisse Filio Dei conjunctam. Neque 2° humana natura assumptib lis erat, secundum quod est in *intellectu humano ;* hoc enim nihil aliud esset quam intelligi assumpt onem humanæ naturæ : qua reapse non assumpta, notio illa falsa foret meraque Incarnationis fictio.

[1] — Cf. Monsabré, Conf. de 1878, *Index des erreurs*, I et V

Conclusio 2ª.— Non fuit conveniens humanam naturam in omnibus suis individuis a Verbo assumi ; — ubi non negatur *absoluta possibilitas*, sed solum *convenientia*, quod Verbum Dei assumpserit et per se terminaverit singulas humanitates.

1° Quid *de facto* fides habeat, liquido patescit ex *vita Christi* qui velut singularis homo, a cæteris humanis suppositis realiter distinctus, versatus est et passus ac mortuus est pro eis, juxta illud (Rom. V, 8-9) : *Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est ;* quod locum non haberet, si in omnibus hominibus humanitatem assumpsisset.— Diserte *Damascenus* (Orth. Fid. *l. cit.*) : « Neque enim omnes hypostases assumpsit, sed eam (naturam) quæ in individuo est.»

2° Prob. *convenientia facti* multipliciter : — *a*) nam in hypothesi contraria tolleretur *multitudo suppositorum* humanæ naturæ, manente sola persona assumente. At *connaturalis* est naturæ nostræ suppositorum numerus, nec ulla ratio suadebat ut huic naturali conditioni derogaretur. Ergo.— *b*) Præterea, tunc essent omnes homines æqualis dignitatis, ideoque non posset Christus dici primogenitus in multis fratribus secundum humanam naturam : quod contrarium est *dignitati Filii Dei* incarnati.— *c*) Amplius, sicut unum suppositum divinum est incarnatum, ita congruebat unam singularem naturam assumi ut *ex utraque parte unitas* servaretur. — *d*) Demum *dilectio Dei* ad homines *manifestatur* non solum in ipsa humanitatis assumptione, sed præcipue per ea quæ passus est in carne *pro aliis* hominibus : hic autem Incarnationis finis requirebat realem suppositorum distinctionum (resp. ad 2).

Conclusio 3ª. — Filius Dei convenienter assumpsit naturam humanam ex stirpe Adæ, per Abraham et David. — « Poterat Deus creare unam naturam humanam in supposito Verbi, sicut creavit Adam non per propagationem ; poterat etiam aliquem alium hominem cum sua uxore creare innocentes, et in innocentia perseverantes, sicut creavit Adam et Evam et ex illa innocente stirpe humanam naturam assumere, et non ex stirpe Adæ ; poterat et unam solam Virginem creare innocentem ex qua nasceretur, sicut natus est de M. Virgine filia Adæ. Cum igitur multis aliis modis Incarnatio fieri potuisset, quæsitum est an *convenienter* sit facta ex *stirpe Adae* » (Cajet. in art. 6) per Abraham et David, ut V. et N. T. oracula evenisse demonstrant.

Prob. concl. per partes.

1ª *Pars* est de convenientia assumptæ naturæ *ex stirpe Adae.*— Sane *a*) hoc videtur ad *justitiam* pertinere, ut, quantum fieri possit, ille satisfaciat qui peccavit. Atqui novimus Adæ progeniem peccato originali fuisse infectam. Ergo de corrupta hac natura assumi congruebat id per quod satisfactio pro tota humanitate implenda erat ; adeo ut Christus esset *segregatus a peccatoribus* (Heb. VII, 26) non quantum ad *naturam* quam salvare venerat, sed quantum ad *culpam* quam venerat destruere.— *b*) Secundo hoc etiam majorem *hominis dignitatem* demonstrat, quod victor diaboli ex illo nascatur genere cujus diabolus victor exstiterat. Atqui genus Adamicum fuerat diabolica fraude deceptum. Ergo conveniebat ut Filius Dei, ex stirpe Adæ prodiens, hominis victorem et deceptorem profligaret Hanc rationem tradit *Augustinus* (de Trin. XIII, 18).— *c*) Demum per hoc quod de stirpe corrupta et infirma tanta perfectio tantaque virtus effloruerit, mire ostenditur tum Christi *puritas*, tum Dei *omnipotentia.*

2ª *Pars* jure addit « ex stirpe Adæ *per Abraham* et *David* ».— Quia enim sanctissimus Dei Filius in sua Incarnatione erat velut innocentiæ summam adepturus, conveniens fuit ut a primo peccatore Adam usque ad Christum perveniretur mediantibus quibusdam justis, in quibus quædam insignia futuræ sanctitatis præfulgerent. Jamvero id contigit in populo hebraïco per *Abram* qui, promissione de Christo accepta (Gen. XII, XVIII, XXII), divinum fœdus circumcisione signavit (*ibid.* XVII), et per *David*, Christi figuram, ex quo Messias erat nasciturus (Luc. III).[1]

ARTICULUS III.

Utrum Dei Filius verum et terrenum corpus assumpserit.

(Q. V, aa. 1-2)

1° Humana natura duabus constat *partibus essentialibus*, scil. corpore et anima ; unde, cum in præc. articulis de modo unionis quoad naturam generatim egerimus, nunc eadem unio investiganda subit in specie seu secundum partes naturæ constitutivas.

2° Quod ad *corpus* attinet, *a*) *Docetae* et speciatim *Manichaei*, æstimantes terrena hæc omnia fuisse a diabolo seu

[1] — Vid infra Disp VII Q I a 1

malo principio condita[1], posuerunt Filium Dei non verum corpus, sed *phantasticum* assumpsisse (C. G. IV, 29) ; quibus consenserunt *Priscillianistae*.— *b*) His propinque adhærentes, alii (*ibid.* c. 30) docuerunt Christi corpus non e terra matreque Virgine exortum esse, sed de cœlo a Filio Dei asportatum (*Valentinus*) aut ex aëre confectum (*Apelles*). Valentini errorem renovarunt *Anabaptistæ*.— *c*) Non longe a Manichæis abeunt moderni defensores systematis *dynamici* qui, cum *Boscovichio*, negant realem corporum extensionem et perceptionem ; nam (scite observat Emus *Satolli* in art. 1), « fere nullum discrimen est, aut in Philosophia docere non percipi a nobis nisi impressiones et corporum extensionem phœnomenicam esse, aut in Theologia asserere quod Christus phœnomenicum corpus assumpserit.»

3° Duas conclusiones pro duplici errore, Docetarum scil. et Valentini, proponemus.

Conclusio 1ª.— FILIUS DEI NON PHANTASTICUM, SED VERUM CORPUS ASSUMPSIT.— Huc spectat, præter alia, decretum *Eugenii IV* pro Jacobitis : « Sacrosancta R. Ecclesia... anathematizat Manichæum cum sectatoribus suis, qui Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem penitus sustulerunt.»

1° Suppetit ipsum *Christi testimonium*, ubi, post resurrectionem, phantastici corporis suspicionem expresse a mente discipulorum arcet dicens (Luc. XXIV, 39) : *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*.— Ex Patribus audiatur *S. Augustinus* (l. 83 Qq., q. 14) : « Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus : et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Non igitur phantasma fuit corpus ejus.»

2° Triplex *ratio* contra Phantasiastas assignari potest.— *a*) *Primo*, Filius Dei vere, ut ex præcedentibus liquet, *naturam* humanam assumpsit. Atqui essentiale est humanæ naturæ ut verum corpus habeat. Ergo.— *b*) *Secundo*, nisi verum esset Christi corpus, non vere, sed specie tenus Christus diceretur conceptus, natus, passus, mortuus et sepultus, nec vera hominis salus subsecuta fuisset. Atqui consectaria ista *Scripturae auctoritatem* evacuant ; imo *finem Incarnationis* penitus submovent. Ergo.— *c*) *Tertio*, in hypothesi Manichæorum assumptio humani corporis reduceretur ad fictionem

[1] — Hæc Manichæorum doctrina (ut advertit cl. Billot, *de Verb. inc.*, p. 173) quoad *substantiam* hodiedum viget et nova incrementa accipit in antris *massonicis* : quod ipse probat ex verbis Alb. Pike, in quibus Lucifer, velut principium bonum, Adonai quasi principio malo opponitur.

et mendacium. Atqui summa personæ *assumentis dignitas* ac veracitas omnem fictionem ab opere humanæ Redemptionis excludit. Ergo.

Conclusio 2ª.— ASSUMPSIT FILIUS DEI NON SIDEREUM CORPUS, SED TERRENUM ET HUMANUM.— Id *fide* constat ex *Symbolo Athanas.* et Conciliis, maxime ex *Eugenio IV* in *Conc. Florent.* damnante « Valentinum asserentem Dei Filium nihil de Virgine matre cepisse, atque ita transiisse per uterum Virg nis sicut per aquæductum defluens aqua transcurrit.»

1° Enim vero Valentinianorum, non secus ac Manichæorum, positio processit ex *ea radice*, quia arbitrabantur corpora hu us terræ mala esse et a malo principio oriri. Atqui quam falsa sit opinatio ista, nemo est qui non perspiciat, nosque al bi eam explosimus (*de Creatione*, Disp. I, Q. I, a. 1). Ergo.

2° *Scriptura* explicita est.— Nam in V. T. promissus Christus vocatur (Gen. III, 15) *semen* mulieris, de quo Deus ad Abraham (Gen. XXII, 18): *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae*, et similiter ad David (Ps. CXXXI, 11) : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam ;* idem Christus nominatur (Is. XI, 1) *flos de radice Jesse* (patris David), et (*ibid.* LIII, 2) *virgultum* ascendens *de terra sitienti.* In N. T. sæpe se Dominus appellat *filium hominis* (Matth. VIII, 20 ; IX, 6 ; X, 23) ; et Ap. (Gal. IV, 4) eum dicit *factum ex muliere.*— Perperam vero hæretici objiciebant verba B. Pauli (1 Cor. XV, 47) : *Primus homo de terra, terrenus ; secundus homo de coelo, coelestis.* Quippe Christus taliter describitur, non sensu a Valentinianis accepto, sed triplici alia ratione, nempe : *a*) ratione *divinae naturae* secundum quam æternaliter in cœlo natus est ; *b*) ratione *corporis* cœlesti virtute, i. e Sp. Sancto miraculose agente, formati ; *c*) ratione demum *qualitatis* qua corpus illud prope jure suo cœlestem gloriam consecuturum erat[1].

3° *a*) Contra Valentinum militant *rationes* quibus supra demonstravimus convenientiam assumptionis naturæ humanæ ex *stirpe Adae.*— *b*) Etsi vero, ad formandum Christi corpus, materia siderea vel aërea, ut aiunt, transiisset per B. M. Virginem quasi aqua per aquæductum, non ideo verificarentur *effata biblica* superius adducta, utpote quæ omnino supponunt corpus e semine veterum Patrum derivatum et in utero mulieris conceptum.— *c*) Nec corpus ita assumptum extra omnes physiologiæ humanæ leges, *humanum* foret :

[1] — Cf. Cornely, *Curs. Scrip. Sac., Comm.* in h. loc.

quod erroneum est (cf. *Conc. Vienn.* in art. seq.) et veritati humanitatis in Christo plane oppositum.

Corollaria sequuntur.— Et 1° Filius Dei assumpsit, sive secundum hypostasim, sive in hypostasi, *omnes* et *singulas partes* quæ pertinent ad corporis humani constitutionem, integritatem et perfectionem.— 2° Idcirco et in specie assumpsit hypostatice *sanguinem*, quia sanguis omnino requiritur ad rationem veri corporis humani. Hinc declaravit *Clemens VI* (Extrav. *Unigenitus*, t. de pœn. et rem.) « unam guttam etiam modicam sanguinis Christi Domini fuisse sufficientem pro redemptione totius humani generis, idque propter *unionem* ad Verbum[1].»— 3° Tamen Verbum non assumpsit hypostatice lacrymas, sudorem, salivam eaque alia quæ proprie nec partes corporis sunt nec ad eius perfectionem pertinent.

Solv. obj. (cont. 1am concl.).— Obj. 1.— In Scriptura dicitur Filius Dei *in similitudinem hominum factus* (Phil. II, 7). Atqui quod est secundum veritatem, non dicitur esse secundum similitudinem. Ergo.

Resp. *D. M* :... i. e. in similitudinem seu convenientiam *specificam*, *C* ; in similitudinem phantasticam, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Ita corpus a Verbo assumptum est ut in nullo ejus dignitati derogaret. Atqui ad dignitatem Dei pertinet ut sit ab omni reali corpore separatus. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... scil. ut nullius sit corporis *forma*, *C* ; ut nullum corpus, salva distinctione naturarum, in unitatem personæ assumat, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Signa debent respondere signatis. Atqui apparitiones V. T., quibus futurus Christus præfigurabatur, secundum imaginariam visionem contigerunt. Ergo.

Resp. *D. M* :... quantum ad similitudinem, *C* ; quantum ad rei veritatem, *N.*— *D. m* :... et hæ apparitiones repræsentabant apparitionem Christi secundum *speciem* rei figuratæ, *C* ; etiam secundum *essendi modum*, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum Filius Dei assumpserit animam eamque rationalem.

(Art. 3-4)

1° Corpori *anima* sociatur ad efformandam naturam humanam ; et quamvis potentia intellectiva non sit alicujus

[1] — Vid. plura ap. Gonet, Billuart, etc.

corporis actus, ipsa tamen *essentia* animæ, eminenter continens gradum vegetativum, sensitivum et intellectivum, humanum corpus informat.— Inde patet quæstionis ratio.

2° *a*) Opinio fuit primo quidem *Arii* et postea *Apollinaris* quod Verbum solam carnem assumpsisset sine anima, quasi ipsum animæ vices suppleret : quod Eutychianum est. Mox vero evangelicis testimoniis convicti *Apollinaristae* confessi sunt in Christo animam sensitivam fuisse, ast, sine mente et intellectu, in cujus locum Verbum divinum subrogabant.

b) Theoria *Rosminiana* de constitutione humanæ intellectualitatis per esse ideale[1] (quod est aliquid Dei et reapse Deus) velut per lucem generatricem universarum mentium ad doctrinam ducit Apollinaris, ut Em^us^ *Satolli* argute demonstrat (Q. V, Append. p. 125) : « Cum, ait, esse ideale secundum se sit ipsum Verbum Dei et, quoad humanam naturam, sua præsentia objectiva sit constitutiva intellectualitatis ejusdem naturæ, inevitabilis prorsus conclusio est : aut quod Verbum seipsum assumpserit, aut quod non assumpserit intellectum ; quod sibi Verbum Dei mentem humanam non univerit perficiendo, sed perfecerit naturam humanam seipsum pro intellectu exhibendo, sicut sol in horizontem accedens ita perficit aëris illuminationem ut nonnisi seipsum aëri communicet.»

3° *Fides* de præsenti argumento sancita est in *CC. Cptano I* et *II*, quibus accessit *Conc. Vienn.* (in Clementina de *Sum. Trin.* et *cath. fid.*) : « Confitemur unigenitum Dei Filium... partes nostræ naturæ simul unitas, ex quibus in se verus Deus existens fieret *verus homo*, humanum scil. corpus passibile et *animam intellectualem* seu rationalem ipsum corpus vere, *per se* et *essentialiter* informantem, assumpsisse in tempore ex virginali thalamo ad unitatem suæ hypostasis et personæ.»

Conclusio.— FILIUS DEI CUM CORPORE ANIMAM ASSUMPSIT EAMQUE RATIONALEM.

Prob. quadrupliciter.

1° Ex *Scriptura.*— Ipse Dominus de sua anima loquitur (Matth. XXVI, 38) : *Tristis est anima mea usque ad mortem ;* et (Joan. X, 17) : *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Atqui falso prorsus respondebatur ab hæreticis, animam his in locis *metaphorice* sumi : nam Evangelistæ de Christo

[1] — *Esse indeterminatum intuitionis, esse initiale, est aliquid Verbi* (ex damnata prop. 7) ; — *primum lumen reddens animam intelligentem est esse ideale* (ex prop. 37).— Rosminius modo Nestorio, modo Entycheti favet.

narrant quod iratus et contristatus est, quod esuriit. Porro hæc procul dubio evincunt eum veram animam habuisse, sicut ex eo quod comedit, dormivit, fatigatus est, verum ei fuisse corpus sponte infertur (nisi velimus omnem fidem Evangeliis subtrahere). *Propheticus* enim sermo V. T. similes metaphoras seu figuras admittebat ; eas vero sermo *historicus* N. T. excludit.— Quod autem anima Christi fuerit non solum sensitiva, sed et *intellectiva*, satis indicat narratio evangelica commemorans eum fuisse *miratum* (Matth. VIII, 15) : quippe admiratio, qua confertur effectus ad ignotam causam, absque ratione esse non potest.

2° Ex *Patribus*.— Recentiores quidam protestantes, ut *Münscher*, *Neander*, *de Wette*, erroris Apollinaristarum incusant plures antiquos Patres et scriptores, puta *Clementem Rom.*, *Ignatium M.*, *Tertullianum*, etc., sed voce omnino inani et calumniosa, ut videre est apud Franzelin (th. 13), etc.— Sat esto referre verba *Tertulliani* (de Carne Christi, c. 10), quibus demonstrat adversus Marcionitas animam Christi fuisse nostræ similem : « Si, inquit, animas nostras per illam, quam gestavit, liberare susceperat, illam quoque, quam gestavit, nostram gestasse debuerat, id est, *nostrae formae*.»

3° Ex *utilitate Incarnationis*.— Incarnatio enim in id tendit ut homo a peccato liberetur et justificetur, suâ pro se naturâ satisfaciens. Atqui anima humana non est capax peccati nec gratiæ justificantis et meriti, nisi per mentem. Ergo præcipue oportuit mentem humanam assumi.— Hanc animæ assumptibilitatem perbelle evolvit *auctor libri* cont. Felicianum (c. 13)[1], ubi demonstrat eam non debuisse in Incarnatione omitti, tum quia *creatura* Dei est et carne *pretiosior*, tum quia *sanabilis* est et carne *indigentior*.

4° Ex *veritate Incarnationis*.— Nisi Christus habuisset animam sensitivam, proprie caruisset carne et ossibus, quæ reperiuntur tantum in corpore animali ; nisi autem anima illa fuisset etiam intellectiva, non potuisset Christus dici verus homo, nec corpus humanum assumpsisset, secus ac videretur. Atqui hæc falsa sunt : ergo.— *Maj.* constat ex eo quod corpus proportionatur animæ, sicut materia propriæ formæ ; unde quemadmodum corpus sortitur esse animale ex anima sensitiva, ita et esse humanum recipit ex anima intellectiva : natura autem humana ex utroque, scil. ex corpore et anima, conflatur.— *Min. decl.* Nam *a*) Christum *verum hominem fuisse* non solum hactenus dicta compro-

[1] — Opusculum hoc, vulgatum sub nomine S. Augustini, Vigilio tribuitur (Patr. lat. *Migne*, tom. 42).

bant, sed et universus Christianismus, Scripturæ, traditionis, Conciliorum voce, solemniter testatur ; ait Apost. (1 Tim. II, 5) : *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* *b*) Neque dicatur Christum aut non habuisse *veram carnem*, aut carnem *bestialem* tantum cum figura humani corporis assumpsisse : id enim nequaquam indoles evangelicæ narrationis credere sinit ; nec etiam Verbi divini dignitas, ac veracitas omni suspicione major, admittit.

Solv. obj.— Obj. 1.— Legimus (Joan. I, 14) : *Verbum caro factum est*, nulla facta mentione de anima. Atqui verba illa designant unionem hypostaticam. Ergo.

Resp. *D. M* :... et *caro*, usu loquendi biblico, ponitur pro toto homine, *C ;* præcise accipienda est ad exclusionem animæ, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Anima non requiritur nisi ad vivificandum corpus . Atqui Verbum aderat quo corpus assumptum vivificaretur. Ergo.

Resp. *D. M* :... tanquam causa vitæ *efficiens*, *N ;* tanquam causa *formalis*, *C.*— *C. d. m* :... quo vivificaretur efficienter, *C ;* formaliter, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Ubi est presentia rei, non requiritur ejus imago. Atqui homo secundum mentem est ad imaginem Verbi divini. Ergo præsente Verbo etc.

Resp. *D. M* :... non requiritur imago quæ *suppleat* locum rei, *C ;* non requiritur imago tanquam *effectus* a causa præsente perficiendus, sicut imago hominis ex hujus præsentia in speculo resultat, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 4.— Major lux offuscat minorem. Atqui Verbum Dei comparatur ad mentem, quasi lux major ad minorem. Ergo.

Resp. *D. M* :... i. e. evacuat lucem minorem alterius corporis illuminantis, *C ;* evacuat lucem corporis illuminati, *N.*— *C. d. m* :... eo sensu quod mens illuminatur a luce divini Verbi, *C ;* quasi sit independens a Verbo illustrante, *N.*— *Neg. conseq.*

Ad præsentiam solis lux quidem candelæ obscuratur, sed aëris lumen, a sole dependens, perficitur. Ita, cum humana mens a Verbo influente lumen collustretur, nedum per præsentiam Verbi evacuetur, majorem ab eo perfectionem consequitur.

ARTICULUS V.

De ordine assumptionis humanae naturae.

(Q. VI)

Quæ a Deo sunt, ordinata sunt : ergo in assumptis a Verbo Dei vigere ordo debet.— Atque hæc quæstio considerari potest vel circa *partes* ipsas assumptas, tum secundum ordinem *naturae*, tum secundum ordinem *temporis*, vel circa *naturam* ex partibus compositam. Quam ob rem tres habebuntur conclusiones.

Conclusio 1ª.— FILIUS DEI CARNEM ASSUMPSIT MEDIANTE ANIMA ; ANIMAM VERO, MEDIANTE MENTE SEU INTELLECTU (art. 1-2).— Agitur, non jam de *ordine temporis*, secundum quem Verbum Dei totam naturam humanam simul sibi univit, sed de *ordine naturae*.

Prob. 1ª *pars.*— *a*) Ordo naturæ inter aliqua potest attendi dupliciter : *uno modo* secundum gradum *dignitatis*, sicut dicimus Angelos medios esse inter homines et Deum ; *alio modo* secundum rationem *causalitatis*, prout iidem Angeli influxu mediant inter causam primam et causas inferiores. Atqui non solum anima præstantiâ dignitatis media invenitur inter Deum et carnem ; verum etiam ordine causalitatis carnem præcellit, quatenus ex ea caro habet ut sit humana ideoque assumptibilis secundum congruitatem finis. Ergo utroque modo, scil. tum dignitate, tum causalitate, mediatio animæ in assumptione exercita est.— *b*) Nec objiciatur *unio Verbi ad carnem* quæ, separatâ per mortem animâ, nihilominus *remansit* (vid. infra). Nihil namque prohibet aliquid esse causam alicujus quantum ad aptitudinem congruitatis et secundum *fieri ;* quo remoto, res effecta ab eoque independens in *facto esse* subsistat, eo modo quo amicitia mediante aliquo excitata, eo recedente, adhuc tamen amicos suis tenet vinculis (art. 1 ad 3).

Prob. 2ª *pars.*— Filius Dei dicitur assumpsisse carnem, anima mediante, tum propter ordinem dignitatis, tum etiam propter congruitatem assumptionis. Atqui comperimus utrumque verificari de mente seu intellectu, respectu cæterarum partium animæ : siquidem vis intellectiva vires alias non parum *dignitate* excedit, neque anima assumptibilis est secundum *congruitatem* ad Verbum Dei nisi per hoc quod mente seu spiritu est Dei capax, ad imaginem ejus existens. Ergo.

Conclusio 2ª.— SICUTI ANIMA NON PRIUS TEMPORE ASSUMPTA EST QUAM CARO ; ITA NEC CARO PRIUS A VERBO ASSUMPTA EST QUAM ANIMA (art. 3-4).

1ª *Pars* percellit opinionem *Origenis* qui posuit omnes animas, non excepta anima Christi, fuisse a principio creatas, antequam corporibus jungerentur : quam de Christo opinionem proscripsit *Conc. oecum. V* (can. 2) aiens : « Si quis dicit aut sentit animam Domino *praeexstitisse* unitamque esse Deo Verbo, ante Incarnationem et nativitatem ex Virgine, A. S.»

1° Sane aut anima illa fuisset initio creata, sed non statim Verbo unita, aut a principio Verbo fuisset hypostatice juncta, et postmodum in utero Virginis incarnata. Atqui utrumque inconveniens est.— *a*) Nam secundum *primam* hypothesim anima illa propriam aliquando subsistentiam sine Verbo habuisset ; unde adveniente assumptione, vel non esset facta unio secundum subsistentiam, vel corrupta fuisset subsistentia animæ præexistens : quorum unum Nestorianum est, aliud sapientiæ divinæ contrarium.— *b*) Juxta *secundam* hypothesim, anima Christi videretur non esse ejusdem naturæ cum nostris : quippe anima humana, cum sit corporis forma, ex hoc habet ut creetur simul dum corpori infunditur et unitur. Atqui, teste *Leone M.* (Ep. 35 ad Julianum, c. 3), anima Christi nostris animabus excellit « non diversitate generis, sed sublimitate virtutis.» Ergo.

2° *Adnotandum* est (cavendæ objectionis causâ) de plenitudine Christi omnes homines accipere secundum *fidem* quam habent in ipsum, sive jam natum, sive nasciturum : hæc enim temporis circumstantia accidentalis est. Porro fides in Christum (formata caritate cæterisque virtutibus) vim justificandi consequitur ex *proposito gratiae Dei*, ut docet Ap. (Rom. IV, 5) ; quod propositum quia æternum est omnibusque temporum differentiis superius, nihil prohibet per fidem J. C. aliquos justificatos esse etiam antequam sancta Christi anima et humanitas existeret (art. 3 ad 3).

2ª *Pars* consonat verbis *Damasceni* (de Fid. orth. l. III, c. 2) : « Simul atque caro exstitit, simul quoque Dei Verbi exstitit caro, simul caro animata, rationis particeps et intelligentiæ.»— *Ratio* est, quia caro humana est assumptibilis a Verbo secundum ordinem quem habet ad animam rationalem, sicut ad propriam formam. Atqui materia non potest dici *simpliciter* propria alicujus formæ, nisi eo instanti quo forma adveniens alterationem dispositivam terminat. Ergo caro Christi non potuit esse simpliciter humana antequam anima rationali informaretur, nec proinde debuit prius as-

sumi quam anima.— Imo in conceptione Christi, Sp. Sanctus, qui est agens infinitæ virtutis, simul materiam disposuit et ad definitivum statum perduxit. (Cf. infra *de conceptione* Christi).

Conclusio 3ª.— SIMPLICITER LOQUENDO, VERBUM DEI ASSUMPSIT PARTES HUMANÆ NATURÆ, MEDIANTE TOTO ; ITA TAMEN UT HÆC UNICA ASSUMPTIO, PER SE PRIMO AD NATURAM PERSONANDAM TERMINATA, PRIUS EXECUTIVE AD IPSAS PARTES IN SEIPSIS TERMINATA SIT (art. 5).

1ª *Pars* prob.— Per id quod est prius in natura, assumitur id quod est posterius. Aliquid autem prius est in natura dupliciter : vel secundum ordinem *intentionis*, perfective et *simpliciter*, vel secundum ordinem *executionis* et materialiter. Atqui secundum intentionem agentis prius est completum quam incompletum, et totum quam partes. Ergo, simpliciter loquendo, Verbum Dei assumpsit partes humanæ naturæ, mediante ipsa natura.

2ª *Pars* additur ad ulteriorem rei declarationem.— Quod spectat ad propositum, assumptio naturæ humanæ comparari potest ædificationi domus, quæ solet fieri successive, sed quam posset Deus in instanti complere. Jamvero, licet prius *intendatur* in domo constructio totius quam constitutio partium ; tamen, secundum ordinem *executionis*, prius saltem naturâ (supposita ædificatione instantanea) operatio construentium attingit partes, puta fundamentum, parietes, in seipsis et tanquam terminos partiales, quam constituat terminum totalem. Ita etiam, in Incarnatione, prius naturâ secundum executionis ordinem actio assumptiva attigisse censetur animam et corpus veluti *ea quae* assumebantur seu *terminos partiales* assumptionis, posterius vero totam naturam assumptam.— Ex quo venit quod *in triduo mortis* (cfr. infra, Disp. IX, Q. IV, a. 2) non fuit opus nova assumptione ut Divinitas Christi unita hypostatice maneret carni et animæ ; sed assumptio totalis naturæ, virtualiter multiplex, morte resoluta est in uniones partiales[1].

[1] — De tota materia hujus art. vide, si libet, Card. *Cajetanum* et Emum *Satolli* (Comm. in h. l.).

DISPUTATIO TERTIA

DE COASSUMPTIS A FILIO DEI IN HUMANA NATURA

Coassumpta ea vocantur quæ assumptam a Filio Dei naturam humanam, velut qualitates et effectiones quædam, comitata sunt tum ratione ipsius naturæ, tum maxime ratione finis.— Hæc sunt vel *perfectiones*, vel *defectus ;* de quibus nunc, ad ampliandum atque evolvendum Unionis hypostaticæ conceptum, synthetici ordinis processu disputandum est.

Perfectiones respiciunt *velle*, *scire* et *ag re ;* defectus vero *corpus* et *animam*.— Quocirca imprimis dicemus de *gratia* qua essentia animæ et voluntas seu morales vires perficiuntur, quæque in ordine salutis certe præeminet. Triplex autem gratia consuevit in Christo assignari : *gratia unionis*, secundum quod humana natura nullis meritis præcedentibus hoc donum accepit ut uniretur Filio Dei in persona ; *gratia singularis*, qua anima Christi, præ cæteris animabus ornata fuit; *gratia capitis*, secundum quod cœleste donum a Christo in alios redundat. De gratia unionis superius dictum est ; modo tractabimus de gratia singulari (Q. I) et de gratia capitali (Q. II).— *Scientia* vero, qua sciendi actus perficitur, poterit in Christo considerari vel *in genere* (Q. III), vel *in specie* (Q. IV).— Succedet sermo de *potentia* animæ Christi (Q. V) .— Quibus perspectis perfectionibus, tandem loquendum erit de defectibus *corporis* (Q. VI), necnon *animae* (Q. VII) a Verbo coassumptis. Patet quætionum planus ac lucidus ordo.

QUÆSTIO PRIMA

DE GRATIA CHRISTI UT EST SINGULARIS HOMO

Gratia, qua anima Christi ditata fuit, nobis consideranda objicitur et secundum *esse* et secundum *modum*.— Primo modo spectata, alia est gratia *gratum faciens* quæ trifariam dispertitur secundum rationem *gratiae* habitualis (art. 1), *virtutum* (art. 2), et *donorum* Sp. Sancti (art. 3) ; alia est

gratia *gratis data* (art. 4).— Modus gratiæ Christi aut est *quantitatis* secundum rationem *plenitudinis* (art. 5) et cujusdam *infinitatis* (art. 6), aut est *dependentiae* a personali unione (art. 7). En habes tredecim D. Thomæ articulos ad septem ordinate reductos.

ARTICULUS I.

Utrum in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis.

1° Nomine *gratiae habitualis*[1] intelligimus formam quamdam supernaturalem animæ perfectivam et virtutum altricem, qua homo sublimatus e nativa sua conditione fit particeps divinæ naturæ, justus, sanctus, Deo gratus et acceptus. — Quæ circa hanc gratiam, in anima Christi ponendam, theologi disputant ac demonstrant, proportionaliter accipi debent de gratia *actuali* qua potentiæ creatæ indigent ad supernaturaliter et meritorie agendum.

2° Occasione hujus articuli *controversia* in scholis orta est, num scil. per *ipsam gratiam unionis* et præcisione facta a gratia habituali *Christi humanitas vere* et *formaliter sanctificetur*.— Sunt qui tenent cum *Suarez* et *Billuart*, hoc affirmandum esse ; *alii* plures (quos citat Suarez, Disp. XVIII, sect. 1) omnino negant. *Satolli* (in h. art.) falsum reputat et a D. Thomæ mente dissonum, quod gratia habitualis non fuerit *simpliciter* necessaria ad hoc ut humanitas Christi esset Deo grata et meritorie operaretur.— Hanc sententiam veriorem æstimantes suadere adnitemur, antequam veritatem de gratia habituali principaliter intentam constituamus.

Conclusio 1ª.— ETSI HUMANITAS CHRISTI EX CONJUNCTIONE CUM VERBO CONSECRATIONEM QUAMDAM ACCEPERIT, NON TAMEN SIMPLICITER SANCTA ET DEO GRATA, INDEPENDENTER A GRATIA HABITUALI, PRONUNTIANDA EST.

1ª *Pars* *a*) fundari videtur in iis *Scripturae* locis, ubi Christus dicitur *unctus* cœlesti oleo ; quæ (teste Suarezio, *l. cit.*) plures Patres explicant, quatenus Divinitas secundum hypostaticam unionem unctio est humanitatis quam sibi veluti dicat et consecrat.— *b*) Certe, quemadmodum sacra habentur *vasa* munda quæ, divino cultui deputata, Deum in esse sacramentali continent ; ita et multo magis humana natura, per hoc quod Verbo secundum esse personale adhæ-

[1] — Vid. tract. nostrum *de Gratia* seu *de Reparatione*, Disp. III, Q. I .

rescit ejusque propria evadit, nobili quadam sui ipsius consecratione insignitur et veluti regio ac divino sigillo decoratur.

2ª *Pars* tamen negat hanc Christi humanitatem ex sola unione hypostatica vocandam esse *simpliciter* sanctam et Deo gratam.— *a*) Ratio est, quia sanctitas *simpliciter* naturæ intellectualis non consistit tantum in nobilitate dedicationis seu applicationis sacræ ad Deum cujus etiam entia irrationalia sunt capacia, sed in excellentia et justitia *morali* quæ propria est entium intellectualium. Hæc autem perfectio moralis, in humanitate Christi, *radicaliter* quidem seu exigitive est ab Unione hypostatica, sed *formaliter* habetur per gratiam sanctificantem et virtutes ei annexas. Ergo.— *b*) Nec valet respondere, in Divinitate *eminentius* contineri perfectionem gratiæ habitualis quæ idcirco per eam suppleri potest. Gratia enim est principium *vitae* supernaturalis inhærens et *informativum* animæ, et quamvis hæc forma a divina efficientia dependeat, non tamen Deus proprium et formalem gratiæ effectum producit nisi mediante ipsa gratia. — *c*) Reliquæ adversariorum rationes nihil aliud probant nisi necessitatem *nexus* inter Unionem hypostaticam et gratiam habitualem qua complete et simpliciter humanitas Christi sanctificatur.

Conclusio 2ª.— NECESSE EST PONERE IN CHRISTO GRATIAM HABITUALEM ; — quod firmum certumque secundum *fidem* affirmat *Suarez* (Disp. XVIII, sect. 2, n. 5).

1° Sane *SS. Litteræ* indubia testimonia præbent.— Legimus (Is . XI, 2) : *Requiescet super eum spiritus Domini*, etc. Atqui spiritus Dei dicitur esse in homine per gratiam habitualem aliaque charismata ei conjuncta. Ergo.— Præterea nuntium angelicum id habet (Luc. I, 35) : *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sed cum Christus, secundum quod Deus, sanctus ab æterno extiterit, nativitas temporalis non potuit ei esse sanctitatis causa nisi secundum humanitatem. Igitur, etc.

2° *Rationes* triplici ex capite duci possunt : *a*) *primo* ex *unione ad Verbum.*— Quanto aliquod receptivum est propinquius causæ influenti, tanto magis de ejus influentia participat ; id experientia ostendit. Atqui ex una parte influxus gratiæ est a Deo, juxta illud (Ps. LXXXIII, 12) : *Gratiam et gloriam dabit Dominus ;* ex altera parte, major conjunctio inter Deum et animam esse non potest quam unitas subsistentiæ. Ergo oportuit ut anima Christi gratiæ divinæ influxum abunde reciperet.

b) *Secundo* ex *nobilitate illius animæ*.— Animæ Christi, pro dignitate unionis personalis cum Verbo, debetur quædam deiformitas, qua nempe *divina* fiat *per participationem* et capax reddatur immediate pertingendi ad Deum, cognitione et amore, exercendo actum *beatificae fruitionis*. Atqui ad utrumque requiritur gratia habitualis ; per hanc enim gratiam homo accidentaliter participat divinam naturam, et ejus vi, accedente gratia actuali, potest elicere operationes essentialiter supernaturales quibus beatitudo formalis constituitur. Ergo.

c) *Tertio* ex *fine Incarnationis*.— Cum Christus, in quantum homo, sit *mediator Dei et hominum* (1 Cor. II, 5), oportebat ejus animam taliter perfici ut in salutem humani generis, exemplo et opere, efficaciter influeret. Atqui hæc exemplaritas et efficientia Christi mediatoris vim suam ducit ex gratia habituali quæ est forma justitiæ et principium *quo* operum salutarium et meritorum supernaturalium. Ergo jure scripsit Evangelista (Joan. I, 16) : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.*

Coroll.— Quoniam abundantia gratiæ sanctificantis in Christo maxime derivatur ex ipsa Verbi Unione, consequens est quod Christus coeleste illud donum *ab ipso Incarnationis instanti* acceperit, juxta verba (Joan. X, 36) : *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum* (cf. Sum. theo. III, Q. XXXIV, a. 1).

Solv. obj. (cont. 2^am^ concl.).— Obj. 1. — Gratia est quædam participatio Divinitatis in creatura rationali. Atqui Christus non participative, sed essentialiter Deus est. Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :* Christus est verus Deus secundum personam et naturam divinam, *C ;* etiam secundum naturam humanam, quin in ea locus sit participandæ Divinitatis per gratiam, *N.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Gratia homini necessaria est ut per eam bene operetur et consequatur vitam æternam. Atqui Christo per Verbum seu Filium Dei aderat facultas bene operandi et jus ad hæreditatem coelestem. Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :*... facultas bene operandi operatione *divina* et jus ad hæreditatem coelestem actu *increato* cognitionis et amoris comparandam, *C ;*... facultas perfecte operandi operatione *humana* et fruendi Deo actu *creato*, quin anima perficeretur per gratiam habitualem, *N.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Id quod operatur per modum instrumenti, non indiget habitu ad proprias operationes. Atqui anima humana in Christo fuit instrumentum Divinitatis. Ergo.

Resp. *D. M :* Id quod operatur per modum instrumenti inanimati... *C ;* per modum instrumenti animati, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Instrumentum duplex est : quoddam quidem *inanimatum*, quod agitur et non agit, ut securis, et hoc non indiget habitu ; aliud vero *animatum*, ut servus, quod agit et agitur, et in eo necessarius est habitus quo propria activitas perficiatur : hujusmodi est humanitas Christi[1].

ARTICULUS II.

Utrum in Christo fuerint virtutes.

(Q. VII, aa. 2-4)

1° Una est Ecclesiæ, Patrum, ipsorumque fidelium consona vox, Christum Jesum fuisse perfectissimum omnium *virtutum* exemplar ; adeo ut nihil in re spirituali fundatius habeatur quam monitum lib. *de Imitatione Christi* (l. I, c. I, n. 1) : « Summum igitur studium nostrum sit, in vita Jesu Christi meditari ».— At theologi est theologica ratione, quæ creduntur, adstruere.

2° Notat *Cajetanus* (in art. 2) quæstionem hic esse de virtutibus quæ *simpliciter* bonum hominem faciunt, quales sunt virtutes *theologicae* et *morales*, non autem intellectuales ; de his siquidem satis constabit, dum tractabitur de scientia Christi. Virtutum moralium aliæ sunt supernaturales et per se *infusæ*, aliæ naturales et de se *acquisibiles ;* de utrisque agetur.

3° Amplius advertere est virtutes considerari posse tripliciter : scil. *causaliter* seu ex parte principii ; *materialiter* seu ex parte materiæ circa quam sunt ; *formaliter* seu secundum formalem suum conceptum.— Quæ si attendantur, varia de Christo concludenda apparebunt.

Conclusio 1ª.— Christus habuit omnes virtutes per se infusas quæ non important formaliter defectum.— Dicitur : *quae non important formaliter defectum ;* nam de aliis defectum importantibus dicemus in seq. conclusione.

1° Legimus (Ps. I, 2) : *In lege Domini voluntas ejus et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Hæc autem verba, sicut totus iste psalmus, non immerito exponuntur per antonomasiam de *Christo* qui virtutum praxi perfectissime Dei legem

[1] — Vid. alias objectiones in Q. XXIX *de Verit.*, a. 1.

implevit.— Sane *historia evangelica* testatur totam Christi vitam continuo altissimarum virtutum exercitio, vid. caritate, prudentia, humilitate, fortitudine, etc., refulsisse, adeo ut ipsi increduli id confiteri adacti sint.

2° *Ratio D. Thomae* dupliciter procedit : — *a*) Primum *ex parte principii*. Gratia respicit essentiam animæ, virtus vero potentiam : quocirca, sicuti potentiæ animæ ab ejus essentia derivantur, ita et virtutes se habent velut totidem gratiæ derivationes. Atqui quanto aliquod principium est perfectius, tanto efficacius effectus suos imprimit. Ergo cum gratia Christi fuerit perfectissima (quod mox probabitur), consequens est omnes virtutes in anima Christi, tum intensive, tum extensive, excellenter effloruisse.— *b*) Secundo *ex munere proprio virtutis*. Gratia *immediate* quidem perficit animam secundum esse, *mediantibus* autem virtutibus potentias ad actum disponit. Atqui necesse erat ut singulæ potentiæ animæ Christi quoad omnes actus debite perfecteque disponerentur. Ergo.

3° Ad *praeveniendas objectiones*, notabimus (ex art. 2, resp. ad 3) Christo non defuisse virtutes passionum moderativas, *a*) saltem quoad *internam* appetitus dispositionem et simpliciter ; v. g. *liberalitas*, *magnificentia*, *temperantia*, summe in eo commendantur, quod animum circa divitias et venerea ita dispositum habuerit ut penitus illa a se abjecerit secundum rectam rationem.— *b*) Quantum vero ad *actuum exercitium*, non oportuit Christum omnis virtutis actu exteriori uti, sed iis tantum actibus qui suo statui convenirent : sic non potuit exercere *magnificentiam*, deficiente materia quæ est in magnis sumptibus ; aliquem tamen *liberalitatis* actum exercuit faciendo pauperibus erogari quæ sibi dabantur ; nunquam vero pravas sensit concupiscentias quas *temperantia* domaret.

Conclusio 2ª.— VIRTUTES IMPORTANTES EX PARTE SUI DEFECTUM, UT FIDES, SPES, POENITENTIA, NEQUEUNT IN CHRISTO ADMITTI.— Prob :

1° Quoad *fidem*.— *a*) Fides theologica, secundum essentialem suam rationem, est de re divina *non visa*, sed per *auctoritatem* Dei revelantis credita, ideoque necessario defectum in anima ponit. Atqui Christus a primo suæ conceptionis instanti plene vidit Deum per essentiam omniaque in eo ; nec insuper ullum decet in ejus intellectu defectum admittere. Ergo.— *b*) Quamvis autem Christus extiterit sine fide, non tamen fidei *merito* omnino caruit ; quippe hoc me-

ritum perfective dependet ex *obedientia* ad Deum quæ in Christo excellentissima fuit.

2° Quoad *spem*.— *a*) De ratione spei theologicæ est ut aliquis exspectet id quod nondum habet, scil. Dei fruitionem, cujus adeptio, quantumvis ardua, possibilis tamen est ex divino auxilio ; unde illud Dei bonum a Deo speratum principaliter sub spe cadit eamque constituit. Atqui Christus a principio suæ conceptionis, sicuti immediate Deum vidit, ita et plene eo fruitus est. Ergo *virtutem* spei non habuit. — *b*) Attamen, licet Christus videndo Deum omnia a se cognoscibilia perspiceret, non statim ex Dei possessione omnia consecutus est ad suî perfectionem spectantia ; carebat enim immortalitate et gloria corporis. Hæc autem bona non sunt arduæ adeptionis in eo qui jam gloria animæ gaudet propterea que habet in se unde illa sibi comparet[1]. Quocirca gloria corporis non proprie sperabatur a Christo, sed magis erat objectum *desiderii*, vel ex se perfecti nec ab ullo habitu procedentis (ut sentit *Cajetanus*), vel secundario eliciti a *caritate* qua Christus, seipsum diligens, proprium bonum in ordine ad Deum desiderabat : quo etiam modo Christus censetur *mystico suo corpori*, quod est Ecclesia, profectum et gloriam optare[2].

3° Quoad *pœnitentiam*.— Res evidens est : siquidem nec fuit nec esse in Christo potuit peccatum *proprium* circa quod expiandum vel emendandum virtus poenitentiæ, ad objectum hujusmodi essentialiter ordinata, exerceretur. Ita *Gonet* et *Billuart*.

Conclusio 3ª.— In Christo etiam ponendæ sunt virtutes morales per se naturaliter acquisibiles, de facto tamen divinitus ab initio infusæ. Ita theologi communiter cum *Suarez*, *Gonet*, etc.— Id autem intelligendum est, *seclusa omni imperfectione* perfectioni Christi contraria.

1ª *Pars ostend.*— In Christo ponendum est quidquid ad perfectionem humanæ naturæ pertinet (salva exigentia Redemptionis). Atqui ad perfectionem humanæ naturæ pertinent virtutes naturaliter de se acquisibiles, utpote principia propria et immediata quibus singulæ potentiæ inclinantur ad actus connaturaliter et expedite eliciendos, nec isti habitus possunt per virtutes infusas adæquate suppleri. Ergo.

2ª *Pars*, de *ortu* virtutum naturalium in Christo, quam facile suadetur.— Quippe perfectio illarum virtutum in ani-

[1] — Cf. Sum. th.. II-IIæ, Q. XVIII, a. 2.
[2] — Cf. *ibid.* ad 3.

ma Christi « debita erat illi naturæ ratione *Unionis*, et quod aliquo tempore illa careret, neque ad finem Redemptionis neque ad aliquem alium erat necessarium. Christus autem *a principio* habuit omnem perfectionem unioni debitam cujus carentia Redemptioni necessaria non erat » (*Suarez*, Disp. XIX, sect. 2). Ergo, licet Christus easdem virtutes progressive exercuerit et demonstraverit, statim tamen ab initio, infundente Deo, eas consecutus est. Nec paritas est inter *scientiam acquisitam* Christo concessam, ne intellectus ejus agens otiosus maneret, et virtutes morales quarum eadem est facultas acquisitiva et elicitiva.

ARTICULUS III.

Utrum in Christo fuerint dona Sp. Sancti.

(Art. 5-6)

Alibi[1] jam differentiam propriam assignavimus inter virtutes et dona ; non est ergo cur diutius in limine quæstionis immoremur.

Conclusio.— In Christo excellentissime fuerunt omnia dona Sp. Sancti, non excepto dono timoris.

1° Id *communiter* evincitur ex verbis propheticis (Is. XI 2-3) : *Requiescet super eum spiritus Domini ; spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Ubi sermonem esse de Christo secundum humanitatem communis est Patrum et Doctorum consensio.

2° *Prob. concl.* per partes.

1ª *Pars ostend.*— *a*) Dona proprie sunt perfectiones quædam potentiarum animæ, secundum quod natæ sunt a Sp. Sancto *praeter humanum modum* moveri. Atqui manifestum est quod anima Christi perfectissime a Sp. Sancto movebatur, ei in omnibus obsequens, juxta illud (Luc. IV, 1) : *Jesus autem plenus Sp. Sancto regressus est a Jordane, et agebatur a Spiritu in desertum.* Ergo.— *b*) *Conf.* (ex resp. ad 1, art. 5) : illud enim quod est perfectum secundum *ordinem suae naturae* indiget adjuvari ab eo quod altioris naturæ est, sicut homo, quantumcumque perfectus, indiget auxilio Dei. Propterea, etsi virtutes animæ Christi perfectissimæ forent, quia tamen non perficiebant ejus potentias

[1] — Tract. *de Virtutibus*, Disp. IX.

nisi secundum quod istæ natæ sunt rationis lege regulari, indigebant adjuvari per dona perfectiva potentiarum, secundum quod hæ potentiæ moventur et veluti afflantur instinctu Sp. Sancti.— *c*) Itaque admittenda sunt in Christo septem dona, nempe : donum *intellectus*, quo statim penetraret quæ divinitus proponebantur; donum *sapientiæ*, quo posset facile judicare de rebus æternis per altissimas causas ; donum *scientiæ*, quo vera judicaret secundum rationes inferiores ; donum *consilii*, quo statim rectam agendorum rationem attingeret ; donum *pietatis*, quo Deum Patrem convenienter coleret ; donum *fortitudinis*, quo contra adversa roboraretur ; donum *timoris*, de quo specialis difficultas specialem sermonem exposcit.

2ª *Pars* ergo (contra *Durandum*) etiam *timoris* donum in Christo fuisse affirmat, ut locus Is. XI manifeste suadet.— Etenim timor duo objecta respicit : unum *secundarium*, quod est malum terribile ; aliud *primarium*, quod est ille cujus potestas et eminentia talis est ut malum inferre valeat. Atqui in Christo non fuit quidem nec esse potuit timor Dei secundum quod respicit malum separationis a Deo per culpam aut malum punitionis pro culpa, at bene admittitur, secundum quod respicit divinam eminentiam reverentia dignam. Ergo, cum Christus hunc reverentiæ affectum ad Deum pleniorem habuerit, ex quo *exauditus est pro sua reverentia* (Heb. V, 7), recte ei Scriptura plenitudinem timoris Domini attribuit. Circa *minorem* notetur (ex *Cajetano* in art. 6) quod eminentia Dei, ut potentis inferre malum, dupliciter potest ad donum timoris referri : vel *absolute*, vel *executive*. Hoc quidem secundo modo nequit esse causa timoris ei cui impossibile sit malum culpæ aut poenæ ; at priori modo potest sub hujus timore reverentiali cadere, quatenus consideretur eadem eminentia ut potens *de se* infligere malum et determinata simul ad non causandum illud.

ARTICULUS IV.

Utrum in Christo fuerint gratiæ gratis datæ.

(Art. 7-8)

Ex tract. *de Gratia* revocare juverit gratiam dici *gratum facientem*, prout proxime ordinatur ad justificationem habentis, *gratis datam* vero, quæ immediate confertur alicui in utilitatem aliorum.— Exploratis variis gratiæ muneribus et

donis primi generis quibus anima Christi locupletata erat, pauca dicenda subeunt de altero genere gratiæ quæ novem species sub se continet (1 Cor. XII, 7-10).— Duas conclusiones instituemus, generalem unam, aliam specialem de *prophetia*.

Conclusio 1ª. — CHRISTUS HABUIT OMNES GRATIAS GRATIS DATAS MODO EXCELLENTISSIMO.

1ª *Pars :* Christus *habuit* illas gratias.— Etenim gratiæ gratis datæ ordinantur ad fidei et spiritualis doctrinæ manifestationem, quatenus *cognitioni*, *confirmationi* et *enunciationi* veritatis deserviunt. Atqui spiritualis doctrinæ et fidei primus et principalis doctor est Christus, non solum ut Deus, sed etiam ut homo, juxta illud (Heb. II, 3-4) : *Quae* (salus) *cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis.* Ergo.

2ª *Pars : omnes* gratiæ *gratis datæ* fuerunt in Christo.— Id patet discurrendo per singulas gratias. *a*) *Fides*, non ut virtus, sed quatenus significat excellentiam cognitionis de principiis divinæ veritatis, certe mentem Christi adornabat ; nec aliud sentiendum est de *sapientia* et *scientia*, teste Scriptura (Luc. IV, 22) : *Mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus.* *b*) In Christo fuisse gratiam *sanitatum* et *virtutum*, innumera miracula ab Evangelistis enarrata demonstrant ; quibus adjungenda est *discretio spirituum*, juxta illud (Matth. IX, 4) : *Cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit*, etc; item *prophetia*, de qua mox infra. *c*) *Interpretationem sermonum* Christo tribuendam esse ostendit historia evangelica, ubi tam sæpe Jesus exhibetur aperiens sensum Scripturarum ; nec etiam ei defuit *donum linguarum*, quamvis non videatur eo usus fuisse in prædicatione publica, sed tantum (ut nonnulli putant) in quibusdam privatis colloquiis[1].

3ª *Pars :* præfatæ gratiæ fuerunt in Christo *excellentissime*.— Id patet ex duobus. *a*) Nam *primo* in aliis sanctis, qui tanquam instrumenta separata a Deo moventur, gratiæ illæ divisim et particulariter inveniuntur ; in Christo vero, cujus anima unita erat Divinitati, *conjunctim* et universaliter. *b*) *Secundo* (ut notat *Suarez*) hæ gratiæ fuerunt in Christo *permanenter*, permanente unione humanitatis cum Verbo, ita ut illis uti posset pro suo arbitrio ; in quo etiam alios homines plane superavit (cf. S. Th. *Comm.* in Coloss. I, 19).

[1] — Genuinitas epistolæ, quam ferunt Christum ad Abgarum, regem Edessæ misisse, a plerisque negatur (Kraus, *Hist. de l'Egl.*, I Ep., I Pér. c. 1).

Conclusio 2ª. — ETIAM PROPHETIA VERE ET PROPRIE FUIT IN CHRISTO.— Ita plerique theologi contra quosdam.

1° Namque id de Christo prædictum est (Deut. XVIII, 15) : *Prophetam de gente tua et fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Et ipse loquens de se ipso (Matth. XIII, 56) : *Non est*, inquit, *propheta sine honore, nisi in patria sua.*

2° Propheta dicitur quasi *procul fans*, vel *procul videns.* Igitur ille vere propheta censendus est qui cognoscit et annuntiat ea quæ procul sunt tam ab ipso secundum suum statum quam ab illis quibuscum conversatur ; ideo autem Deus vel beatus, annuntians quæ a nostra notitia distant, nequit dici propheta, quia hæc notitiæ divinæ vel beatæ nata sunt subjici. Atqui Christus ante passionem, quamvis foret comprehensor[1], de nostro tamen erat statu, in quantum viator ; et plurima cognovit et annuntiavit quæ ab ipso procul erant secundum hunc viatoris statum, v. g. suam mortem et resurrectionem (Matth. XVI, 21 ; XX, 18-19), eversionem Jerusalem et signa extremi judicii (*ibid.* XXIV), etc. Ergo.

ARTICULUS V.

Utrum et quaenam fuerit in Christo plenitudo gratiae.

(Art. 9-10)

Ad secundam quæstionis partem progredimur, quæ est de *modo* gratiæ Christi, secundum rationem *quantitatis* et *dependentiae* ab Unione hypostatica.— Quantitas autem determinari potest tum sub respectu *plenitudinis*, tum sub respectu *infinitatis.*— Plenitudo et ipsa vel *secundum se*, vel quatenus *propria* Christi, sub considerationem venit : quæ duo in præsenti articulo discutiemus.

CONCLUSIO 1ª.— OMNIMODA GRATIÆ PLENITUDO IN CHRISTO ADMITTENDA EST.— Plenitudo hic accipitur non solum in genere aliquo et secundum exigentiam subjecti, sed *simpliciter* et secundum ipsam *rei naturam.*

1° *Conclusio* disertis *Scripturae* verbis continetur, scil. (Joan. I, 14) : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti*

[1] — III, Q. XV, a. 10 ; ubi de Christo dicitur : « Simul erat *comprehensor*, in quantum habebat beatitudinem propriam animæ, et simul *viator*, in quantum tendebat in beatitudinem secundum id quod ei de beatitudine deerat », videl. quantum ad partem inferiorem.

a Patre, plenum gratiae et veritatis. Et (Coloss. I, 19) : *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.*— Eloquia *Patrum* vid. apud Knoll (de Deo Redempt. Sect. I, c. IV, a. 2).

2° Discursum *S. Thomae* attendamus.— Id plene dicitur haberi quod perfecte et totaliter habetur. Totalitas autem et perfectio duplex esse potest : una quidem *intensiva*, puta si paries tantum albedinis haberet quantum inesse potest ; alia *extensiva*, secundum quam virtus aliqua ad omnes effectus vel opera protenditur : quo modo plene homo vitâ gaudet, non autem brutum animal vel planta. Atqui utraque sub ratione plenitudo gratiæ Christo convenit : ergo. *Min. prob.* per partes.— 1ª *pars*, quoad plenitudinem *intensivam*, evincitur ex eo quod Christus gratiam habuit *in summo*, secundum perfectissimum modum quo haberi potest. *a*) Sane (ut dictum est art. 1) quanto aliquod receptivum propinquius est causæ influenti, tanto abundantius de influxu recipit. Atqui anima Christi, præ cæteris creaturis rationalibus, *propinquissime Deo* conjungitur, adeo ut intimior unio cogitari nequeat. Ergo. *b*) Præterea, *fons gratiae* aliis communicandæ summam gratiæ mensuram contineat oportet, sicut fons caloris ex quo corpora calefiunt maxime calidus est. Atqui sic anima Christi gratiam recipiebat ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios. Ergo.— 2ª *pars*, de plenitudine *extensiva*, sibi vult Christi gratiam talem fuisse quæ ad omnes gratiæ operationes vel effectus vim suam proferret. Etenim gratia Christo collata est tanquam cuidam *universali principio* in genere habentium gratiam. Atqui virtus primi principii alicujus generis universaliter se extendit ad omnes effectus illius generis, ut patet de sole respectu generabilium. Ergo censenda est gratia Christi tam plena fuisse ut se extenderet ad omnes gratiæ effectus, virtutes, dona, aliaque charismata divina.

Conclusio 2ª. — PLENITUDO GRATIÆ, ABSOLUTE ET SIMPLICITER SUMPTA, PROPRIA EST CHRISTI, LICET RESPECTIVE SEU EX PARTE SUBJECTI ALIIS ETIAM CONVENIAT.— Propositio hæc fundatur in distinctione superius facta, quia plenitudo gratiæ potest attendi dupliciter, nempe ex parte *ipsius gratiae* et ex parte *habentis gratiam.*

1ª *Pars prob :* — 1° ex *Scriptura.* Nam, ut constat ex textu cit. Joan. I, 14, plenitudo gratiæ attribuitur Christo, in quantum est *unigenitus* a Patre. Atqui esse unigenitum a Patre est proprium Christo. Ergo.— 2° Ex *natura rei.* Simpliciter et *absolute* seu ex parte ipsius gratiæ, gratiam

plene haberi dicitur ex eo quod aliquis pertingit ad summum gratiæ et quantum ad essentiam et quantum ad virtutem, quia scil. habet gratiam et in maxima excellentia qua potest haberi (plenitudo *intensiva*), et in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus (plenitudo *extensiva*). Atqui rationes, quibus in præced. concl. utramque plenitudinem adstruximus, soli Christo competunt. Ergo.

2ª *Pars ostend.*— Ex parte subjecti seu *respective* ea plena dicitur gratia quam aliquis habet pro exigentia suæ conditionis, sive *intensive*, prout in eo gratiæ intensitas attingit terminum ei a Deo præfixum, sive *extensive*, quatenus gratiæ facultas se extendit ad omnia quæ ejus officii seu status sunt. Atqui talis plenitudo respectiva aliis, præter Christum, procul dubio convenit : *intensive* quidem, juxta illud (Eph. IV, 7) : *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi ; extensive* autem, prout de se testabatur Ap. (*ibid.* III, 8) : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi*, etc. Ergo. *Arg. evolv.* Sub genere respectivæ plenitudinis gratiæ, merito distinguitur *communis* una et *specialis* altera.— *a*) Plenitudo *communis* est illa quæ reperitur in omnibus sanctis in ordine ad consequendum debitis meritis communem finem vitæ æternæ ad quem sancti illi præordinantur et qui in plena Dei fruitione consistit ; hæc est plenitudo *sufficientiae*, quam fidelibus optat Apost. (Eph. III, 19) : *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.*— *b*) Plenitudo *specialis* convenit excellentioribus sanctis secundum altiorem suum statum, et hæc est plenitudo *excellentiae*. Eâ præprimis, teste *salutationis angelicae* nuntio (Luc. I, 28), honestata est *B. Virgo Maria*, non quod gratiam absolute plenam habuerit, sed quia eam recepit secundum congruentiam ad singularissimam dignitatem Matris Dei. Similiter *Stephanus* dictus est *plenus gratia et fortitudine* (Act. VI, 8), quatenus gratiam habuit qua idoneus Dei minister et testis, secundum suam electionem, existeret : id ipsum de aliis teneatur.— *c*) Harum, ut patet, relativarum plenitudinum *una* est *major alterâ*, secundum quod aliquis divinitus præordinatus est ad altiorem vel inferiorem statum.

Coroll.— 1° Consequitur ex dictis gratiam Christi, utpote fontalem, ex cujus plenitudine omnes accipiunt, vi et copia superare totam gratiam Angelorum et hominum etiam collective sumptam ; quod certe docet *S. Thomas* (Q. XXXIV, a. 4), ubi ait : « Christus in primo instanti suæ conceptionis accepit non solum tantam gratiam quantam comprehensores habent, sed etiam *omnibus comprehensoribus majorem.*»

2° Apparet quam vera sit concinna illa *S. Bernardi* sententia (in Nativ. B. V. M. serm. *de aquaeductu*, n. 3), ubi Christum exhibet gratia plenum ut *fontem*, Mariam ut *aquaeductum*, per quem « descendit... vena illa cœlestis... stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens, aliis quidem plus, aliis minus.»

Solv. obj. (cont. 1am concl.).— OBJ. 1.— A gratia derivantur virtutes. Atqui in Christo non fuerunt omnes virtutes ; non enim in eo fuit fides neque spes. Ergo.

RESP. *C. M.— D. m :...* non fuerunt omnes virtutes formaliter, *C ;* nec saltem virtualiter, *N.— Neg. conseq.*

Fides et spes nominant effectus gratiæ cum quodam defectu ex parte recipientis gratiam, in quantum fides est de non visis et spes de non habitis : idem dic de pœnitentia, quæ est de peccato proprio[1]. Itaque in Christo, qui est gratiæ auctor, non fuerunt illæ virtutes *formaliter*, propter defectus quos secum trahunt ; at fuerunt in eo *virtualiter*, ita ut quidquid est perfectionis et meriti in illis multo perfectius Christi animam ornaverit.

OBJ. 2.— Gratia dividitur in operantem et cooperantem ; gratiæ autem operantis est justificare impium. Atqui justificatio hujusmodi locum non habuit in Christo. Ergo.

RESP. *D. M :...* gratiæ operantis est justificare impium per accidens, *C ;* per se, *N — C. m.— Neg. conseq.*

Ad gratiam operantem *per se* pertinet facere justum ; sed quod justum faciat ex impio, id ei *accidit* ratione subjecti in quo peccatum invenitur. Anima Christi igitur justificata est per gratiam operantem, quatenus per eam justa et sancta a principio conceptionis fuit effecta, non quod ante peccatrix exstiterit.

OBJ. 3.— *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum* (Jac. I, 17). Atqui quod descendit, habetur particulariter et non plene. Ergo.

RESP. *C. M.— D. m :...* non habetur secundum plenitudinem ipsius principii, *C ;* nec secundum plenitudinem cujus capax est subjectum receptivum, *N.— Neg. conseq.*

Dona gratiæ in Deo præexistunt secundum plenitudinem *infinitam* divinæ bonitatis, a qua procedunt ; eorum autem plenitudo attribuitur animæ Christi, non quomodocumque, sed secundum quod *creatura*, in qua dona illa creatum essendi modum induunt, plenitudinis ejusmodi *capax* est.

[1] — 3 S. D. XIII, Q. I, a. 2 ad 1.

ARTICULUS VI.

Utrum Christi gratia sit infinita neque augeri valeat.

(Art. 11-12)

Agitur nunc de modo gratiæ sub ratione *infinitatis* et *augmenti*.— Profecto quæstio non est de *gratia unionis*, quam nemo dubitat infinitam esse, sicuti infinita est persona Verbi, cui humana natura gratis sociata est ; at dubium merito oritur circa habitualem Christi gratiam, an infinitate quadam gaudeat quæ et possibilitatem augmenti excludat : utrumque determinabitur.

Conclusio 1ª. — GRATIA CHRISTI DICENDA EST INFINITA, NON QUIDEM IN RATIONE ENTIS, SED SECUNDUM RATIONEM PROPRIAM GRATIÆ.

1ª *Pars* sibi vult gratiam, spectatam ut est *ens* quoddam, esse finitam ; quod indubium prorsus est — 1° Huc pertinent verba (Sap. XI, 21) : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti*.— 2° Gratia Christi est *qualitas* quædam, insita in anima sicut in subjecto ; Christi autem anima *finita* est, finitam habens capacitatem. Atqui id quod clauditur intra genus qualitatis seu accidentis, et cujus esse secundum finitionem subjecti limitatur, nequit dici entitative infinitum. Ergo.— 3° Nec inferre licet gratiam alterius hominis eo usque posse progredi ut *gradum gratiae Christi attingat*. Quamvis enim, in his quorum quantitas est unius rationis, quod est minus valeat augmento ad gradum majoris pervenire, hoc fieri nequit in iis quæ specie vel *essendi modo proprio* differunt. Porro gratia alterius hominis comparatur ad gratiam Christi sicut quædam virtus *particularis* ad *universalem*. Ergo, quemadmodum lux planetarum, quantumcumque crescat, non potest adæquare lucem solis, ita nec gratia privati hominis altiorem Christi gratiam.

2ª *Pars* admittit *infinitatem* secundum *propriam gratiae rationem*.— Enim vero ea gratia dici potest infinita quæ habet quidquid potest ad rationem gratiæ pertinere, quin ulla ei mensura præfigatur ; sicut si dicamus lucem solis infinitam, non quidem secundum suum esse, sed secundum incommensuratam lucis rationem. Atqui gratia Christi sic illimitata est : *a*) quippe gratia est *infinitae Personae*, quæ sibi animam Christi adscivit ; *b*) collata est huic animæ, non ad mensuram, sed secundum plenitudinem, et pro dignitate *universalis* principii gratificationis, de quo Ap. (Eph. I, 6) :

Gratificavit nos in dilecto Filio suo ; c) ad *infinitum* quoque *effectum* se extendit, attingens totam humanam naturam ipsosque Angelos.

Conclusio 2ª. — GRATIA CHRISTI AUGERI NON POTEST, NEC DE POTENTIA ABSOLUTA, SIMPLICITER LOQUENDO.

1ª *Pars*, intellecta saltem de potentia *ordinata*, communiter conceditur.

1° Sane perfectio seu plenitudo gratiæ Christi consequitur perfectionem *unigeniti a Patre* (Joan. I, 14). Atqui nihil potest esse aut intelligi majus quam Verbi Dei generatio. Ergo nec potest esse vel cogitari major gratia quam illa qua Christus repletus est.

2° Aliquam formam non posse augeri contingit dupliciter : *uno modo* ex parte *subjecti* quando pervenitur ad ultimum gradum quo forma illa in *tali* subjecto participabilis est, puta si dicatur calorem aquæ super centum gradus augeri non posse, aqua jam in vaporem vertente ; *alio modo* ex parte *formae*, quando attingitur ultima perfectio quam talis forma absolute possit in natura consequi, puta si luce solis lux excellentior negetur. Atqui neutro modo gratia Christi augmentabilis est : ergo. *Prob. min.*— *a*) *Non ex parte subjecti.* Nam, hoc modo, nequit gratia augmentum suscipere in eis qui comprehensores sunt, ut beati, seu ultimum vitæ *terminum* assecuti sunt. Atqui Christus, secundum quod homo, a primo instanti suæ conceptionis verus fuit ac plenus comprehensor. Ergo.— *b*) *Non ex parte gratiae.* Siquidem, quemadmodum ex divina sapientia reliquæ formæ speciem ac mensuram determinatam sortiuntur per comparationem ad suum finem, ita et gratia propriam mensuram ex commensuratione sui finis sumere æstimanda est. Atqui finis gratiæ est unio creaturæ rationalis ad Deum, tum quæ mentis actu accidentaliter perficitur, tum quæ substantialiter seu in esse personali Verbi consistit ; qua quidem personali unione nec intelligi major potest, et cui unio accidentalis subordinatur et consonat. Ergo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ.

2ª *Pars* dirigitur contra plures theologos, uti *Suarez*, *Billuart*, etc ; eam vero *Cajetanus*, *Satolli*, *Lépicier*, etc., jure merito tuentur.— Nam 1° perspicua est mens *S. Thomae* ex sequentibus verbis (*de Ver.* Q. XXIX, a. 3 ad 2) : « *Potest* Deus facere *meliorem essentiam* quam sit essentia gratiæ, *non* tamen *aliquid melius in genere gratiae ;* cum gratia Christi omnia includat ad quæ ratio gratiæ se potest extendere.» — 2° In toto demonstrationis decursu (hic III, Q. VII, a. 12)

et infra (Q. X, a. 4 ad 3) S. Doctor repetit impossibilitatem augmenti gratiæ Christi ex unione personali cum Verbo : hac autem unione, nec de potentia *absoluta*[1], major compleri posset.— 3° Recolendum est aliquid dici possibile de potentia *absoluta*, vel *simpliciter*, si non repugnet neque potentiæ neque sapientiæ divinæ, vel *secundum quid* et conditionaliter tantum, si, quamvis sub potentia cadat, sapientiæ tamen aut justitiæ adversetur. Augmentum gratiæ Christi possibile nobis videtur possibilitate absoluta *secundum quid*, scil. quæ a sapientia divina præscindat, non vero possibilitate absoluta *simpliciter*, quia nunquam posset Dei sapientia gratiam ordinare ad præstantiorem finem quam sit Unio hypostatica : hæc ipsissima est Angelici sententia.

Solv. obj. (cont. 2am concl.).— Obj. 1.— Omni finito potest fieri additio. Atqui gratia Christi erat, saltem entitative, finita. Ergo.

Resp. *D. M* :... in quantitatibus mathematicis et abstractis, *C ;* in quantitate physica et concreta, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

1° Si loquamur de quantitatibus *abstractis*, quales mathematici accipiunt, cuilibet finitæ quantitati potest fieri additio, quippe nihil inibi est quod additioni repugnet.— At 2° si sermo sit de quantitate *physica* et naturali, additio repugnare potest ex parte formæ, cui debetur determinata quantitas, sicut et alia certa accidentia ; non enim eædem dimensiones debentur cani et elephanto.— 3° Multo magis in ipsis formis consideratur aliquis terminus ultra quem, pro sua indole suoque fine, progredi nequeant : hoc ipsum circa gratiam Christi teneatur.

Obj. 2.— Augmentum gratiæ fit per virtutem divinam (2 Cor. IX, 8). Atqui divina virtus nullo coarctatur termino. Ergo.

Resp. *D. M* :... per virtutem divinam sapientiæ conjunctam, *C ;* independenter a Dei sapientia, *N.*— *D. m :* in iis quæ simpliciter factibilia sunt, *C ;* quasi nulla dentur quæ operationi divinæ repugnent, *N.*— *Neg. conseq.*

« Virtus divina, licet possit facere aliquid majus et melius quam sit habitualis gratia Christi, non tamen posset facere quod ordinaretur ad aliquid majus quam sit unio personalis ad Filium unigenitum a Patre : cui unioni sufficienter correspondet talis mensura gratiæ, secundum definitionem *divinae sapientiae* » (S. Th., heic, art. 12 ad 2).

[1] — Cf. *de Deo*, Disp. VI, Q. III, a. 2.

Obj. 3.— Dicitur (Luc. II, 52) : *Jesus proficiebat sapientia et aetate, et gratia apud Deum et homines.* Ergo.

Resp. *D. antec :...* proficiebat secundum ipsum habitum gratiæ, *N ;* secundum gratiæ effectus, *C.— Neg. conseq.*

Limpida est *S. Thomae* doctrina (ad quam recentes quidam scriptores non satis attenderunt) : « In sapientia et gratia aliquis potest proficere dupliciter. Uno modo secundum ipsos *habitus* sapientiæ[1] et gratiæ augmentatos, et sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo secundum *effectus*, in quantum scil. aliquis sapientiora et virtuosiora opera facit ; et sic Christus proficiebat sapientia et gratia, sicut et ætate, quia secundum processum ætatis perfectiora opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret et in his quæ sunt ad Deum, et in his quæ sunt ad homines » (*ibid.* ad 3).

ARTICULUS VII.

Qualiter gratia habitualis Christi se habeat ad Unionem.

(Art. 13)

Postremus hic articulus proponitur ad determinandum *nexum* qui inter Unionem hypostaticam et gratiam habitualem Christi vigeat ; hujus namque connexionis ratio non inutiliter in illustrandam gratiæ Salvatoris notionem collata videbitur.

Conclusio.— Unio hypostatica in Christo præcedit, non tempore, sed natura gratiam habitualem.

1° Eo referri possunt duo loca prophetica.— Legitur enim (Is. XLII, 1) : *Ecce servus meus, suscipiam eum... dedi spiritum meum super eum.* Atqui hæc verba exponuntur de Christo[2], prouti Deus humanam naturam *sustinendam* suscepit (gratia unionis), susceptam vero *spiritu* suo replevit (gr. habitualis). Ergo.— Aliud quoque vaticinium, ex mente *D. Thomae* (III, Q. XXVII, a. 3.), *mystice* Christo applicari potest secundum eamdem habitudinem utriusque gratiæ ; scil. (Ezech. XLIII, 2) : *Ecce gloria Dei Israël ingrediebatur per viam orientalem* (incarnatio per B. Virginem)... *et terra splendebat a majestate ejus*, i. e. caro Virginis et Christi splendore gratiæ illustrabatur.

[1] — Intellige sapientiam beatam et infusam, juxta ea quæ dicentur infra (*de scientia* Christi).

[2] — Cf. Knabenbauer, *Curs. Scrip. Sac., Comm.* in Is. proph.

2° Triplici *ratione* intenta veritas confirmabitur.

a) *Primo* ex *ordine principiorum Unionis et gratiae.*— Principium Unionis hypostaticæ est persona Filii assumens humanam naturam, quam ob assumptionem missa in mundum dicitur ; principium autem gratiæ habitualis, cum caritate datæ, est Sp. Sanctus qui secundum hoc mitti intelligitur quod per caritatem mentem inhabitat[1]. Atqui *missio* Filii secundum ordinem naturæ prior est missione Sp. Sancti, sicut ordine naturæ Sp. Sanctus procedit a Filio et a sapientia dilectio. Ergo unio personalis, secundum quam intelligitur missio Filii, naturâ præcedit habitualem gratiam, secundum quam accipitur missio Sp. Sancti.

b) *Secundo*, ex *habitudine gratiae ad suam causam.*— Gratia in homine gignitur ex præsentia Divinitatis, sicut lumen in aëre ex præsentia solis. Atqui præsentia Dei in Christo maxime intelligitur secundum unionem humanæ naturæ ad divinam personam. Ergo gratia habitualis Christi consequi censenda est hanc unionem, ut splendor solem : ita ut recte accipiatur velut *proprietas* quædam (non physica, sed moralis) ejusdem unionis, et perfectio « quodam modo illi homini *naturalis* » (*August.* Enchir. c. 40).

c) *Tertio* ex *fine gratiae.*— Hæc enim quum ordinetur ad bene agendum, actus salutaris et per consequens gratia ad actum illum inclinans præsupponit hypostasim operantem. Atqui hypostasis in humanitate Christi non præsupponitur ante Unionem, sed est ipsa persona Verbi in eadem humanitate subsistens. Ergo gratia unionis naturâ et intellectu præcedit gratiam habitualem.

Solv. obj.— Obj. 1.— Idem non est posterius se ipso. Atqui, docente *August.* (l. de Præd. Sanct. c. 15), « eâ gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus.» Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... et ibi Augustinus gratiam sumit *active*, scil. pro *gratuita* Dei voluntate quæ tum in Incarnatione tum in justificatione se promit, *C ;* gratiam sumit *objective*, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Dispositio præcedit perfectionem tempore vel natura. Atqui gratia habitualis Christi videtur dispositio ad unionem humanitatis cum Verbo. Ergo.

Resp. *D. M* :... in iis quæ generationis via successive perficiuntur, *C ;* quasi prævia dispositio requiratur ad unionem alieni suppositi cum natura assumpta, *N.*— *D. m* :... proprie

[1] — Cf. *de Deo trino*, Disp. X, Q. III.

est *dispositio* ad unionem, *N ;* unionem consequitur quasi *proprietas* naturam assumptam dignificans, *C.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Commune est prius proprio. Atqui gratia habitualis communis est Christo aliisque hominibus, gratia autem unionis Christo propria. Ergo.

Resp. *D. M :...* in *eodem genere, C ;* in his quæ sunt *diversorum* generum, *N.— C. d. m :...* et gratia unionis pertinet ad genus gratiæ habitualis, *N ;* præeminet, sicut et ipsa divina Persona, omne genus, ex quo habet ut sit principium et origo perfectionum pluribus convenientium, *C.— Neg. conseq.*

QUÆSTIO SECUNDA

DE GRATIA CHRISTI CAPITIS

Modo considerandum subit de gratia Christi, secundum quod est *caput Ecclesiae.*— Quinque discutienda se præbent : *an* sit Christus Ecclesiæ caput (art. 1) ; *quorum* caput dicendus sit, num omnium *hominum* (art. 2) vel etiam *Angelorum* (art. 3) ; *quid* proprie (art. 4), *qualisve* sit (art. 5) gratia Christi-capitis.

ARTICULUS I.

Utrum Christus sit Ecclesiae caput et rex.

1° *Christus* heic sumendus est, secundum quod *homo*, scil. ut Filius Dei subsistens in natura humana spiritu carneque conflata ; etsi enim *primario* Deo competat esse caput et regem universorum, hæc tamen dignitas *propriori* sensu requirit conformitatem quamdam naturæ quæ homini Christo optime congruit respectu creaturarum rationalium.— 2° *Ecclesia* accipitur latissimo sensu pro *omni tempore* et secundum *triplicem statum* militiæ, probationis et triumphi.— 3° Non eadem omnino est *capitis* ac *regis* significatio, cum regia potestas (legislativa, executiva, judiciaria) magis externam gubernationem respiciat, caput vero externum simul et internum influxum exserat : utrumque Christo vindicabimus.

Conclusio. — Convenienter Christus nominatur Ecclesiæ caput et rex.— Huc spectant verba *Leonis XIII* (Encycl. *Satis cognitum*) : « Ecclesiam Filius Dei *mysticum corpus* suum decrevit fore, quocum ipse velut *caput* conjunge-

retur, ad similitudinem corporis humani quod suscepit.» Et *Conc. Trid.* (Sess. VI, c. 21) : « Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fidant, non etiam ut *legislatorem* cui obediant, A. S.»

1° In *Scriptura* modo Christus vocatur Ecclesiæ caput, modo rex.— Nam legitur (Eph. I, 22) : *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam ;* et (Coloss. I, 18) : *Ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.*— (Matth. XXI, 4-5) Christo applicatur quod dictum est per prophetam :[1] *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus ;* et ipse Christus interroganti Pilato (Joan. XVIII, 37) respondit : *Tu dicis, quia rex sum ego*[2].

2° *Ratione* sic proceditur.— Christus dicitur Ecclesiæ *caput* secundum similitudinem humani capitis, in quo tria considerare est : ordinem, perfectionem, et virtutem internam et externam. Atqui hæc tria competunt Christo spiritualiter : ergo.

Maj. decl. a) Ordinis primatus convenit capiti, inquantum est pars prima et superior humani corporis ; unde omne principium, puta viæ vel exercitus, consuevit vocari caput.— *b)* Præter hanc situs eminentiam, summa agnoscitur *perfectio* capitis, quatenus in eo vigent omnes sensus tum interiores, tum exteriores, in cœteris autem membris solus reperitur tactus.— *c)* Virtus quoque capiti convenit duplici ratione. *Efficienter* quidem : « nam caput influit omnibus membris sensum et motum ; unde et medici dicunt nervos a capite originem ducere, et quidquid pertinet ad vires animales apprehensivas et motivas »[3] (*de Ver.* Q. XXIX, a. 4). *Gubernative* vero : « quia caput omnia alia membra in suis actibus gubernat et regulat tam per sensus exteriores quam per interiores, qui in capite sedem habent » (*ibid.*) ; unde rector seu rex caput populi nuncupatur.

Min. ostend. a) Primo enim Christus, ut homo, propinquissimus Deo est et quolibet homine superior, et prior non tempore, sed altitudine gratiæ, ex cujus influxu veluti anticipato omnes sancti V. T. gratiam acceperunt.— *b) Secundo* perfectione dignitateque Christus omnes præcellit ob abundantiam gratiarum, sapientiæ scientiæque amplitudinem et nobilitatem, siquidem *in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare* (Coloss. I, 19).— *c) Tertio* virtus Christi, de cujus

[1] — Zach. IX, 9.
[2] — Vid. plura ap. Knoll, P. III, S. II, cap. 3.
[3] — Hæc certe consonant hodiernis physiologiæ assertis.— Cf. Vallet, *La tête et le cœur.*

plenitudine omnes accipiunt (Joan. I, 16), summopere commendatur : *efficiens* quidem, quia Christus homo non solum *merito*, sed et *efficacia* quadam instrumentali (cf. *Cajet.* in h. art.) vim habet influendi vitam gratiæ in omnia membra Ecclesiæ ; *gubernativa* vero, quia Christus legibus et consiliis suis totam regit societatem religiosam, juxta illud (Is. II, 3) : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Ex quo concluditur utramque in Christo fuisse, *capitalem* scil. et *regiam*, dignitatem.

Solv. obj.— Obj. 1.— Caput influit sensum et motum in membra. Atqui sensus motusque spiritualis, qui est per gratiam, nequit ab homine-Christo produci. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... auctoritative, *C ;* instrumentaliter et meritorie, *N.*— *Neg. conseq.*

Dare gratiam habitualem et actualem convenit Christo, secundum quod est Deus, *auctoritative*[1]; at *instrumentaliter* et *meritorie* ei etiam attribuitur, quatenus est homo : siquidem et meriti conditiones in actionibus Christi-hominis inveniuntur, et ejus humanitas instrumentum erat Divinitati conjunctum quo reali efficientiâ, non secus ac per sacramenta, gratia produceretur.— Hæc inferius illustrabuntur.

Obj. 2.— Capitis non videtur esse aliud caput. Atqui Christi, secundum quod est homo, est caput Deus (1 Cor. XI, 3). Ergo.

Resp. *D. M :* Capitis naturalis... *C ;* capitis similitudinarie sumpti, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

1° In metaphoricis locutionibus similitudo *aliqua*, non omnimoda, attenditur.— 2° Capitis quidem *naturalis* non datur aliud caput, quia corpus humanum non est pars alterius corporis ; at caput *similitudinarium*, pertinens ad corpus morale superiori potestati subjectum, habet supra se aliud caput, v. g. caput familiæ capiti civitatis subditur.— 3° Ita nihil prohibet caput Christi esse Deum, cum tamen ipse Christus sit Ecclesiæ caput.

Obj. 3.— Caput in homine est quoddam particulare membrum, influentiam recipiens a corde. Atqui Christus est universale principium totius Ecclesiæ. Ergo.

Resp. *D. M* :... particulare membrum secundum situm et vegetative dependens a corde, *C ;* nec gaudet universalitate quadam virtutis quæ et ipsi cordi sensitive dominetur, *N.*— *D. m* :... principium actioni Sp. Sancti associatum, *C ;* independens ab illa, *N.*— *Neg. conseq.*

[1] — Cf. tract. *de Gratia*, Disp. IV, Q. I, a. 1.

Caput in homine principalitate gaudet et secundum manifestam, quam habet, eminentiam respectu cæterorum membrorum, et secundum suam virtutem *sensitivam* et *motricem ;* at, in ordine *vegetativo*, primum principium, ex quo totus organismus occultum influxum vitamque cum sanguine recipit, est cor.— Itaque (et pulchrâ sane analogiâ) *cordi* comparatur Sp. Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit ; *capiti* autem assimilatur Christus secundum visibilem naturam, qua hominibus præfertur et dominatur[1].

ARTICULUS II.

Utrum Christus sit rex universorum omniumque hominum caput.

(Q. VIII, aa. 2-3)

Cum Christus dignitate capitali polleat ut homo, humana vero natura coalescat ex anima et corpore, patet influxum Christi in homines *ex tota* ejus humanitate esse repetendum. — Quo admisso, duo nunc circa *extensionem* hujus influxus investiganda veniunt ; *unum* respectu rerum quæ Christo subsint ; *aliud* respectu hominum quibus præficiatur.— Plura tamen in hac disceptatione prætermittemus, quæ solent a theologis in tract. de *Ecclesia* ventilari.

Conclusio 1ª.— Capitalis seu regia Christi potestas se extendit non solum ad animas, sed et ad corpora hominum, imo eminenti modo ad omnia creata.

1ª *Pars* apparet : — nam Christus dicitur Ecclesiæ caput, in quantum influit in ea spiritualem sensum et motum gratiæ. Atqui anima quidem *principaliter* est gratiæ susceptiva, sed *secundario* et instrumentaliter etiam corpus participare potest de vivifico influxu : *a) primo*, in quantum membra corporis exhibentur *arma justitiæ* in anima existentis per Christum, juxta monitum Ap. (Rom. VI, 13 et 19) ; *b) secundo*, quatenus vita gloriæ ab anima in corpus derivatur, secundum illud (Rom. VIII, 11) : *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Ergo.

2ª *Pars* fert Christum potestatem accepisse super *omnia temporalia* et *regna* mundi : quod et declarandum et demonstrandum est.

[1] — Vide alias objectiones ap. D. Thomam, *de Ver.* Q. XXIX, a. 4.

1° *Decl.*— *a*) Certo certius Christus, ut *Deus*, rex dominusque existit omnium creaturarum, eo modo quo Pater.— *b*) Præterea, ut *homo*, dubitandum non est quin plena instructus fuerit potestate regia in homines et in res temporales saltem *indirecte*, seu prout expedire judicaret ad finem spiritualem : id ab omnibus conceditur, et plane requirebatur ad hoc ut Ecclesiæ rex et caput posset bonum regni spiritualis efficaciter promovere.— *c*) Sed quæstio, inter theologos agitata, est, num Christus, etiam ut homo, jus *alti* et *directi* dominii in regna mundi cunctaque temporalia habuerit ex singulari *potestate excellentiæ* sibi divinitus communicata. — *d*) Sunt qui cum *Bellarmino* (de R. Pont. l. V, c. 4) negant ; at alii plures cum *Suarez* (Disp. XLVIII), *Gonet* (Disp. XXII, a. 4) et recentius *Lépicier* (in h. l.), affirmant : quorum sententia verior ex dicendis censebitur.

2° *Prob.*— *a*) Sane vero *biblici textus*, quibus regia Christi potestas effertur, vim prorsus generalem habent ; ex. gr. (Ps. VIII, 7-8) : *Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas* etc ; quæ de Christo exponit Ap. (1 Cor. XV, 27) : *Omnia subjecta sunt ei ; sine dubio præter eum qui subjecit ei omnia.* Explicat autem *S. Thomas* « sub pedibus ejus » in hunc sensum : sub *humanitate* Christi (*Comm.* in Heb. II, l. 2).— (Apoc. I, 5) Christus vocatur : *Princeps regum terræ ;* et (XIX, 16) : *Rex regum et Dominus dominantium.*

b) Eam fuisse *D. Thomæ* sententiam luculenta ipsius verba suadent (III, Q. LIX, a. 4 ad 1) : « Judiciaria potestas, inquit, consequitur regiam dignitatem. Christus autem, quamvis esset *rex constitutus* a Deo, non tamen in terris vivens terrenum regnum *temporaliter* administrare *voluit ;* unde ipse dicit Joan. XVIII, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo ;*» et (*ibid.* ad 2) : « Christo sunt omnia subjecta quantum ad *potestatem* quam a Patre *super omnia* accepit, secundum illud Matth. ult. 18 : *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra*[1]».— Quando autem S. Doctor docet Christum non fuisse regem « eo modo quo Pilatus intelligebat » (in Joan. XVIII, 8), per hoc non excluditur directum dominium *excellentiæ* in regna temporalia, sed solum dominium *inferius* principum hujus mundi quibus Christus eminentiori modo dominabatur.

c) Revera altior hæc potestas, origine, amplitudine et stabilitate præcellens, maxime conveniebat dignitati Christi, quin aliunde juri particulari regum temporalium præjudi-

[1] — C ' *ibid.* a. 6 ad 3 ; *Comm.* in Heb. I, 2 et II, 7-8 ; in Joan. VI, 2.

caret ; nam « non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia » (*Hymn.* in Epiph. Dom.).— Itaque Christus ab exercenda illa potestate in administratione regni terrestris libere abstinuit[1], nec aliam nisi spineam in regio suo fronte coronam admisit, humilitate, paupertate, mundanarum rerum contemptu mundum salvaturus.— Nullatenus vero ex hoc inferre licet R. Pontificem, Christi vicarium, *directo* dominio in regna temporalia investitum esse : non enim Christus omnem suam potestatem Papæ contulit, ut patet de potestate instituendi Sacramenta[2].

Conclusio 2ª. — CHRISTUS EST CAPUT OMNIUM HOMINUM SIBI UTCUMQUE CONJUNCTORUM, SED DIVERSIMODE.

1° Id *generaliter* suadetur ; quia legimus (1 Tim. IV, 10) : *Est Salvator omnium hominum, maxime fidelium ;* et (1 Joan. II, 2) : *Ipse est propitiatio pro peccatis . . . totius mundi.* Atqui salvare homines eorumque peccatis propitiatione mederi competit Christo, quatenus est caput. Ergo.

2° Hoc ipsum *specialiter* ostend.— Christus dicendus est caput omnium eorum qui quomodocumque, vel actu, vel saltem in potentia, ei uniuntur. Atqui unio hæc secundum *quinque gradus* intelligi potest : ergo.— *Min. decl.*

a) Hæc est differentia inter corpus hominis naturale et corpus Ecclesiæ *mysticum* quod membra primi sunt omnia simul, non autem membra secundi : nequo quantum ad *esse naturæ*, quia corpus Ecclesiæ constituitur ex hominibus omnium sibi succedentium ætatum ; neque quantum ad *esse gratiae*, quia eorum etiam qui sunt in uno tempore, quidam gratia carent, postmodum habituri, aliis jam eam habentibus.

b) Ex hoc quinque gradus membrorum Christi distinguuntur.— 1^us *gradus* est eorum qui, non omissis sanctis Patribus olim in lymbo morantibus, *actu* Christo per *gloriam* uniuntur : quorum Christus primo et principaliter est caput. — 2^us *gradus* eorum est qui ei *actu* uniuntur per *caritatem viae* aut *purgatorii ;* ad quem gradum manifeste pertinent justi V. T. futuro Messiæ per fidem et dilectionem a longe inhærentes : horum Christus perfecte etiam dicitur caput.— 3^us *gradus* eos complectitur qui caritate quidem carent, at per fidem informem *imperfecto* quodam *actu* Christo conjuncti sunt, veluti membra arida et mortua, secundum illud *C. Trid.* (Sess. VI, cap. VII) : « Fides (sine caritate) neque

[1] — Hoc non prohibet quominus credatur auctoritatem qua gaudent principes temporales, in eos a Deo non derivari nisi mediante eminentiori potestate Christi-hominis.

[2] — Cf. *de Regim. princ.* (Opusc. 20 inter Op. D. Thomæ), l. III, c. 13 sqq.

unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.»— 4^us *gradus* est eorum qui Christo uniuntur solum *in potentia* nondum reducta ad actum, quandoque tamen *reducenda* secundum divinam prædestinationem: hujusmodi sunt infideles ad fidem convertendi, quorum conversionis spes fundatur tum præcipue in virtute sufficientissima meritorum Christi, tum quoque in arbitrii libertate.— 5^us *gradus* tandem eos continet qui sunt in *mera potentia* ingrediendi corpus Christi mysticum, quin unquam de facto sint fidei et caritatis divinæ munera consecuturi.

Duo *subnotabo*.— 1° Controvertitur inter theologos[1] num Christus dici possit caput *primorum parentum* pro statu *innocentiæ* qui lapsum præcessit. Nobis arridet sententia *affirmans*, utpote conformior verbis *D. Thomæ* (*Comm.* in Joan. I, lect. 9) : « Plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum in intellectualibus creaturis.» Hoc vero admittendum censemus, non eo sensu quod gratia innocentiæ fuerit *efficienter* vel etiam meritorie a Christo homine, sed quia ex voluntate Dei *consequente* prævisionem peccati et futuræ Redemptionis conferri potuerit secundum habitudinem *exemplarem* et *finalem* ad Christum, capitali gratia ditatum, quem Adam innocens fide apprehendit ut consummatorem divinæ gloriæ.— 2° Christus nequit haberi, nec actu, nec potentia, ut caput *damnatorum*, nisi forte eo modo quo gubernator ex dominatione *regiæ* potestatis vocatur caput civium rebellium, quos ad mortem destinaverit.

ARTICULUS III.

Utrum Christus sit caput Angelorum.

Vox est et frequens Patrum Doctorumque sententia quod una sub uno Rege Sanctorum civitas consistit, cœlestis Jerusalem, coalescens non solum ex beatis Adæ filiis, verum etiam ex Angelorum legionibus.— Id modo theologice ponderandum est, ita ut duo determinentur, *an* et *quo pacto* Christus habeatur Angelorum caput.

Conclusio.— CHRISTUS VERE EST CAPUT ANGELORUM ; HOC AUTEM QUOMODO FIAT, ULTERIUS DECLARATUR.

1ª *Pars* communiter conceditur.

1° Namque legimus (Coloss. II, 10) : *Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis ;* et eadem ra-

[1] — Cf. Billuart, Diss. IX, a. 2.

tio est de reliquis Angelis. Præterea (Eph. I, 20-22) : *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem . . . omnia subjecit sub pedibus ejus.*

2° *Ratione* id confirm ttat— *a*) Ex *unitate finis*. Ubi est unum corpus, necesse esuree unum caput ponere ; unum autem corpus similitudinari dicitur multitudo in unum ordinata secundum distinctos actus, sive officia. Atqui manifestum est ad unum eumdemque finem, qui est gloria divinæ fruitionis, conspirare et homines et Angelos. Ergo corpus Ecclesiæ mysticum, latius sumptum, homines Angelosque sub capite Christo comprehendit.— *b*) Ex *conditionibus capitis ;* tres quippe sunt conditiones hujusmodi, ordo, perfectio, influxus. Atqui Christus homo propinquius se habet ad Deum quam ipsi Angeli ; dona gratiæ Dei perfectius participat ; suum quoque influxum et imperium ad eos usque extendit, juxta illud (Matth. IV, 11) : *Ecce Angeli accesserunt et ministrabant ei.* Ergo.

2ª *Pars*, de *modo* seu natura influxus Christi in Angelos, diverse a diversis exponitur. Duæ extremæ referuntur sententiæ : *una* quod Christus Angelis meruerit omnia dona gratiæ et gloriæ (ita *Suarez* Disp. XLII, cum aliis) ; *altera*, quod meruerit quidem eis gratias accidentales, non tamen gratiam et gloriam *essentialem* (ita *Sylvius*, *Billuart*, etc.). Utrique D. Thomam pro se stare contendunt.— Ingenue dicam quid mihi verius videatur.

1° Certum est, fatentibus omnibus (et hoc *Angelicus* aperte docet vel insinuat),[1] ex Christi merito obvenisse Angelis saltem gratias quasdam *ministeriales* et gaudia *accidentalia* de hominum salute.— 2° Christi dignitas, et ordo divinæ prædestinationis omnia complectens a summo ad imum (ut observat Em^us^ *Satolli* in h. 1.), probabilius exigunt ut tota Angelorum gratia et gloria *quadamtenus* ad Christum referatur ; item nonnulli textus *D. Thomæ* de *universali* Christi influentia (puta in Joan. I, lect. 9) deque perfectione gratiæ dominicæ eo spectare videntur : siquidem primum in aliquo genere causa est aliqualiter cæterorum ejusdem generis.— 3° At idem *D. Thomas* diserte scripsit (de Ver. *l. cit.*) : « Angeli non sunt viatores quantum ad præmium *essentiale*, et ideo quantum ad hoc *nihil eis meruit* Christus » (cf. 3 S. D. XIII, Q. II, a. 2, sol. 1). Præterea, plura loca scripturalia (ut videre est ap. Sylvium, Gonet, etc.) suadent meritum Christi fuisse *redemptivum :* quo merito Angeli non indige-

[1] — Hic Q. VIII, a. 4 ; Q. LIX, a. 6 ; *de Ver.* Q. XXIX, a. 7 ad 5.

bant.— 4° Igitur superest ut explicemus influxum Christi in essentialem Angelorum gratiam et gloriam (sicuti in gratiam innocentiæ adamicæ) per causalitatem *exemplarem* et *finalem*, quatenus scil. non ex voluntate Dei *antecedente*, sed ex voluntate *consequente* prævisionem lapsus Adæ futuræque Incarnationis gratia Angelis data intelligatur ad exemplar justitiæ Christi (in quem credidisse aliqualiter putantur) et in finem exaltandæ ejus gloriæ.

Solv. obj. — Obj. 1.— Caput et membra sunt unius naturæ. Atqui Christus-homo non convenit in natura cum Angelis. Ergo.

Resp. *Trans. M.— D. m :...* in natura speciei, *C ;* neque in natura generis, *N.— Neg. conseq.*

Caput dicitur de Christo *metaphorice ;* in metaphoricis vero non absoluta et rigorosa similitudo requiritur. Cæterum influentia Christi super homines principaliter attingit animas ; secundum quas convenimus cum Angelis in natura *generis*, quamvis non in natura speciei.— Qua de causa Christus nominari potest caput Angelorum, licet non tam proprie quam hominum.

Obj. 2.— Illorum Christus est caput qui pertinent ad congregationem fidelium. Atqui Angeli non sunt fideles, sed comprehensores. Ergo.

Resp. *D. M :..* : pro statu viæ, *C ;* pro statu patriæ, *N.— C. m.— Neg. conseq.*

Ecclesia, secundum statum *viæ*, est congregatio fidelium, sed, secundum statum *patriæ*, ex comprehendentibus constituitur. Christus autem non solum fuit viator, sed etiam comprehensor. Idcirco non solum fidelium, sed et comprehendentium, pro plenitudine gratiæ omnigenæ, caput existit.

Obj. 3.— Christus homo agere non potest nisi in naturas corporeas. Atqui Angeli corporibus carent. Ergo.

Resp. *D. M :...* ad modum causæ principalis, *Trans ;* ex virtute divinitus accepta, *N.— C. m.— Neg. conseq.*

Non repugnat ut humanitas Christi ex virtute naturæ omnino spiritualis et efficacissimæ, scil. divinæ, influere valeat non solum in spiritum humanum corpori conjunctum, sed etiam in spiritum angelicum ; præsertim si attendatur maxima seu personalis ejusdem humanitatis copulatio cum Deo : effectus enim pensandus est potissime ex principali agente.

ARTICULUS IV.

Utrum gratia capitalis Christi sit in ipso eadem cum gratia habituali.

Quæstio est de identitate *reali*.— Refert Gonet (Disp. XIV, a. 5) opinionem *Vasquezii* aliorumque tenentium solam gratiam unionis Christum in ratione capitis constituere, ita ut ipsa Unio sit gratia capitalis ; plerique vero huic assertioni contradicunt.— Mens D. Thomæ jamjam lectori comperta fiet.

Conclusio.— GRATIA CAPITALIS CHRISTI ALIA NON EST SECUNDUM REM QUAM GRATIA HABITUALIS, SOLA RATIONE DIFFERENS, ET GRATIAM UNIONIS CONNOTANS.

1ª *Pars* prob.— 1° Christus est caput nostrum, secundum quod gratia repletus est, juxta illud (Joan. I, 16) : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Atqui constat ex præcedentibus, plenitudinem gratiæ in Christo nihil aliud esse quam summum gradum gratiæ habitualis. Ergo

2° In anima Christi recepta est gratia habitualis secundum maximam eminentiam. Atqui ex illa eminentia cœlestium munerum competit Christo virtus gratiam diffundendi in alios : quod pertinet ad rationem Capitis. Ergo eadem est secundum essentiam gratia personalis, qua anima Christi justificata est, et gratia capitalis qua justificantur alii. *Maj.* constat ; *ostend. min. a*) Unumquodque agit, in quantum est ens actu : ergo necesse est ut eadem sit actualitas qua aliquid est actu et qua agit, sicut idem est calor quo ignis calidus est et quo calefacit. *b*) Non tamen omnis actualitas sufficit ad hoc ut aliquid sit principium agendi in alia ; sed quia agens præstantius est patiente, vis illa activa suîque diffusiva eminentiam quamdam ex parte agentis subaudit. Id reperitur in Christo : ex quo patet minoris totiusque argumenti soliditas.

2ª *Pars* uno verbo expeditur : siquidem aliud est *formaliter* quod gratia faciat animam Deo gratam, et quod eam aptam efficiat ad agendum in alios : primum est gratiæ singularis, alterum gratiæ capitalis.

3ª *Pars* quoque nullo negotio manifestatur.— Quamvis enim gratia habitualis, ut est gratia Capitis, sit principium *quo* actionum, meritorum et satisfactionum Christi, hæc tamen salutifera opera plenam suam efficaciam suique valoris infinitatem sortiuntur ex Unione hypostatica, qua Persona Verbi fit principium *quod* illorum operum.

Solv. obj.— Obj. 1.— Juxta Ap. (Rom. V, 15), gratia Christi in ordine reparationis comparari potest ad peccatum Adæ in ordine corruptionis. Atqui aliud est peccatum actuale Adæ, aliud peccatum originale. Ergo.

Resp. *D. M* :... secundum aliquam proportionem, *C* ; quasi duo illa perfecte sibi invicem correspondeant, *N*.— *C. m.* — *Neg. conseq.*

Comparatio tenet sub respectu singularitatis causæ et communitatis effectus, non tamen omni ex parte.— Nam peccatum originale in Adam derivatum est a peccato ejus actuali seu *personali* ad posteros per *naturæ* corruptionem, gratia autem a Christo ad nos devenit non mediante natura humana, sed per solam personalem Christi actionem ; unde non datur locus distinguendi gratiam personæ et gratiam naturæ respondentem.

Obj. 2.— Habitus distinguuntur secundum actus. Atqui ad alium actum ordinatur gratia personalis Christi, ad alium gratia Capitis. Ergo.

Resp. *D. M* :... secundum actus independentes ab invicem, *C* ; secundum actus quorum unus ratio est alterius, *N*.— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— In Christo distinguimus triplicem gratiam, gratiam unionis, gratiam capitis, et gratiam singularem. Atqui gratia singularis realiter differt a gratia unionis. Ergo.

Resp. *D. M* :... quasi tria membra æque dividentia genus gratiæ, *N* ; ita ut una (gratia unionis) ordinetur ad *esse personale*, aliæ vero involvant modum quemdam *accidentalem*, *C*.— *C. m.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS V.

Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christo.

(Art. 6-8)

Unum hoc de Christi-capitis gratia inquirendum manet, nimirum an tanta sit ut aliis communicari non possit.— Quo in proposito, advertere opus est dupliciter caput in alia membra influere : *uno modo* per *intrinsecum influxum*, prout scil. vis sensitiva et motiva a capite in totum corpus defluit et permeat ; *alio modo* secundum quamdam *exteriorem gubernationem*, quatenus secundum visum aliosque sensus in capite radicatos et intellectui deservientes homo dirigitur in externis suis actibus. Hinc duo concludenda.

Conclusio 1ª. — QUANTUM AD INTERNUM, IDEOQUE PRÆCIPUUM, CAPITIS INFLUXUM, SOLUS CHRISTUS EST ECCLESIÆ CAPUT.

Nam 1° juxta Ap. (Coloss. II, 19), *caput* Ecclesiæ est *ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.* Atqui hic organismus vitalis a solo Christo auctore dependet. Ergo.— 2° Id clarius innotescit, si attendamus non solum Christum jure exclusivo fuisse Ecclesiæ fundatorem et Sacramentorum institutorem, sed ad ipsum dumtaxat per humanitatem Divinitati conjunctam competere vim justificandi, merendi et satisfaciendi adæquate pro omnibus.

Conclusio 2ª. — QUANTUM AD EXTERNAM GUBERNATIONEM, DIGNITAS CAPITALIS ALIIS PRÆTER CHRISTUM CONVENIT, CHRISTO TAMEN MULTO EXCELLENTIUS.

1ª *Pars* liquet ex constitutione Ecclesiæ in qua, sub supremo Duce, sunt qui visibiliter populi christiani rationes moderantur ; quibus congruit illud (Amos, VI, 1) : *Optimates capita populorum.*

2ª *Pars* ostenditur, quia regia Christi potestas præ cæteris eminet triplici præsertim dote : — 1° *universalitate.* Christus enim est caput *omnium* eorum qui ad Ecclesiam secundum *omnem* locum statumve pertinent, alii autem homines dicuntur capita secundum quædam specialia loca, ut episcopi, vel secundum specialem statum, ut abbates.— 2° *Perennitate.* Nam « in æternum rex Christus est, itemque moderari in æternum tuerique regnum suum e cœlo non visus perseverat » (encycl. *Satis cognitum* Leonis XIII). His autem in terris Papa, Christi vices supplens, caput quidem est totius Ecclesiæ, sed pro determinato tempore ; nec pontificia potestas ultra conditionem viæ se extendet.— 3° *Efficaciâ.* Namque Christus est caput Ecclesiæ *propria* virtute et auctoritate ; cæteri vero capita dicuntur participative, in quantum Christi personam gerunt, secundum illud (2 Cor. II, 10) : *Quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi ;* et (*ibid.* V, 20) : *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Unde, quamvis præpositi Ecclesiæ *pastorum* voce possint appellari, solus Christus *ostium* regni cœlestis verissime nominatur.

Adnotanda.— 1° Sicuti imperium *Boni* Rex Christus tenet et moderatur, ita ex opposito *Mali* imperium regit *diabolus*, cui tanquam capiti omnes mali homines, qua tales, subduntur, juxta illud (Job. XLI, 25) : *Ipse est rex super universos filios superbiae.* Etenim pertinet ad gubernatorem eos

qui sibi subsunt ad suum finem adducere, eis proponendo signum suæ voluntatis veluti vexillum, ad quod sequendum aliqui suggerente duce, alii vero propria sponte inducuntur. Atqui finis diaboli (scil. Luciferi cum toto exercitu diabolico) est avertere creaturam rationalem a Deo ; quam aversionem sub *specie libertatis* appetendam exhibet, secundum illud (Jer. II, 20) : *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti : Non serviam.* Ergo inquantum aliqui peccando sese a Deo avertunt, sub diaboli regimine cadunt (art. 7).

2° *Antichristus*, etsi futurus sit diaboli satelles, potest tamen et ipse dici omnium malorum caput : non quidem quoad *prioritatem temporis*, cum sit tantum sub extremo tempore venturus ; neque quoad *influxum*, cum in peccatores ipso anteriores influere non possit ; sed quoad eminentiam et veluti *plenitudinem malitiæ* sibi a diabolo imprimendæ, ita ut omnes mali qui eum præcesserint rite habeantur quasi ejus imago et præfiguratio (art. 8).

QUÆSTIO TERTIA

DE SCIENTIA CHRISTI IN COMMUNI

Quem olim Deus ipse velut gentium *Doctorem* prænuntiaverat, v. g. (Is. LV, 4) : *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*, hunc Novi Fœderis paginæ solemnibus eloquiis proclamant, puta (Joan. VII, 40) : *Cum audissent hos sermones ejus, dicebant : Hic est vere propheta*, et (Matth. XXIII, 10) : *Nec vocemini magistri : quia Magister vester unus est, Christus.*

Igitur tanti Doctoris scientiam ac sapientiam perscrutemur oportet ; quæ quidem investigari potest vel in communi vel in specie : modo sit *communis* consideratio.— Circa quod, supposita scientia *divina* jam in tract. *de Deo* explorata, inquirentur quatuor : nimirum *an* sit aliqua scientia *creata* in Christo (art. 1), et *quaenam* sit, num *beata* (art. 2), num *infusa* (art. 3), num et *acquisita* (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum Christus habuerit aliquam scientiam praeter divinam.

1° Scientia hic *large* accipitur pro qualibet cognitione intellectus humani.

2° *Errores* trifariam distingui possunt.— *a*) Negatio imprimis scientiæ creatæ, a divina in Christo distinctæ, merito tribuitur cum *Monophysitis* (Ario, Apollinari, Eutycheti) tum *Monothelitis* qui (teste Petavio, l. VIII, c. 6, n. 4) illorum omnium virus hauserunt unamque Christi operationem professi sunt ; ad quod reducitur opinio quorumdam ponentium scientiam, quam vocant *unionis* — *b*) *Quibusdam catholicis* (Joan. de Ripa, Hug. de S. Vict. etc.) olim visum est, animam Christi non alia usam esse intellectione quam divina sibi, in locum creatæ scientiæ, divinitus communicata.— *c*) In eumdem quoque reducendus est errorem *ontologismus* cognitionem nostram naturalem elevans usque ad intuitionem divini esse lucisque divinæ.

3° Duo concludemus ad doctrinam D. Thomæ in se et contra vanas hypotheses manifestandam.

Conclusio 1ª. — PRÆTER SCIENTIAM DIVINAM CHRISTUS HABUIT SCIENTIAM CREATAM.—Id, juxta *Suarezium* (Disp. XXIV, sect. 2), certum *de fide* est vi decreti *Agath. R. P.* a *Conc. oecum. VI* (Cptano III) approbati, quo duplex operatio, divina et humana, universaliter in Christo asseritur.

Concl. ostend : — 1° *auctoritate.* Dicit Christus (Joan. VIII, 55) : *Scio eum* (Patrem), *et sermonem ejus servo.* Sicut ergo servabat mandata ut homo, ita et Dei legem servandam noverat ut homo ; cf. loca biblica in hac et seq. quæstione adducenda.— Diserte ait *Joan. Damasc.* (de Fid. orth. l. III, c. 13) : « Profitemur eumdem (D. N. Jes. Christum) habere... sapientiam et scientiam duplicem, divinam et humanam ».

2° *Ratione* (præsupposito principio quod Filius Dei humanam naturam *integram*, scil. corpore animaque rationali completam, assumpserit) tripliciter arguitur.

a) *Primo* ex *animae perfectione.*— Anima enim secundum se est in potentia ad capessendam veri notionem, cum sit velut tabula scripto vacua, sed per intellectum *possibilem* idonea rerum impressioni suscipiendæ ; quod autem est in potentia imperfectione privativa laborat, nisi reducatur ad actum. Atqui conveniens non erat ut Filius Dei humanam naturam imperfectam assumeret, tum quia ea mediante totum humanum genus perficiendum erat, tum quia secus anima Christi imperfectior fuisset animabus aliorum hominum. Ergo.

b) *Secundo* ex *animae rationalis fine.*— Sicuti quælibet res est propter suam operationem, ita rationalis anima proxime ordinatur ad intellectionem, ex qua humana moralisque vita efflorescit. Atqui repugnat ut anima intellectiva Christi sit a proprio fine frustrata. Ergo.

c) *Tertio* ex *cognitionis nexu cum anima*.— Est aliqua creata cognitio quæ ad animæ humanæ naturam quodammodo pertinet, scil. habitus primorum principiorum, quorum notitia, etsi per species a phantasmatibus accepta, tam spontanea est ut a naturæ vi legitime repetatur. Atqui nihil naturalium Christo defuit, qui humanitatem prorsus integram suscepit. Ergo.

Conclusio 2ª.— INTELLECTUS HUMANUS CHRISTI NON POTUIT, ETIAM DE POTENTIA ABSOLUTA, PER INCREATAM DEI SCIENTIAM INTELLIGERE.— Propositio hæc, directa contra catholicos supra memoratos, pro *certa* habenda est.

1° Expresse ait *S. Thomas* (resp. ad 1) : « Hic actus (intellectio Dei increata) *non potuit* esse animæ humanæ Christi, cum sit alterius naturæ ».

2° Duplex *ratio* a *Cajetano* (in . art.) profertur.— *a*) Nam, ut ipse *Angelicus* loc. cit. insinuat, quia operatio est actus operantis in esse naturæ, impossibile est quod operatio, quæ est *substantia* unius, conveniat alteri naturæ, nisi substantia illa huic naturæ in esse naturali jungatur. Atqui divinum intelligere est ipsa Dei substantia ; nequit autem substantia divina, in esse naturali, esse actus seu forma alicujus creaturæ. Ergo.— *b*) Præterea, intelligere est operatio *vitalis* subjecti intelligentis, immo summus vitæ gradus. Atqui de ratione operationis vitalis est quod ab ipso subjecto vivente procedat, sicut generatio a generante. Ergo.

Solv. obj.— OBJ. 1 (cont. 1ªm concl.).— Ad hoc necessaria est scientia ut per eam aliqua cognoscantur. Atqui Christus per scientiam divinam cognoscebat omnia. Ergo.

RESP. *C. M.*— *D. m* :... operatione increata, *C* ; operatione creata et propria animæ assumptæ, *N.*— *Neg. conseq.*

Altera objectio de duobus luminibus jam superius (Disp. II, Q. III, art. 4) præoccupata est.

OBJ. 2.— Ponenda est in Christo scientia quædam unionis. Atqui talis scientia, sicut esse personale, una est. Ergo.

RESP. *D. M* :... scil. scientia ex parte *unitorum* seu naturis unitis conveniens, *C* ; ex parte *ipsius unionis* seu conjunctionis in esse personali, *N.*— *C. d. m* : i. e. una est scientia conveniens duabus naturis unitis, *N* ; una foret, si dari posset, scientia unionis secundum se acceptæ, *C.*— *Neg. conseq.*

OBJ. 3 (cont. 2ªm concl.).— Scientia divina se habet ad intellectum humanum, sicut personalitas Verbi ad humanitatem. Atqui hæc Verbi personalitas potuit communicari humanitati. Ergo.

Resp. *D. M :*. . . secundum generalem quamdam proportionem, *C ;* secundum eeamdem prorsus habitudinem, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Proportio generalis est in eo quod scientia divina humanam eminenter præcontinet, sicut personalitas Verbi subsistentiam creatam.— At essentiale existit *discrimen*, quia personalitas pro munere habet *terminare* naturam, scientia vero vel cognitio intellectum *actuare* seu informare. Quapropter potest Verbum Dei personare humanitatem, quin fiat actus ejus, ideoque sine imperfectione ; non posset tamen Dei intelligere vel scire communicari animæ humanæ quin eam physice actuaret : quod est impossibile et ad Pantheismum ducit[1].

ARTICULUS II.

Utrum Christus habuerit scientiam beatorum.

1° Posito quod *aliqua* scientia creata Christo tribui debeat, ulterius progrediendum est et primo respondendum dubio *an* scientia, qua *beati* Deum immediate intuentur, mentem Christi ornaverit, et *quandonam* scientia illa in eo incœperit.

2° Etenim recensenda occurrit *Güntheri* positio qui, *Novatorum* errorem e cinere suscitans, adseruit Christum paulatim ad suî conscientiam meritisque propriis ad Dei visionem sese erexisse.— *Bougaud*[2], eadem evolutionis lege illectus, senserat et ipse Christum de ignorantia ad scientiam profecisse, nec nisi post Ascensionem plenam visionis beatificæ lucem assecutum fuisse ; at in subsequenti sui operis editione hæc laudabiliter suppressit.— Nuperius *Loisy* docuit[3], saltem dubitanter, fieri potuisse ut Dominus nonnisi gradatim et interno quodam labore conscius fieret se esse Messiam.

Conclusio.— Christus beatorum scientia excellentissime potitus est etiam in terris, imo ab ipso Incarnationis exordio.

[1] — Cf. Cajet. in h. art.

[2] — In opere *Le Christianisme et les temps présents*, t. III (1ère éd.) ; — cf. Monsabré, Conf. 1879, *Index*, I.

[3] — *L'Evangile et l'Eglise*, II, p. 49 sqq.; quod opus a S. Sede dammatum est, 17 dec. 1903.— Porro Loisiana assertio, absolutis verbis enunciata, eo tendit ut hypostaticam unionem Christique divinitatem divinamque scientiam, quam initio habuit, evertat. Quod si ad creatam duntaxat scientiam coarctetur, contradicit thesi mox adstruendæ (cf. Q. IV, a. 2).

1ª *Pars* ob unanimem theologorum consensum dici potest, aut *fidei proxima*, aut adeo *certa* ut doctrina contraria prorsus temeraria videatur.

1° Inscius non sum desiderari *Scripturæ* testimonia ex seipsis et singillatim omnino cogentia ; at si sacri textus una simul sumantur et secundum quod Patrum et Doctorum sententiis illustrantur, magnam fidem faciunt (ait *Suarez*) : duo proferemus.— Legitur (Joan. III, 13) : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Porro hoc in textu verbum *ascendit* non immerito intelligitur de scientia beata et cœlesti qua anima Christi in terris fruebatur : siquidem explicari nequit neque de Divinitate, quæ semper in cœlo est (quin illuc ascendat), neque etiam de humanitate gloriosa futuroque Christi ascensu post resurrectionem, obstante tempore præterito illius vocis *ascendit*, ut constat ex græco[1]. Interpretatio autem de ascensione per scientiam beatificam animæ apprime consonat descensui e cœlo, qui non potest Filio hominis convenire nisi secundum humanitatem assumptam.— Præterea scientia beatorum in plena Dei cognitione consistit ; hanc autem non improbabiliter creditur Christo tribui per vocem (Joan. VIII, 55) : *Scio eum*, cum scientia Dei simpliciter sit cognitio intuitiva ejus essentiæ, nec nisi de homine-Christo agatur, ut patet ex sequentibus : *et sermonem ejus servo*[2].

2° Succedit *rationis* confirmatio.— *a*) Omne quod est in potentia, si reducitur ad actum, reduci oportet per aliquod ens in actu, ut patet de calido calefaciente. Atqui homo est in potentia ad scientiam beatorum seu ad immediatam Dei visionem, ad quam velut ad finem ordinatur, non quidem ex sola vi naturali, sed ex aptitudine quadam divinitus elevata. Ergo necesse est beatitudinis actum in illo præexistere, cujus influxu homo in finem prædictum contendit. Atqui ad beatitudinem homines reducuntur per hominem-Christum tum ut veritatis divinæ *testem*, tum ut salutis humanæ *auctorem*, multos filios in gloriam adducentem (Heb. II, 10). Ergo oportuit ut anima Christi scientiam beatificam præhaberet.— *b*) Cum autem causa potior sit causato seu perfectionem effectûs excellentius contineat, consequitur scientiam beatorum *excellentissime* Christo convenire, utpote universali beatitudinis principio.

2ª *Pars*, de *tempore* quo Christus scientiam illam nactus est, eam ab ipso Incarnationis ortu repetit, rejecta progres-

[1] — Hanc explicationem approbat *Maldonatus*, *Comm.* in Joan.

[2] — Quoad argumenta biblica vel patristica, vid plura ap. Melch. Canum, *De loc. theol.* l. XII, c. 14 ; — Petav. l. XI, c. 4 : — Knoll, S. I, c. IV, a. 1, etc.

sua *Cuntheriana* hypothesi : quod quidem communi sensu tanquam theologice *certum* habetur (Melch. Canus, *l. cit.*).

1° Sane ad hoc *D. Thomas*[1] accommodat verba psalmistæ (Ps. LXIV, 5) : *Beatus quem elegisti et assumpsisti* ; at manifestius id evincitur ex Joan. I, 14, ubi Indicator gloriam et plenitudinem *gratiæ* et *veritatis* datam esse Christo-homini, *quia* est unigenitus Patris, ideoque ab ipso momento quo homo fuit Deus.

2° *Ex una parte*, beatitudo animæ Christi in terris, etiam ab Incarnationis exordio, *non* erat *incompossibilis* cum statu viæ secundum partem inferiorem. — *Ex altera parte*, maxime congruebat dignitati Christi ut ejus anima jam tunc fruereturex perfectione cujus capax erat, et qua deficiente, *imperfecta* remansisset.

Solv. obj. — Obj. 1. — Scientia beatorum habetur per participationem divini luminis. Atqui in Christo erat ipsum **essentiale Divinitatis lumen. Ergo.**

Resp. *C. M.* — *D. m.* : . . secundum divinam naturam, *C* ; quin anima humana Christi indigeret per aliquod lumen participatum a Divinitate perfici, *N.* — *Neg. conseq.*

Obj. 2. — Scientia beata eo juvat ut homines beatos efficiat. Atqui homo-Christus ex ipsa conjunctione personali cum **Verbo beatus fuit. Ergo.**

Resp. *C. M.* — *D. m.* : . . beatitudine increata, *C* ; necoportuit ejus humanitatem creata beatitudine honestari, *N.* — *Neg. conseq.*

Obj. 3. — Scientia duplex homini competit, una secundum naturam, alia supra naturam. Atqui scientia supernaturalis **in Christo erat scientia divina. Ergo.**

Resp. *D. M.* : . . alia supra naturam, scil. quæ omnibus modis naturam excedit, *N* ; quæ propria quidem animæ virtute comparari non potest, at radicali ejus aptitudini congruit, *C.* — *C. d. m.* : scientia supernaturalis omni ex parte . . . *C* ; nec locus dabatur scientiæ *simpliciter* quidem supernaturali, at *secundum quid* naturali seu respondenti secundum potentiam Dei obedientialem capacitati animæ rationalis, qualis **est scientia beatorum, *N* — *Neg. conseq.***

ARTICULUS III.

Utrum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam.

Scientia *indita* denominatur, ex eo quod simul cum natura datur ; *infusa* vero, ex principio infundente Deo, sine quo

[1] — III, Q. XXXIV, a. 4.

haberi non potest (Cajet.). Utroque nomine, ad instar scientiæ angelicæ, appellatur scientia quam modo animæ Christi vindicandam suscipimus : quippe et Deus illam infudisse, et anima ut assumpta a Verbo et ab assumptionis instanti illam expostulasse intelligitur.— Nonnulli quidem, ut *Nominales*, *Alensis*, *Durandus*, etc., infusam illam in Christo sapientiam agnoscere detrectarunt ; sed *communius* post D. Thomam theologi eam admittunt.

Conclusio.— OPORTET IN CHRISTO PONERE SCIENTIAM INDITAM SEU INFUSAM.

1° Hoc innuitur (Coloss. II, 3), ubi de Christo dicitur : *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi ;* quibus verbis significari videtur nullum scientiæ genus Christo deesse.

2° Cum *Angelico* dupliciter argumentabimur : — *a*) *primo* ex *vitanda imperfectione* naturæ assumptæ. Decebat enim ut humanitas conjuncta Verbo Dei imperfecta non esset. Atqui nisi scientiæ inditæ lumen accepisset, imperfectioni subjacuisset : ergo. *Min. ostend.* Omne quod est in potentia, sive secundum ordinem naturæ, sive secundum ordinem gratiæ, imperfectum manet, quoadusque ad suum actum non adducatur. Atqui intellectûs animæ Christi duplex erat potentialitas respectu intelligibilium extra Verbum : una quidem respondens *statui viae* et dependentiæ corporalis, ideoque implenda per species à rebus abstractas ; alia respondens *statui termini* et independentiæ spiritualis in quo Christus, ut comprehensor, jam versabatur, ideoque implenda per species divinitus infusas[1]. Ergo ad salvandam Christi perfectionem largienda ei est scientia ab initio indita.

b) *Secundo a simili.* Christus, ut comprehensor et secundum quod perfecte in eo anima corpori dominabatur, æquiparari potest Angelis beatis. Atqui in Angelis (ut apparet ex tract. *de Creatione*) duplex ponitur cognitio : una, quam vocant *matutinam* (clariorem), qua res contuentur in Verbo ; et alia *vespertina* (veluti decoloratior), qua res attingunt in propria natura per species sibi inditas. Similiter ergo, præter scientiam divinam et increatam, congrue admittitur in Christo tum scientia beata qua cognoscit Verbum et res in Verbo,

[1] — Scribit *D. Thomas* de cognitione *animae separatae* (I, Q. LXXXIX, a. 1 ad 3) : « Anima separata non intelligit per species innatas, nec per species quas tunc abstrahit, nec solum per species conservatas... sed per *species ex influentia divini luminis participatas*, quarum anima fit particeps, sicut et aliæ susbtantiæ separatæ, quamvis inferiori modo. Unde, tam cito cessante conversione ad corpus, ad superiora convertitur.»

tum scientia infusa sive indita, qua perspicit res in propria natura per species intelligibiles humanæ menti proportionatas.

Solv. obj. — Obj. 1.— Omnis scientia creata ad beatam comparatur ut imperfectum ad perfectum. Atqui per cognitionem perfectam excluditur imperfecta, ut fides per visionem. Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :...* excluditur imperfecta quæ in sui ratione includat oppositum cognitionis perfectæ, ut fides respectu visionis, *C ;* excluditur imperfecta perfectæ haud adversa, *N.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Habita jam perfectione aliqua, non requiritur dispositio ad eam. Atqui cognitio quæcumque creata comparatur ad scientiam beatam quasi dispositio ad terminum consequendæ perfectionis. Ergo.

Resp *D. M :...* non requiritur dispositio per modum viæ ducentis ad illam perfectionem, *C ;* neque per modum effectus consequentis, *N.— C. d. m.— Neg. conseq.*

Dispositio dupliciter se habet ad perfectionem : vel ut *via*, vel ut *effectus*. Ex. gr. per calorem disponitur materia ad formam ignis ; qua adveniente, calor non cessat, sed remanet veluti effectus talis formæ. Pariter opinio via est ad scientiam ; qua jam acquisita, potest remanere cognitio parta per syllogismum dialecticum quasi consequens et lucem accipiens ex notitia demonstrativa ; siquidem, ille qui cognoscit naturam rei, melius etiam signa probabilia attingit. Modo non dissimili in Christo simul cum scientia beatitudinis existit scientia indita, non quasi via ad beatitudinem, sed veluti eam consequens, ei subjecta et per eam confirmata.

Obj. 3.— Sicut materia est in potentia ad formam sensibilem, ita intellectus possibilis ad formam intelligibilem. Atqui materia non potest simul recipere duas formas sensibiles. Ergo.

Resp. *Trans. M.— D. m :...* duas formas unius generis et secundum idem, *C ;* duas formas diversi generis vel diversæ rationis, *N.— Neg. conseq.*

Certe non repugnat ut una substantia recipiat plures formas accidentales genere vel ratione propria diversas.— Ad hunc modum nihil prohibet quominus mens Christi perfecta fuerit per *speciem superexcedentem*, qualis est essentia divina immediate terminans visionem beatorum, et simul acceperit species intelligibiles inferioris ordinis respondentes proportioni suæ naturæ.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam.

Praenotanda quædam sunt.— 1° *a*) Scientia *acquisita* talis dicitur vel ex *genere suo* et secundum quod acquisibilis est per species abstractas a phantasmatibus, vel etiam quoad *acquisitionis modum* per illas species : hoc postremo sensu dividitur contra scientiam *infusam per accidens*, qualis fuit in Adam.— *b*) Differt igitur scientia acquisita a scientia infusa simpliciter seu infusa *per se* (de qua in art. præc.), tum quia hæc per solam infusionem gignitur, non altera, tum maxime quia non eadem objectiva ratione specificantur. Objectum enim scientiæ acquisitæ est quidditas rei materialis ut abstracta a singularibus et proportionata phantasmatibus in quibus relucet ; unde non se extendit ad singularia ipsa, nec ad substantias angelicas nisi indirecte et ad modum rerum corporearum. Objectum vero scientiæ infusæ est quidditas nedum materialis, sed etiam immaterialis creaturæ, non ut abstracta, sed ut concreta singularibus, neque secundum proportionem phantasmatum.

2° Quoad *opiniones* in proposito referendas, vix reperire est ullum theologum, qui scientiam acquisitam in Christo fuisse *secundum se* negaverit.— At quod pertinet ad *ortum* hujus scientiæ, nonnulli fuerunt qui cum *S. Bonav.*, *Scoto*, *Suarez*, existimarent eam fuisse infusam in Christo *per accidens* ab Incarnationis initio ; plures tamen tenent Christum humano more, scil. propriis actibus, illam sibi comparasse.— Notatu hic dignus est progressus mentis *Angelici Doctoris* qui primum quidem (3 S. D. XIV, Q. I, a. 3, sol. 5) sententiam de infusione scientiæ acquisitæ professus erat, at in *Sum. theol.* « seipso doctior » (ait *Satolli*) contrarium amplectendum declaravit[1].

Conclusio.— CHRISTUS HABUIT SCIENTIAM DE SE ACQUISIBILEM, TUM QUOAD ESSENTIAM, TUM QUOAD ACQUIRENDI MODUM EX PROPRIIS ACTIBUS.

1ª *Pars* negari nequit sine magno errore.— Nam in Christo est humana natura cum omni proprietate et perfectione connaturali quæ nullum inconveniens, sive quoad statum Christi, sive quoad Redemptionis finem, involvat. Atqui scientia humana procul dubio una est ex hisce perfectionibus : ergo.

2ª *Pars* aut *certa*, aut saltem *longe probabilior* videtur.

[1] — Magni ingenii est majorisque animi seipsum, detecto errore, corrigere.

1° Indicium veritatis colligitur ex verbis Ap. (Heb. V, 8) : *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est obedientiam ;* scilicet (ut commentatur *S. Thomas*) quamvis Christus (ut Deus) ab æterno sciret simplici notitia quid sit obedientia, tamen (ut homo) experimento didicit, difficilia quæque tolerando usque ad mortem crucis, quam grave sit obedire.

2° Duplex *ratio* ab Auctore profertur.— *a*) Sane vero, nihil eorum, quæ Deus in nostra natura plantavit, defuit humanæ naturæ assumptæ a Verbo Dei. Atqui Deus, humanitatis auctor, ei inseruit non solum intellectum possibilem, sed etiam intellectum agentem. Ergo in anima Christi cum possibilis, tum quoque *agens intellectus* ponendus est. Atqui, cum non contingat aliquid frustra a Deo naturave fieri, nullum datur activum principium expers propriæ operationis propter quam est, et quam habere debet. Ergo in Christo admittatur oportet propria et connaturalis operatio intellectus agentis. Atqui hujus intellectus proprium et principale munus est, facere species actu intelligibiles, eas abstrahendo a conditionibus individualibus phantasmatum, ut mox in intellectu possibili receptæ hunc ad intelligendum moveant : ex quo scientia acquisita resultat. Ergo[1].

b) Præterea, quia Christus erat Deus-homo, viator simul et comprehensor, congruebat ei scientia non solum per modum comprehensorum, sed etiam per modum viatorum, more undequaque humano. Atqui sola scientia propriis actibus acquisita *totaliter humana* est, scil. non solum ex parte subjecti recipientis, verum quoque ex parte causæ agentis : scientia enim *beata*, per quam ipsa Dei essentia videtur, propria est et connaturalis soli Deo ; scientia autem *infusa* attribuitur animæ secundum lumen desuper emissum et connaturale naturæ angelicæ ; at scientia *acquisita* accipitur secundum lumen intellectus agentis connaturale animæ, ideoque undequaque est humana. Ergo hæc scientia homini-Christo apprime conveniebat.— *Conf.* ab *exemplo :* quemadmodum enim sensibilis objectorum illustratio, nec frustra, nec sine adspectus illecebra, multipliciter contingit aut arte figuratur, modo irradiante sole, modo lucente luna, nunc sub auroræ ignibus, nunc sub crepusculo ; ita etiam haud inutiliter, imo nec sine maxima convenientia factum est ut omnes scientiæ creatæ, suis quæque radiis et modis, non excepta scientia acquisita, in mente Christi circa pleraque eadem objecta illustranda convergerent.

3° Ut occurramus quibusdam dubiis, duo *subjiciemus* ex *Cajetano* (in h. art.).— *a*) Primo *melius* est, Christum sibi

[1] — Circa vim hujus rationis cfr. Cajet. in h. art.

humanam scientiam temporis lapsu comparasse quam initio habuisse : ex parte quidem *scientiae*, quia generatio *per se*, qualis est acquisitio pro illa scientia, præstat generationi *per accidens ;* ex parte *scientis*, quia nobilius est id quod seipsum movet quam illud quod ab alio movetur ; ex parte *modi sciendi*, quia sicut in Christo fuit scientia beata modo Beatorum, et scientia indita modo scientiæ inditæ, ita debuit esse scientia acquisita modo scientiæ acquisitæ.— *b*) Nec similis est ratio de *Adamo* et homine-Christo. Nam « Adam creatus est ut principium naturæ humanæ in naturalibus tam secundum corpus quam secundum animam ; et quia perfecta sunt secundum naturæ ordinem priora imperfectis (Arist.), ideo Adam sicut secundum corpus creatus est perfectus in quantitate, ita et secundum animam creatus est perfectus in scientia. Christus autem non est productus ut principium hominum in esse naturæ, nec in naturalibus pro hoc statu, sed ut doctor mysteriorum Dei et regni cœlestis. In cujus signum productus est secundum corpus quantitatis imperfectæ ; et similiter secundum animam in pura potentia quoad scientiam naturaliter acquisibilem. Et sicut crevit ætate et vere augmentum corporale habuit, ita crevit sapientia » (Cajet. *ibid.*).

Solv. obj.— Obj. 1.— Scientia acquisita, præsertim excellentior, comparatur ex studio. Atqui Christus non institit studio litterarum, ut constat ex Joan. VII, 15. Ergo.

Resp. *D. M* :... aut per modum inventionis aut per modum disciplinæ, *C ;* per modum disciplinæ tantum, *N*.— *C. d. m* :... nec poterat scientiam per se invenire, *N ;* ita ut inventio magis quam disciplina excellentiæ Christi congrueret, *C*.— *Neg. conseq.*

1° Cum duplex sit modus acquirendi scientiam, inveniendo et addiscendo, præcipuus est modus per *inventionem*, secundarius vero per *disciplinam*, quia nobilius est instrui *per se* quam *per alium*. Unde excellentiæ Christi magis congruebat scientiam acquirere inventione quam disciplina.— 2° Eo magis quia Ipse *omnibus* a Deo dabatur in doctorem, juxta illud (Joël. II, 23) : *Laetamini in Domino Deo vestro... quia dedit vobis doctorem justitiae*.— 3° Idcirco ex sublimiori Verbi refulgentia et participatione inerat animæ Christi excellentissimus intellectus, cui corpus et sensus optime deserviebant, quique eminenter continens totam vim præclarissimorum ingeniorum poterat, singulari quodam et pene divino inventionis lumine, disciplinæ documentis supplere.

Obj. 2.— Ei quod est plenum, non potest aliquid superaddi. Atqui potentia animæ Christi fuit impleta per species intelligibiles divinitus inditas. Ergo.

Resp. *D. M :* Ei quod est plenum sub omni respectu... *C ;* sub aliquo respectu tantum... *N.*— *C. d. m :*... per respectum ad superiora, *C ;* per respectum ad inferiora seu ad phantasmata, *N.*— *Neg. conseq.*

Humana mens duplicem habet respectum : unum quidem ad *superiora*, qualis est in animabus separatis ; et hanc perfectibilitatem in anima Christi explevit scientia indita. Alius autem respectus est ad *inferiora* seu ad phantasmata, quæ nata sunt mentem nostram vi intellectus agentis movere ; et secundum hunc respectum oportuit animam Christi scientia repleri, non quin prima plenitudo in suo ordine ei sufficeret, sed ut mens ejus etiam modo connaturali perficeretur.

Obj. 3 — In eo qui jam habet scientiam, non acquiritur novus scientiæ habitus per actus, sed primus augetur. Atqui ostensum est in Christo fuisse habitum scientiæ inditæ. Ergo.

Resp. *D. M :*... non acquiritur novus habitus *ejusdem rationis, C ;* nec *diversae rationis, N.*— *C. d. m :*... et habitus scientiæ infusæ convenit in eadem specifica ratione cum habitu scientiæ acquisitæ, *N ;* ab eo essentialiter differt, *C.* — *Neg. conseq.*

QUÆSTIO QUARTA

DE SCIENTIA CHRISTI IN SPECIE

Quæstio hæc, pro triplici genere scientiæ creatæ Christi Domini, in tres partes ultro dispescitur.— Missis iis quæ alio loco circa visionem beatificam generatim disputantur, primum de scientia *beata Christi* inquiremus quoad perfectionem tum intensivam (art. 1), tum extensivam (art. 2).— De scientia *infusa* quoque dicemus tum quoad objectum et actum (art. 3), tum quoad habitum (art. 4).— Denique scientiam *acquisitam* in examen vocabimus sive ex parte objecti cogniti (art. 5), sive ex parte cognoscentis (art. 6).

ARTICULUS I.

De perfectione intensiva scientiae beatae in Christo.

(Q. X, aa. 1 et 4)

Clauduntur sub hoc articulo duo indaganda : *unum* absoute, videl. an anima Christi divinam essentiam comprehen-

derit ; *aliud* relative, nempe an saltem beata illa anima clarius qualibet aliâ creaturâ Supremam Veritatem contempletur.— Ad concludendum festinamus.

Conclusio 1ª.— ANIMA CHRISTI MINIME COMPREHENDIT DIVINAM ESSENTIAM.— Id *fide* tenendum est post *CC. Lat. IV* et *Vatic.*, ubi sancitum est universaliter Deum esse *incomprehensibilem ;* cum qua definitione cohæret damnatio, a *Conc. Basilaeensi* lata et a *Nicolao V* approbata, sequentis propositionis *Augustini de Roma :* « Anima Christi videt Deum tam clare et intense sicut Deus videt seipsum.»

1° Etenim textus *Scripturae* allati (*de Deo*, Disp. III, Q. II, a. 7), quibus Deus exhibetur *incomprehensibilis cogitatu* (Jerem. XXXII, 18) et *investigabiles viae ejus* (Rom. XI, 33) asseruntur, etc., vim prorsus generalem præ se ferunt.— 2° Sic facta est unio naturarum in persona Christi quod utraque suam inconfusam retineret proprietatem. Atqui ratio ipsa naturæ creatæ prohibet quominus creatura aliqua essentiam divinam comprehendat : siquidem comprehendi infinitum a finito, res est omnino impossibilis. Ergo.

Conclusio 2ª. — ANIMA CHRISTI DEI VERBUM SEU ESSENTIAM VIDET CLARIUS QUALIBET CREATURA, ETSI VISIONE SPECIEI NON DIVERSÆ.

1ª *Pars :* — 1° eruitur ex verbis Ap. (Eph. I, 20-21), quo loco Christus dicitur a Deo constitutus *supra... omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro :* quandoquidem, in illa cœlesti gloria, superioritas simpliciter mensuratur ex perfectione cognitionis Veritatis divinæ.

2° *a*) Visio divinæ essentiæ convenit omnibus beatis secundum participationem luminis in eos derivati a fonte Verbi Dei, juxta illud (Eccli. I, 5) : *Fons sapientiae Verbum Dei in excelsis.* Atqui anima Christi, pro sua cum Verbo unione personali, propinquius ei conjungitur quam quævis alia creatura. Ergo pleniori supernæ lucis copia perfunditur, ideoque cæteris creaturis clarius perfectiusque primam Veritatem contuetur.— *b*) Nec obstat præeminentia naturæ *angelicae* super humanam : quippe visio beatifica necessario excedit naturalem creaturæ facultatem, subindeque ejus gradus magis attenduntur secundum ordinem gratiæ, in quo præcellit Christus, quam secundum ordinem naturæ.— *c*) Attamen, ut docet *Cajetanus* (*Comm.* in art. 4 ad 3), si contingeret naturam angelicam a Verbo Dei assumi in unitatem personæ et ad idem gloriæ lumen quo anima Christi fruitur, altior

Angelo quam homini-Christo beatitudinis gradus obveniret, non quidem ex parte ipsius luminis, sed ex parte majoris acuminis intellectivi quo Angeli naturaliter pollent.

2ª *Pars*, de *identitate specifica* visionis beatæ Christi cum visione aliorum beatorum, vix ulla declaratione indiget.— Hæc enim identitas liquido dignoscitur ex identitate luminis objectivi sub quo divina essentia seipsam eamdemque omnibus beatis revelat, absque media specie intelligibili ; cui lumini objectivo specifice correspondet subjectivum gloriæ lumen.

Solv. obj. (cont. 1ªm concl.).— Obj. 1.— Ait Isidorus (in Exodum, c. 42, n. 3) : « Sola sibi integre nota est Trinitas, et humanitati susceptæ, quæ tertia est (una ex tribus) in Trinitate persona». Atqui notitia suî, Trinitati propria, est notitia comprehensionis. Ergo.

Resp. *D. M* :... et hæc notitia attribuitur homini-Christo ratione divinitatis, ut probabilius apparet ex contextu, *C* ; ei attribuitur ratione humanitatis, *S. d :* et tunc homo assumptus connumeratur Trinitati ob cognitionem comprehensivam, *N ;* ob cognitionem excellentissimam præ cæteris creaturis, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Majus est uniri Deo secundum esse personale quam secundum visionem. Atqui tota divinitas fuit humanæ naturæ unita in persona Verbi. Ergo multo magis, etc.

Resp. *C. M.*— *D. m :* Tota divinitas, non tamen *totaliter*... *C ;* quasi tota virtus divinitatis fuerit ab humanitate circumscripta, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Illud quod convenit Filio Dei per naturam, convenit filio hominis per gratiam. Atqui comprehendere divinam essentiam convenit Filio Dei per naturam. Ergo.

Resp. *D. M* :... i. e. per *gratiam unionis* factum est ut quæ conveniunt Filio Dei secundum divinitatem etiam dicantur de filio hominis propter *identitatem suppositi, C ;* ut dicantur de filio hominis secundum *humanam naturam, N.* — *C. m.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

De extensione scientiae beatae in Christo.

(Art. 2-3)

Visio beatifica non solum Deum, sed et res in Deo pro suæ perfectionis gradu attingit ; ex quo orta est circa bea-

tam Christi animam dubitandi occasio, num in Verbo *omnia* cognoverit, etiam *infinita*.— Ad hanc definiendam quæstionem prænotare oportet illud *omnia* dupliciter accipi posse : uno modo *proprie*, quatenus distribuat pro omnibus quæ quocumque modo sunt, vel erunt, vel fuerunt sive facta, sive dicta, sive cogitata a quocumque secundum quodcumque tempus ; alio modo *latius*, ita ut extendatur non solum ad omnia quæ in aliqua temporis differentia existunt vel existent, sed etiam ad omnia quæcumque sunt in potentia nunquam ad actum reducta vel reducenda.— His præfatis, doctrinam Angelici Magistri, contracta licet oratione, pandamus.

Conclusio 1ª. — ANIMA CHRISTI IN VERBO COGNOSCIT OMNIA QUÆ ALIQUANDO SUNT ACTU, OMNIA ETIAM QUÆ SUNT IN POTENTIA CREATURÆ, NON VERO OMNIA IN VIRTUTE DEI CONTENTA.

Prob. concl. per partes.

1ª *Pars* asseritur (contra paucos).— 1° Unusquisque intellectus creatus in Verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura quanto perfectius Verbum intuetur ; nulli tamen intellectui beato deest quin in eodem Verbo attingat *omnia ad se spectantia*. Atqui ad Christum ejusque dignitatem spectant quodammodo omnia : siquidem omnia ei, ut *Regi* et Domino, subjecta sunt ; omnium quoque *Judex* a Deo constitutus est, *quia Filius hominis est* (Joan. V, 27). Ergo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia secundum quodcumque tempus, etiam secretiores cogitatus cordiumque motus, juxta illud (*ibid.* II, 25) : *Ipse enim sciebat quid esset in homine*.

2° Objici solent verba (Marc. XIII, 32) : *De die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater ;* quorum multiplex data est expositio[1].— *a*) *Prima*, et quidem hæretica, refertur *Arianorum* ignorantiam judicii Christo tribuentium secundum divinitatem minoratam, qua eum consistere docebant : patet absurditas.— *b*) *Secunda*, pariter abjicienda, est *Agnoitarum* tenentium Christum, ut hominem, vere ignorasse diem judicii saltem eo tempore quo verba illa protulit : quod dignitati supremi Regis et Judicis repugnat.— *c*) *Tertia*, parum probabilis, habetur, quod hæc verba sint intelligenda de Christo, ut est in suo corpore mystico seu Ecclesia aut in hominibus justis seu filiis Dei

[1] — Dr Schell, in opere *Catholica dogmatica*, tenet Christum secundum quamlibet scientiam creatam ignorasse diem et horam judicii, at opus illud prohibitum est a S. C. Indicis, dec. 1898.

adoptivis.— *d*). *Quarta*, certe probabilis, proposita est a *S. Basilio* aliisque Patribus, eo sensu quod Christus, ut homo, ignorasset judicii diem, nisi Pater illam ipsi revelasset ; proinde illud *neque Filius* intelligitur « ex conditione humanitatis.»— *e*) *Quinta* probabilior est quod Christus dicitur nescire diem et horam judicii, quia illud sub secreto sciebat dependenter a Deo-Patre, neque tunc expediebat aliis revelare (cf. *Suarez, Comm.* in art. 2).

2ª *Pars* concl. affirmat animam Christi in Verbo cognoscere omnia ea quæ sunt *in potentia creaturae*.— Ratio est, quia beata illa et excellentissima anima comprehendit in Verbo omnis creaturæ essentiam potentiamque seu virtutem consequentem. Porro comprehendenti potentiam ac virtutem aliquam, jam eo ipso comperta sunt ea omnia quæ in potentia illa præexistunt. Ergo.

3ª *Pars* negat animæ Christi patere omnia quæ sunt in *sola potentia divina*.— Ratio etiam liquida est : quippe cognitio omnium eorum quæ Deus facere potest nequit haberi, quin divina virtus subindeque divina essentia comprehendatur. Atqui constat ex art. præc. animam Christi non posse Deum ullo modo comprehendere. Ergo. *Maj.* innotescit ex eo quod cognoscere omnes effectus possibiles per cognitionem causæ nihil aliud est quam hujus causæ vim, activitatis indolem et universalitatem penitus assequi : quod est eamdem causam adæquate cognoscere seu comprehendere[1].

Conclusio 2ª.— ANIMA CHRISTI IN VERBO NON SCIT ENTIA INFINITA ACTU SIMUL ; SCIT TAMEN EA QUÆ SUNT IN INFINITUM MULTIPLICANDA NECNON INFINITA IN POTENTIA.

Praenotetur cum Auctore scientiam non esse nisi entis, eo quod ens et verum convertuntur. Porro aliud est ens actu et *simpliciter*, aliud ens in potentia et *secundum quid*, cognoscibile in alio : idcirco primo et principaliter scientia respicit ens actu, secundario ens in potentia.— Præterea, ea quæ sunt actu vel ut existentia *simul*, vel ut *successive* prodeuntia accipiuntur.

Ostend. concl. per partes.

1ª *Pars* est de entibus quæ *simul actu* sunt. Nequit sane anima Christi in Verbo cognoscere illud infinitorum genus quæ reapse dari non possunt. Atqui infinita *actu coëxistentia* nec dantur nec dari possunt ; neque enim si admittatur (quod S. Thomas negat) futura in infinitum corruptio et generatio, ideo haberentur infinita actu simul. Ergo. — *Infinitum* ta-

[1]— Cf. S. Th., *de Ver.*, Q. XX, a. 5.

men formale et perfectissimum, quod est Deus, cognoscit anima Christi (sicut et cognoscunt aliæ animæ beatæ), sed *modo finito*, minime autem comprehensivo.

2ª *Pars* decl.— 1° *a*) Cum cogitationes et affectiones sanctorum certo in æternum multiplicandæ sint, concedendum est animam Christi cognoscere saltem *accidentia infinita*, quorum infinitas, non simul, sed *successive* actu consistit. — *b*) Præterea, per scientiam beatam Christus novit omnia quæ sunt *in potentia creaturae*. Atqui hæc sunt quodammodo infinita : ergo.

2° Ut hæc melius intelligantur, sequentia adjiciemus (ex art. 3, resp. ad obj.) — *a*) Primum, repugnat quidem infinitum quantitative cognosci *per modum* infiniti seu accepta parte post partem, cum hac ratione sit impertransibile ; at sicuti immaterialia possunt mente accipi immaterialiter et multa unite, ita et infinita *per modum finiti*, quatenus in *aliquo uno*, principaliter in Verbo, deprehenduntur.— *b*) Porro hæc *scientia*, animæ Christi competens, dici debet *simpliciter finita*. Nam scientia finita vel infinita denominatur ex indole objecti proprii ; proprium autem intellectus objectum est essentia seu quidditas rei. Atqui essentia quidem divina simpliciter infinita est, quam ideo sola adæquat scientia infinita Dei ; essentiæ autem creatæ, utpote clausæ in genere vel in specie, simpliciter sunt finitæ, etsi possint in eis individua multiplicari indefinite. Ergo eas perfecte adæquando scientia animæ Christi simpliciter finita manet, quin tamen limitata hæc capacitas assequi prohibeat infinita successive vel potentialiter.— *c*) Tandem haud diffitemur notitiam hanc talem esse qua extensior, in *eodem cognitionis ordine*, dari non possit ; at sicuti infinitum *simpliciter* majus est infinito *secundum quid*, ita plura sunt in potentia Dei quam in potentia creaturæ ; ideoque scientia possibilium, quantacumque sit in anima Christi, nequit adæquare eamdem scientiam, qualis est in mente divina[1].

Coroll.— 1° Scit equidem anima beata Christi omnia quæ Deus in seipso cognoscit per *scientiam visionis*, unde scientia hæc in Christo parificatur scientiæ Dei quantum ad *numerum* scibilium, non tamen quantum ad *modum* sciendi.— 2° Quod pertinet ad *scientiam simplicis intelligentiae*, quæ est de possibilibus, sub utroque respectu scientia Dei beatam Christi scientiam excedit.

[1] — Vid. plura apud Auctorem et Cajetanum ; — cf. quoque S. Thom., *de Ver.*, Q. XX, a. 4.

ARTICULUS III.

De objecto et actu scientiae infusae Christi.

(Q. XI, a. 14)

Scientiam beatam Christi excipit scientia *infusa ;* de qua jam existentiam assecuti, cætera ad naturam spectantia disserere proponimus, tum ex parte objecti et actus, tum ex parte habitus.— Sub præsenti articulo *objectum* et *actus* scientiæ Christi per se infusæ in duabus conclusionibus considerationi subjicientur.

Conclusio 1ª. — PER SCIENTIAM INFUSAM CHRISTUS COGNOVIT OMNIA ALIA A DEO.

1° Id *prob. generaliter.*

a) Sane, non minor fuit extensio scientiæ inditæ seu infusæ in Christo quam donorum Sp. Sancti. Atqui quatuor dona intellectualia, quibus Christus repletus est, ad omnia quodammodo cognoscibilia se extendunt, scil. ad immaterialia (*intellectus*), ad divina (*sapientia*), ad inferiora scibilia (*scientia*), ad agibilia (*consilium*). Ergo.

b) Enimvero conveniebat animam Christi taliter perfici ut statim, eo modo qui statui viatoris simul et comprehensoris congrueret, omnis ejus potentialitas ad actum reduceretur. Atqui in anima humana, sicut in qualibet creatura, duplex potentia passiva distinguitur : una per respectum ad agens naturale ; altera per respectum ad primum agens, quæ (*Cajetanus* monet) etsi absolute sit mere obedientialis et inexplebilis, tamen connaturalis alicui et determinata esse potest secundum exigentiam altioris status et dignitatis. Ergo anima Christi, præ cæteris creaturis intellectualibus, utroque modo perfici debuit, ita ut per scientiæ inditæ immissas species cognosceret quæcumque vel Angelo vel homini cognoscibilia sunt, sive per rationem sive per revelationis lumen, sive secundum præsentem vitam, sive secundum statum separationis a corpore.

2° Idem *specialius* declaratur.

a) *Primo*, quoad *singularia.* Requirebat perfectio Christi ejusque scientiæ infusæ ut res non solum in communi, at etiam in individuo cognosceret : quod optime fieri poterat per species *exemplatas a divina essentia* in qua præcontinentur et repræsentantur tum naturæ rerum tum principia singularum individuantia (cf. Cajet. in art. 1).— *b*) *Secundo*, nec excipienda sunt ab illa scientia *futura contingentia* et *se-*

creta cordium (in quo D. Thomas seipsum retractavit). Etenim hæc omnia perspecta habere pertinet ad perfectionem cognitionis *practicae* et *prudentialis*, maxime in eo cujus providentiæ omnia subjecta sunt. Cum igitur Christus-homo, inde ab initio, totius universi monarchiam quodammodo tenuerit atque plenitudinem prudentiæ omnimodæ secundum consilii donum receperit, consequens est quod omnia singularia, præsentia, præterita et futura, scientiæ infusæ illustratione noverit (art. 1, resp. ad 3).— *c*) Dubitandum non est quin etiam ejus anima, corporis obligatione in superioribus soluta, *substantias* angelicas per infusas species longe melius quam animæ separatæ a corpore, licet ad modum earum, perspexerit : participabat enim de conditione Angelorum sibi tanquam Regi subjectorum (resp. ad 2).— *d*) Quod spectat ad *mysteria* revelationis et gratiæ, certum est ex dictis cuncta hæc plenius et abundantius animæ Christi per scientiam infusam innotuisse quam cæteris creaturis. *Disputant* tamen theologi de cognitionis gradu seu natura, quærentes num Christus per illam scientiam cognoverit entia creata supernaturalia *quidditative*, imo et *comprehensive*. Negant *Bannez*, *Alvarez* (ut Gonet refert, Disp. XVII, a. 3) ; alii plures, *Gonet* ipse, *Billuart*, etc., affirmant. Nobis distinguendum videtur inter mysteria gratiæ quatenus *entia creata* et quatenus *specificata* per respectum ad ipsam divinam essentiam, cujus gratia est participatio formalis (etiam univoca *objective*)[1]. Sub primo respectu concedimus mysteria illa fuisse animæ Christi per species infusas quidditative et etiam comprehensive perspecta ; at vero, ut posset anima Christi per inditam scientiam *speciem* propriam gratiæ, virtutum etc., penitus intueri, deberet (ni fallimur) ipsam divinam naturam, ex qua illa entia specificantur, quidditative noscere, quod merito abnuit *S. Thomas* dicens (h. art.) : « Ipsam *Dei essentiam* per hanc scientiam non cognovit ». Ergo etc.

Conclusio 2ª. — ANIMA CHRISTI SECUNDUM SCIENTIAM INFUSAM POTERAT INTELLIGERE ABSQUE MINISTERIO PHANTASMATUM, NEC SCIENTIA ILLA DISCURSIVA FUIT NISI USU LIBERO.

1ª *Pars* tenenda est ut certa contra *Durandum*.

Et 1° *signum* haud ambiguum veritatis est quod Christus infusâ scientiâ cognovit entia non apta a phantasmatibus abstrahi et per phantasmatum speciem repræsentari, scil. substantias *angelicas*.— 2° Christus ante passionem versabatur in conditione viatoris ex parte corporis passibilis, in statu

[1] — Cf. tract. nost. *de Gratia*, Disp. III, Q. I, a. 3.

vero comprehensoris ex parte animæ intellectivæ. Atqui hæc est beatæ animæ conditio ut nullo modo corpori subdatur aut ab eo dependeat, sed *totaliter ei dominetur*, prout ostendet redundantia gloriæ animæ ad corpus post resurrectionem ; ideo vero mens nostra indiget ad phantasmata converti quia vinculis corporeis quodammodo adstricta est. Ergo animæ beatæ, tum ante tum quoque post resurrectionem, intelligere possunt absque phantasmatibus, quæ non sunt de intellectionis essentia (a. 2 ad 1) ; et multo magis anima Christi.— 3° Tamen *poterat* Christus per scientiam infusam se ad phantasmata convertere, non quidem ut species secundum illam scientiam a sensibilibus abstraheret, sed ut phantasiæ imperium daret ministrandi phantasmata affinia speciebus jam existentibus et per respectum ad has species speculanda (*ibid.* ad 3).

2ª *Pars* ostend.— Aliqua scientia potest esse discursiva vel collativa dupliciter : uno modo quantum ad scientiæ *acquisitionem ;* alio modo, quantum ad *usum* seu scientiæ exercitium. Porro *a*) *primo modo* scientia indita Christi non fuit discursiva, ut patet : quia per discursum illum ignota inquirimus de uno ad aliud gradientes ; scientiam autem, de qua loquimur, Christus infusione, non investigatione rationis accepit. *b*) Quoad *usum* vero discursus habetur, non ut de novo quis addiscat, sed quia vult in exercendo scientiæ actu nexum causæ et effectus observare. Atqui Christus certissime poterat ex uno aliud concludere, sicut sibi placebat. Ergo etc.— Ubi liquet *differentia* inter *Angelos* et *animas beatorum ;* his quippe connaturale est uti collatione et discursu, non autem illis.

Sub fine *notabimus :* — 1° ex parte *causae influentis* et *simpliciter* scientiam inditam Christi præstitisse scientiæ Angelorum tum abundantiori lumine, tum cognitorum multitudine et cognitionis firmitate ; — 2° tamen ex parte *subjecti recipientis* Christi scientiam fuisse inferiorem, utpote conflatam ex speciebus magis commensuratis humano intellectui ideoque magis dearticulatis.

ARTICULUS IV.

De scientia infusa Christi sub ratione habitus.

(Art. 5-6)

Natura scientiæ inditæ nequit completam in lucem adduci, nisi ex parte subjecti et quoad rationem ipsius *habitus* scien-

tifici exploretur : quod præstabimus tum *in genere*, tum *in specie*.— Atque (ut scite observat Emus *Satolli* in h. art.) per *habitum* significatur non species intelligibilis tantum, nec specierum infusarum ordinata complexio, sed qualitas illa qua instructus intellectus iis, cum vellet, speciebus uteretur prompte ac faciliter.

Conclusio 1ª.— SCIENTIA INDITA ANIMÆ CHRISTI FUIT HABITUALIS, QUIN TAMEN (SALTEM PROBABILIUS) CHRISTUS AB OMNI ACTU TALIS SCIENTIÆ CESSAVERIT.

1ª *Pars* prob.— 1° Modus hujus scientiæ *adaptabatur subjecto* recipienti : quippe receptum est in recipiente juxta indolem ejus. Atqui connaturale est animæ humanæ ut quandoque intelligat actu, quandoque in potentia, dum inter puram potentiam et actum completum mediat habitus ejusdem generis cum extremis. Ergo connaturale fuit animæ Christi ut scientiam per modum habitus adipisceretur.— 2° Ab initio duplex fuit in anima Christi cognitio : una quidem perfectissima *simpliciter*, utpote excedens omnem modum naturæ humanæ, qua videbatur Deus per essentiam ; alia infusa et *suo* quoque *modo* perfectissima, nempe in genere dumtaxat humanæ cognitionis. Ergo prima tantum debuit esse in actu simpliciter et absque ullo habitu quoad omnia intra suum ambitum comprehensa ; nihil vero exigebat ut altera semper, respectu omnium, actu exerceretur, sed congruebat ut habitualis foret (art. 5 ad 1).— 3° *Nec frustra* ponitur ille habitus pro lubitu ad actum reducendus, etsi non ad cuncta sibi subjecta actualiter adhiberetur : in hoc enim utilitas talis habitus deprehenditur quod voluntas eo uti possit eumque ad quodcumque maluerit applicare pro exigentia loci, temporis, negotiorum, finis (*ibid.* ad 2).

2ª *Pars* probabilius admittenda videtur : quia ex una parte nequaquam repugnat animam Christi, utpote a corpore independentem, semper fuisse in *aliquo* actu secundo scientiæ infusæ ; ex altera parte, major per hoc Hominis-Christi perfectio ostenditur, in quantum expressius spiritibus angelicis assimilatur.

Conclusio 2ª.— SCIENTIA INFUSA CHRISTI FUIT DISTINCTA SECUNDUM HABITUS SPECIFICE DIVERSOS.

Prob.— Habitus scientiæ diversificatur in nobis ex diversitate generis scibilium, quatenus ea tantum quæ reducuntur ad unum genus eodem scientifico habitu cognoscuntur. Atqui respectu scientiæ infusæ Christi invenitur diversitas generis scibilium. Ergo. *Min. manif.* Prædicta Christi scientia fere-

bat modum connaturalem animæ humanæ. Atqui animæ nostræ connaturale est recipere species in minori universalitate quam Angeli, ita ut per diversas species intelligibiles diversas naturas specificas attingat et consequenter diversa scibilium genera. Ergo.

Ad majorem argumenti *explicationem*, notabimus cum *Sylvio* (*Comm.* in art. 6) : — *a*) *lumen* divinitus inditum, sub quo procedit infusa Christi scientia, licet communitate quadem sit unum, in concreto tamen diversificari secundum diversos habitus scientificos quibus intellectus afficitur et habilitatur ad sciendum ; — *b*) idcirco eoque sub respectu scientiam illam non posse æquiparari *fidei :* fides enim fertur in omnia credibilia sub una ratione formali adæquata, nimirum sub ratione veritatis divinæ, ideoque sufficit unus fidei habitus; scientia vero Christi infusa fertur sub diversis rationibus formalibus in diversa genere scibilia, ideoque diversos habitus exposcit (resp. ad 2 et 3).

ARTICULUS V.

De objecto scientiae Christi acquisitae.

(Q. XII, a. 1)

Superest dicendum de scientia *acquisita* Christi tum quoad *objecti* extensionem, tum quoad acquisitionis *modum :* primo de objecto.— Nomine scientiæ acquisitæ intelligitur humana scientia universim sumpta, tum quæ potissimum ratione pura procedit, tum quæ frequentibus experimentis nititur.

Conclusio.— Per scientiam acquisitam Christus scivit omnia ea quæ possunt lumine intellectus agentis cognosci.— His profecto annumerari non debent neque substantiæ *separatae*, quarum essentiæ humanum captum effugiunt, neque *singularia* saltem universaliter sumpta : quæ tamen Christus per scientiam infusam noverat (resp. ad 3).

1° *Prob. concl.*— *a*) Nihil imperfectum fuit in Christo quantum ad animam. Atqui scientia acquisita, per quam Christus non omnia scivisset, *imperfecta* sane fuisset, utpote additamentis obnoxia. Ergo.— *b*) Item, sicut scientia infusa Christo conceditur ob perfectionem intellectus possibilis, ita in eo scientia acquisita agnoscitur propter convenientiam intellectus agentis, ne scil. otiosus maneret. Atqui quemadmodum ad intellectum *possibilem* pertinet *omnia* quadamtenus *fieri* suscipiendo omnium intelligibiles species, ita in-

tellectui *agenti* convenit *omnia* actu intelligibilia *facere* abstrahendo species omnium quæ possunt sub sensuum experientiam cadere et phantasiâ repræsentari. Ergo sicut per scientiam inditam Christus omnia scivit ad quæ quocumque modo in potentia se habet ; ita per scientiam acquisitam assecutus est quæcumque lumine agentis intellectus, sensibus ministrantibus, deprehendi queunt.— *c*) Accedit aliud, vid. *typicae* Christi perfectioni apprime conveniens fuisse, ut omnes scientias, omnia studia, omnia ingenii humani molimina *exemplo suo* cohonestaret et veluti consecraret.

2° *Concl. decl.* (resp. ad 1 et 2). — *a*) Eo latius atque remotius humana scientia sua undique dilatat confinia, quo *rationis vis* altior aciesque excellentior fuerit ; in exemplum sint *Aristoteles*, *Alb. Magnus*, *D. Thomas*, etc., qui de tam multis tanta doctrinarum laude dissertarunt. Porro Christum-hominem excellentia et acumine intellectus, præ cæteris cunctis hominibus, præstitisse, partim naturaliter, partim ex lumine adjuncto scientiæ beatæ et infusæ, quis legitime negaverit ? — *b*) Neque objiciatur restricta Christi experientia. Ex iis enim quæ expertus erat « potuit in aliorum notitiam devenire secundum quascumque *leges associationis idearum* (puta circa effectus et causas, similia et contraria). Nam excellenti ingenio ex unius rei naturalis observatione potest intelligi quidquid illi conveniat et quidquid aliud reali habitudine ad illam referatur : e. g. si quis comprehendat uno experimento lucem, et altero vim electricam, poterit immediate vel mediate totam scientiam physicam adipisci quæ circa istarum virium naturam, leges, et phœnomena versatur » (*Satolli* in h. art.). — *c*) Præterea cum homo sit quasi minor mundus et totius universitatis rerum admirandus epilogus, numquid adæquata *humani compositi* notitia, Christo certo tribuenda, non poterat ejus mentem, non solum in ordine psychologico et metaphysico, sed et in dominio inferium scientiarum ad infinita pene capessenda perducere ? — *d*) Tandem non displicent quæ scribit *Cajetanus* (in h. art.) de *ministerio Angelorum :* « Si (inquit), Evangelista testante, cibum corporalem Angeli Christo esurienti ministraverunt ; multo magis rationabile est, ut indigenti Christo spirituali cibo scientiæ acquisitæ ministraverint singularia opportuna, ex quibus ipse suo ingenio adinveniret scientiam. Hoc enim nullum inconveniens habet annexum, nec est miraculum voluntarie fictum, sed super simili et minus necessario expresso in Evangelio fundatum ; propterea ut rationabile id nobis amplectendum videtur ».

ARTICULUS VI.

De modo originis scientiae acquisitae in Christo.

(Art. -4)

1° Duo subeunt circa originem scientiæ acquisitæ discutienda : scil. agendum est tum de *progressu* illius scientiæ, tum de *virtute* ejusdem acquisitiva.

2° *Praemittatur* duplicem esse profectum scientiæ : unum quidem secundum *essentiam*, prout ipse habitus scientificus augetur ; alium secundum *effectum*, cum nempe prius minora et dehinc majora et subtiliora in medium producuntur.

3° *a*) *Hoc secundo modo* plane liquet Christum in scientia profecisse ; quatenus progrediente ætate opera in dies majora perficiebat quæ majorem scientiam demonstrabant.— *b*) Quantum vero ad ipsum *scientiae habitum*, certe nec *beata*, nec *infusa* Christi scientia augmentata est : at quæstio movetur de scientia *acquisita*.— *c*) Qui opinantur scientiam de se acquisibilem fuisse ab initio in anima Christi infusam, proclive est ut negent essentiale augmentum hujus scientiæ, nec in ea profectum admittere possunt nisi quem vocant *experimentalem*, scil. per conversionem seu applicationem specierum intelligibilium inditarum ad phantasmata variis sub formis occurrentia : id tamen merito rejicitur.

Conclusio 1ª.— CHRISTUS SECUNDUM SCIENTIAM ACQUISITAM ESSENTIALITER PROFECIT.

1° Sententia hæc *conformior* dici *potest* textui biblico (Luc. II, 52) ; *Et Jesus proficiebat sapientia et aetate* etc ; ubi, Evangelista conjungente scientiam cum ætate (S. Thom. art. 2 ad 1), profectus unius assimilari videtur profectui alterius.— Hinc *S. Cyrill. Alex.* (Schol. de Inc. Unig. c. XIII) super illum locum ait : « Deus Verbum humanitatem *more suo* proficere permittebat, et quasi paulatim divinitatis suæ gloriam volebat ostendere.» Cf. *S. Ambr.* l. de Inc. Dom. c. 7.

2° *Ratio* luculenta ad arguendum suppetit.— Ideo censuimus scientiam acquisitam in Christo esse admittendam, ut intellectus agens, propria vi præditus, non frustraretur exercitio suæ naturalis actionis quæ est specierum intelligibilium abstractio a phantasmatibus. Atqui intellectus agens, juxta naturæ humanæ modum, non simul, sed successive munus suum exercet. Ergo secundum illam scientiam Christus non a principio omnia cognovit, sed gradatim processit usque ad plenam perfectæ ætatis sapientiam.

Conclusio 2ª.— NEQUE AB HOMINE, NEQUE AB ANGELIS CHRISTUS, SUPREMUS DOCTOR, QUIDQUAM DIDICIT.

1ª *Pars* excludit omnem disciplinam *hominum* ore traditam.— 1° Sane de Christo prædictum est (Is. LV, 4) : *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus ;* a quo scil. non solum gratiam, sed et veritatis doctrinam omnes reciperent, juxta alia verba (Joan. XVIII, 37) : *In hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Atqui præceptoris est docere, non autem doceri ; præsertim si de *Doctore supremo* agatur : nam in quolibet genere id quod est primum movens non movetur ab alio secundum illam speciem motus, secus procederetur in infinitum. Ergo.— 2° Acquisitio scientiæ Christo tribuenda est ea ratione quæ magis ejus *dignitati* congruat. Atqui dignius est scientiam a Deo ipso accipere per sensibiles creaturas, quæ sunt totidem divinæ sapientiæ voces, quam per humanas litteras humanave eloquia (art. 3 ad 2). Ergo.— 3° *a*) Nos non latet quod legitur (Luc. II, 46), nimirum Christum juvenem in medio doctorum stetisse eosque *interrogasse.* At (monente *Origene*, hom. in Luc.) « interrogabat, non ut aliquid addisceret, sed *ut interrogans erudiret ;*» et reapse (v. 47) *stupebant omnes qui eum audiebant super prudentia et responsis ejus. b*) Quocirca audiendis doctrinæ alienæ sermonibus non accommodabat auditum, nisi *illo tempore* quo etiam per viam experientiæ poterat parem, imo et majorem, scientiæ gradum attigisse (resp. ad 1 et 3).

2ª *Pars* removet disciplinam *angelicam :* — Et 1° innititur in *excellentia* Christi quem, Angelorum Regem et Doctorem, ab Angelis erudiri nequaquam decebat.— 2° Evinci potest, quoad scientiam *acquisitam*, ex perfectione intellectus agentis quo pollens Christus valebat, absque auxilio, omnia capessere ; sicut et quoad scientiam *infusam*, ex immediata conjunctione animæ Christi cum fonte cœlestis sapientiæ.— 3° Quapropter *ministerium* Angelorum circa Christum, de quo (Matth. IV, 11), Angelique *confortatio* ei præstita (Luc. XXII, 43), intelligi debent non per modum *instructionis* cujuscumque, sed per modum *famulatus* adhibiti in iis inferioribus, in quibus Rex cœlorum voluit esse passibilis et indigens : sic Angelus eum refecit, vel corpus ejus defessum levando, vel quoque ejus tristitiam præsentia amicabili pellendo[1].

Solv. obj. (cont. 1ªm concl.).— OBJ. 1.— Eadem fuit proportionaliter extensio scientiæ beatæ et infusæ ac scientiæ

[1] — Ita S. Thom. in 3 S. D. XIV, Q. I, a. 3, quæstiunc. 6 ad 2.

acquisitæ in Christo. Atqui secundum scientiam beatam et infusam Christus non profecit. Ergo.

Resp. *D. M* :. . . et eadem origo, *N ;* scientia beata et infusa sunt ab infinita Dei virtute qui potest totum simul operari, scientia autem acquisita est ab intellectu qui non statim, sed successive opus suum complet, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Proficere in scientia imperfectionem supponit. Atqui in Christo nulla scientiæ imperfectio. Ergo.

Resp. *D. M*:. . . imperfectionem negativam, *C;* privativam, *S. d :* proficere citra debitum. . . *C ;* secundum quod tempus gradatim exigit, *N.*— *C. d. m* :. . . nulla fuit scientiæ imperfectio *privativa*, *C ;* neque *negativa*, *S. d :* loquendo de scientia divina, *C ;* de scientia creata, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Juxta *Damasc.* (de Orth. Fid. l. III, c. 22), qui Christum sapientia et gratia profecisse aiunt, tanquam horum incrementum acciperet, unionem hypostaticam offendunt. Atqui impium est illam unionem offendere. Ergo.

Resp. *D. M* :. . . et Damascenus eos ferit qui *simplicite* admittunt incrementum scientiæ Christi, scil. secundum quamcumque ejus scientiam et præcipue secundum scientiam infusam ex unione ad Verbum provenientem, *C ;* negat augmentum scientiæ naturaliter acquisitæ, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*[1]

QUÆSTIO QUINTA

DE POTENTIA ANIMÆ CHRISTI

Cum superius egerimus de perfectionibus animæ Christi tum quæ ejus essentiam (gratia) tum quæ principia operationum immanentium in ea attinent (virtutes et scientia), dicendum superest de *potentia* quatenus est principium operationum ad extra.— Nec sane dubium esse potest quin humanitas Christi potentiam aliquam, quasi propriam agendi vim, habuerit ; unde quæstio maxime proponitur de gradu et objecto hujus potentiæ, num videl. usque ad omnipotentiam iverit.— Omnipotentia duplex est, una *simpliciter* (art. 1), alia *secundum quid :* quæ postrema spectari potest sive respectu immutationis creaturarum absolute (art. 2), sive quoad ipsum Christi corpus mutandum ejusque voluntatem exequendam (art. 3). Trium ergo articulorum materia versanda subit.

[1] — De scientia Christi legatur Monsabré, 37e Conf., 1879.

ARTICULUS I.

Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter.

« *Augustinus de Roma*, ut refert *Conc. Basilaeense* sess. 22, docuit, quod anima Christi, quia est persona Verbi, habeat omnipotentiam simpliciter. *Lutherus* quoque ejusque gregales propugnarunt, vi unionis hypostaticæ humanitati Christi, sicuti omnipræsentiam seu ubiquitatem, ita etiam omnipotentiam communicatam fuisse » (Knoll, P. III, S. I, c. 4, a. 3).— Veritas ex ore D. Thomæ accipiatur.

Conclusio.— IMPOSSIBILE EST QUOD ANIMA CHRISTI SIT SIMPLICITER OMNIPOTENS.— Id dici potest *fidei* proximum.

1° Enim vero quod proprium Dei est, nequit alicui creaturæ, quantumvis perfectæ, convenire. Atqui omnipotentiam propriam Dei esse, convincunt Scripturæ, puta (Ex. XV, 2-3) : *Iste Deus meus, et glorificabo eum... Omnipotens nomen ejus ;* et (Job. XXXIV, 2-13) : *Omnipotens... quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?* Ergo.

2° In Incarnatione ita facta est unio in persona, ut salva maneret naturarum distinctio, utraque natura retinente quod sibi proprium est. Atqui soli naturæ divinæ omnipotentia attribui potest. Ergo anima Christi, utpote pars naturæ humanæ, nequit eam sibi adsciscere. *Min. prob.* Potentia *activa* sequitur formam rei, quasi primum agendi principium. Forma autem illa vel est ipsa natura, ut in simplicibus, vel naturam rei constituit, ut in compositis. Ergo activa cujuslibet rei potentia naturæ ejusdem rei proportionatur. Atqui natura divina est ipsum esse subsistens et incircumscriptum, a quo participatum esse creaturarum essentialiter deficit. Ergo Deus secundum divinam naturam potentia activa potitur respectu omnium eorum quæ possunt habere rationem entis ; animæ autem humanæ potentia non fertur nisi ad ea quæ perfectioni humanæ naturæ proportionata sunt.

Solv. obj. — OBJ. 1. — Potentiam, quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus (*Ambr.* in Luc. I), scil. per Incarnationem. Atqui Filius Dei ab æterno fuit omnipotens. Ergo.

RESP. *D. M* :... homo erat accepturus, ita ut de eo prædicaretur secundum naturam humanam, *N ;* quatenus, ob uni-

tatem suppositi humani et divini, de eo prædicaretur secundum naturam divinam, *C.— C. m.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Ei convenit Dei omnipotentia, cui conferri potuit scientia divina. Atqui anima Christi habet scientiam omnium quæ scit Deus. Ergo.

Resp. *D. M :...* cui conferri potuit scientia divina tum visionis, tum simplicis intelligentiæ, *C ;* scientia visionis tantum, *S. d :...* secundum modum quo Deo competit, *C ;* secundum modum inferiorem, *N.— C. d. m.— Neg. conseq.*

1° Ut compertum est ex supra dictis, longe inferior est scientia animæ Christi scientiâ divinâ : haud minor viget distantia inter potentiam divinam et humanam in Christo.— 2° Immo potest quorumdam scientia hominibus a Deo communicari (ut creationis sui ipsius et aliorum) quorum tamen communicari effectrix potentia non potest ; nam ad nullius rei cognitionem aliqualiter habendam requiritur virtus infinita, quæ tamen ad quorumdam productionem omnino necessaria est.

Obj. 2.— Anima Christi habet omnium quæ sunt scientiam tum speculativam tum practicam. Atqui universalitas scientiæ practicæ infert omnipotentiam. Ergo.

Resp. *D. M :...* quasi in anima Christi eadem sit extensio scientiæ speculativæ et practicæ, *N ;* quatenus speculative noscit nonnulla operabilia, v. g. creationem, quorum factivam ideoque *simpliciter* practicam scientiam non habet, *C.— D. m :* universalitas scientiæ practicæ *simpliciter*, *C;* scientiæ practicæ ex objecto tantum, *N.— Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

1° Denegatâ animæ Christi omnipotentiâ *simpliciter*, discutienda occurrit omnipotentia *secundum quid ;* et primum *in genere* quoad immutandas creaturas : quæ quidem altera omnipotentia rursus abnuenda videbitur, non tamen sine præviis distinctionibus et animadversionibus.

2° Etenim *a) transmutatio* creaturarum triplex esse potest : una quidem *naturalis*, quæ fit a proprio agente secundum ordinem naturæ ; alia *miraculosa*, quæ fit ab agente supernaturali ultra consuetum rerum cursum et ordinem ; tertia *profundior* secundum vertibilitatem creaturarum in nihil.— *b)* Præterea, anima Christi dupliciter potest considerari, vel secundum *propriam* naturam et *virtutem* sive na-

turalem sive gratuitam, vel prout est *instrumentum* Verbi Dei sibi personaliter uniti ; quod est, secundum rationem causæ *principalis* et *instrumentalis*.

3° Quod ad *opiniones* attinet, *a*) senserunt *nonnulli* Christum per humanitatem tanquam per causam *principalem* efficere gratiam ; « quæ sententia habet speciem pietatis aliquam, veritatis autem aut probabilitatis nullam » (*Suarez*, Disp. XXXI, S. 4).— *b*) Cum igitur pro certo habeatur virtutem animæ Christi fuisse effectricem gratiæ et miraculorum instrumentaliter tantum, *quidam*, ut *Scotistae* et *Vasquez*, id intelligunt secundum solum *moralem* influxum ; *alii*, ut *Capreolus*, causalitatem *physicam* propugnant etiam pro tempore quo nondum humanitas Christi exstabat ; *alii*, cum *And. Vega*, causalitatem istam restringunt ad tempus quo Christus degebat in terris ; *alii* tandem cum *Thomistis* eam extendunt ad omne tempus Incarnatione posterius.— *c*) *Suarez* (op. *cit.* S.9) impossibile non æstimat quod vis instrumentaria *annihilandi*, sicut et creandi, humanitati Christi competat.

4° Veram *D. Thomae* doctrinam, quoad fieri poterit, tribus in conclusionibus aperiemus.

Conclusio 1ª.— ANIMA CHRISTI SECUNDUM VIRTUTEM PROPRIAM, SIVE NATURALEM, SIVE SUPERNATURALEM, CAUSA PRINCIPALIS EXSTITIT OMNIUM EFFECTUUM ANIMÆ CONVENIENTIUM.

Hoc *ab omnibus admittitur*, neque fusiori declaratione eget.— Nam causa *principalis* ea est quæ *propria* virtute aut nativa aut superaddita effectum producit. Atqui inerat animæ Christi virtus propria, cum naturalis, tum gratuita, ad multiplex effectuum genus operandum, nempe ad gubernandum *corpus*, ad disponendos *humanos actus*, ad illuminandum et juvandum modo sibi convenienti omnes creaturas rationales ab ejus perfectione deficientes : quippe Christus homo, quatenus Ecclesiæ Caput plenitudine gratiæ et scientiæ instructum, purissimumque sanctitatis exemplar, poterat et *docere* opere ac verbo, et *orare*, et *mereri*, et *satisfacere* pro humano genere. Ergo,

Conclusio 2ª.— HUMANITAS CHRISTI NEQUIT ESSE SIMPLICITER CAUSA PRINCIPALIS GRATIÆ OPERUMQUE SUPERNARALIUM ; AT, AB INCARNATIONE PERACTA, HABERI DEBET TANQUAM INSTRUMENTUM PROPRIE DICTUM, SEU PHYSICE INFLUENS, OMNIUM EFFECTUUM AD FINEM INCARNATIONIS ORDINABILIUM, QUATENUS EST DIVINITATIS ORGANUM CON-

JUNCTUM IDEOQUE EXCELLENTISSIMUM.— Quatuor partes in hac propositione, lucidioris methodi gratiâ, distingui poterunt.

1ª *Pars* negat dignitatem causæ *principalis* gratiæ aliorumque supernaturalium *simpliciter* competere humanitati aut animæ Christi.— 1° Id constat ex iis quæ alibi (tract. *de Gratia*, D. IV, Q. I, a. 1) disputavimus circa causam gratiæ, cujus supernaturalitas et altitudo transcendit omnem vim creatam, etiam donis gratuitis perfectam.— 2° Non diffitemur potuisse Christum per sanctissimam suam humanitatem efficaciter nobis *impetrare* et *mereri* omnes gratias Redemptionis. At preces, merita aliaque hujusmodi non pertinent ad causam efficientem principalem nisi *reductive*, *diminute* et *participative*[1], quatenus scil. principali agenti præbent morali modo *rationem* agendi (unde vocantur causæ morales) quin ipsa sint agentia productiva effectûs.

2ª *Pars* tribuit humanitati Christi rationem *causae instrumentalis physicae* effectuum supernaturalium, tamen cum restrictione illa ; *ab Incarnatione peracta*. Siquidem id quod nondum est, nequit *efficienter* agere, quamvis *moralem* quemdam *finalemque* influxum exercere valeat.— Communiter conceditur humanitatem Christi esse instrumentum *aliquale* Divinitatis, quod universa traditio prædicat ; ideoque dubium proponitur de instrumento *proprie* dicto seu *physice* agente. — Qua in re expedit recolere quod instrumentum *definitur* « causa secunda quæ sua virtute, mota vel applicata a principali, operatur *dispositive* ad effectum principalis agentis ; » sicut sera operatur ad scamnum faciendum. Unde *a*) instrumentum habet unam actionem *vi suae formae*, aliam vero *in quantum movetur a principali agente ;* et secundum hoc ejus actio ad aliquid altius pertingit[2]. *b*) Quare ad instrumentum pertinet ut *modo sibi consentaneo* actionem principalis agentis ad effectum *deferat*. *c*) Quod quidem intelligendum est, non tantum per modum *designationis*[3] effectûs producendi, sed per modum *realis executionis* ejus quod a per se agente intenditur, in quantum scil. virtus principalis agentis non attingit effectum nisi ut defluens per instrumentum et modificata per ejus actionem[4]. — Hisce præstitutis, intenta veritas prob :

1° Ex *Scriptura*.— *a*) Nam legitur (Luc. VI, 19) : *Omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat*

[1] — Cf. Cajetanum in 1, Q. LXXX, a. 2 ; — Lorenzelli, *Phil. theor. instit., Metaphys. gen.* P. I, lect. 4.
[2] — Cf. Qq. Dp. *de Ver.*, Q. XXVII, a. 4.
[3] — Ita Billot, *Comm.* in h. loc.
[4] — Cf. Cajet. in h. art ; — Satolli, *Praelectiones* in I-IIæ, Q. CXII, a. 1.

omnes ; et (*ibid.* VIII, 46) cum mulier quædam ægrotans furtim Christum tetigisset confestimque sanata fuisset, ait Jesus : *Tetigit me aliquis ; nam ego novi virtutem de me exiisse.* Porro virtus hæc salutifera, egrediens ab humanitate Christi, proprio obvioque sensu importat causalitatem *physicam.* — *b*) Id ipsum persuadetur ex eo quod Christus filiam Jairi suscitavit manus ejus *tangendo*, item Lazarum *voce imperativa* evocando ; quia dedit discipulis Sp. Sanctum *insufflando*, etc.

2° Ex *traditione* merito referunt verba *Conc. Ephes.* (can. 11), quod « *caro* Christi sit *vivificatrix* propter unionem ad Verbum ;» verba quoque *S. Hilarii, SS. Cyrill. Alex.* et *Joan. Damasc.* (Knoll, P. III, S. I, c. IV, a. 3).— Accedit auctoritas *S. Thomae* qui pluribus in locis (III, Q. VIII, a. 1 ; Q. XLVIII, a. 6, etc.) docet Christum hominem duplici modo causare gratiam, per *meritum* et *efficientiam* profecto instrumentalem ; eum audiamus (*de Ver.* Q XXVII, a. 4) : « Humana natura aliquid communicabat in operatione virtutis divinæ, sicut quod Christus tangendo leprosum mundavit ; sic enim ipse tactus Christi causabat instrumentaliter salutem leprosi. Sicut autem humana natura in Christo communicabat ad effectus divinæ virtutis *instrumentaliter* in *corporalibus* effectibus, ita in *spiritualibus ;* unde sanguis Christi pro nobis effusus habuit vim ablutivam peccatorum (Apoc. I, 5) : *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* ».

3° *Ratione* completur demonstratio.

a) *Primo* ex *dignitate Christi-capitis.*— Nam nihil magis commendat dignitatem Ejus, quam quod non solum uno modo, sed *pluribus modis*, maximeque efficientiâ saltem instrumentali, in effectus supernaturales influat.— « Colligitur idem ex hoc, quia est Caput super omnem Ecclesiam. Atqui non esset *secundum rem Caput* totius Ecclesiæ, nisi secundum humanitatem haberet virtutem saltem instrumentalem producendi gratiam in aliis ; secus enim mera denominatio extrinseca relinqueretur, aut sola ordinis relatio sine actu » (Satolli, *l. cit.*).

b) *Secundo* ex *appellatione instrumenti.*— Ecclesiæ sensus, Conciliis Patribusque innixus, habet quod humanitas Christi sit organum et instrumentum Divinitatis. Atqui instrumentum *proprie* acceptum illud est quod efficienter operatur ; neque, in proposito, *large* sumi potest pro vi meritoria Christi : merens enim, qua talis et in hoc morali genere, munere fungitur causæ principalis, quod abludit a ratione instrumenti. Ergo.

3ª *Pars* est de *objecto* virtutis instrumentalis animæ Christi.— Et 1° objectum istud recte extenditur « ad *omnes*

immutationes miraculosas faciendas, *ordinabiles ad Incarnationis finem*, qui est instaurare omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt » (*S. Thom.* h. art.) ; quo sub effectuum genere comprehenditur infusio gratiæ (quæ immutatio est, non creatio), remissio peccatorum, transsubstantiatio qua *ex pane* fit corpus Christi, illuminatio mentium, sanatio corporum, etc.— Immensam hanc Christi virtutem commendat evangelica narratio, quæ tam multa tamque mirabilia Salvatoris opera in mundo tum animato tum inanimato peracta recenset, addens (Joan. XXI, 25) : *Sunt autem et alia multa quae fecit Jesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.*

2° Efficientia instrumentalis Christi, quasi principium totius vitæ spiritualis nostræ, attingit opera supernaturalia *omnium temporum omniumque locorum.* *a*) « Neque enim, ait *Cajetanus* in h. art., minuitur aut arctatur omnipotentia divina ad limites instrumenti quod assumit, sed instrumentum *elevatur ad omnipotentiae executionem* in tali miraculo, ad quod efficiendum ordinatur ab ipsa ». *b*) Idcirco, supplente Deo, Christi humanitas, tametsi distans ab effectibus sibi subjectis, eis tamen *virtutis contactu*[1] conjungitur, quatenus Verbum effectus illos non producit nisi dependenter ab humanitate. *c*) Quo in casu, humanitas Christi *dispositive* operatur ad effectum principalis agentis non tam ex parte rei operatæ quam ex parte *modi operandi*, divinam actionem veluti modificans, v. g. verbo, signo, voluntatis actu, etc.

4ª *Pars* indigitat *specialem modum* quo Christi humanitas Divinitati instrumentaliter deservit.

1° Namque, quatenus est Divinitatis organum *conjunctum* secundum *esse personale*, ei competit quædam principalitas causalitatis, respectu instrumentorum extrinsecorum[2], quæ nuncupatur *potestas excellentiae*, præeminens *intimitate* singulari virtutis instrumentalis, *continuitate* actualis conjunctionis, *universalitate* effectuum et facultate gratiam miraculorum *in alios transfundendi*, ut constat ex Matth. X, 1 (*Satolli* in h. art.).

2° De *natura virtutis instrumentalis* in humanitate Christi, hæc tenenda videntur : — *a*) Primum, humanitas a Verbo assumpta constituta est in esse quodam habituali seu radicali instrumenti per ipsam hypostaticam Unionem, quin necesse sit confugere ad aliquem specialem habitum neque

[1] — Cf. III, Q. XLVIII, a. 6 ad 2 ; Q. LVI, a. 1 ad 3.— « Deus instrumenti absentiam supplet, ejusque actionem in passum quamlibet dissitum trajicit » (Contenson, Vol. III, p. 499).

[2] — III, Q. LXIV, a. 3.

ad potentiam obedientialem *activam* quam nonnulli ponunt[1]: alia enim non datur potentia creaturæ ad actus supernaturales quam *obedientialis* passiva respectu Dei cui omne ens obedit in iis quæ contradictionem non involvunt, licet intra genus hujus potentiæ passivæ quædam entia divinitus eleventur ad agendum, quædam vero ad recipiendum.— *b*) Vis autem instrumentaria humanitatis Christi, prout hæc munus instrumenti exercet, quid est nisi ipsa *actuosa motio* qua eadem humanitas a Deo educitur de potentia obedientiali ad actum? Hic instrumenti motus et usus se habet per modum entis incompleti et fluentis[2].

Conclusio 3ª. — Animæ Christi defuit potentia, sive propria, sive instrumentalis, annihilationis creaturarum.

Etenim immutatio creaturarum usque ab annihilationem correspondet creationi, qua producuntur ex nihilo, et conservationi vetanti ne in nihilum decidant. Atqui solius Dei est res creare et conservare ; imo in creatione nec dari potest instrumenti influxus. Ergo anima Christi annihilare quidpiam non potest, ideoque caret omnipotentia immutativa creaturarum.

Solv. obj. (cont. 3ªm concl.) .— Obj. 1. — Dicit Christus (Matth. XXVIII, 18) : *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Atqui nomine cœli et terræ intelligitur omnis creatura. Ergo.

Resp. *D. M* :... et hoc intelligitur ratione *unionis hypostaticae* per quam factum est ut homo prædicaretur omnipotens, *C ;* ratione humanitatis Christi, *S. d :* quatenus hæc accipit quamdam plenitudinem *potestatis spiritualis*, *C ;* quasi acceperit omnipotentiam immutativam creaturarum, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Anima Christi est perfectior qualibet creatura. Atqui creatura quælibet potest ab alia moveri. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... aliqualiter, *C ;* quocumque immutationis genere, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Anima Christi plenissime habuit gratiam miraculorum. Atqui omnis immutatio creaturæ ad gratiam miraculorum pertinere potest. Ergo.

Resp. *D. M* :... per modum causæ *principalis*, *N ;* per modum causæ *instrumentalis excellentioris*, *S. d :* et hanc gra-

[1] — Potentiam hujusmodi asserit *Suarez*, Disp. XXXI, S. 6.

[2] — De hoc argumento utiliter (inter alia) consuli poterit egregium opusc. cl. prof. Lépicier, *Del Miracolo* (1897), c. 12.— Cæterum plura de causa instrumentali discutiemus in tract. *de Sacramentis* in genere.

tiam habuit per respectum ad finem Incarnationis, *C ;* citra talem respectum, *N.*— *C. d. m :*... ad causam principalem miraculorum, *C ;* ad causam instrumentalem, *S. d ;* omnis immutatio instrumenta admittens et superiori fini deserviens.. *C ;* immutatio quæcumque... *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis suaeque exequendae voluntatis.

(Q. XIII, aa. 3-4)

Potentia animæ Christi, quam mox respectu creaturarum exploravimus, nunc adspicienda suscipitur *in ordine ad ipsum Christum*, sive quoad immutandum proprium *corpus*, sive quoad exequendam suam *voluntatem*.

Conclusio 1ª. — EX SE NON POTERAT ANIMA CHRISTI PROPRIUM MOVERE CORPUS A NATURALI DISPOSITIONE ; ID TAMEN POTERAT UT INSTRUMENTUM VERBI ; QUANQUAM FACULTAS HÆC MAGIS ATTRIBUITUR VERBO IPSI.

1ª *Pars* ostend.— Nam 1° Christus *debuit per omnia fratribus similari* (Heb. II, 17), maxime in his quæ pertinent ad conditionem humani corporis. Atqui ad conditionem humani corporis pertinet ut ejus valetudo, nutritio, augmentum, imperio voluntatis non subdantur, sed soli naturæ Auctori. Ergo.— 2° Ex dictis (art. præc.) constat non potuisse animam Christi *propria virtute* dimovere exteriora corpora a cursu et ordine naturæ. Atqui secundum naturæ ordinem viget animam inter et corpus determinata proportio. Ergo.— 3° Nec provocetur ad perfectissimam *vim imaginativam* in Christo. Imaginationi enim, si fuerit fortis, corpus obedit quantum ad aliqua a motu locali animæque passionibus dependentia, non tamen quantum ad omnes dispositiones corporales, v. g. quoad figuram manus, pedis, aliudve simile (art. 3 ad 3).

2ª *Pars* manifesta est ; quippe virtuti instrumentali animæ Christi subdebatur quidquid in finem Incarnationis conferre posset : ergo et dispositio proprii corporis. Huc spectat illud (Joan. X, 18) : *Postestatem habeo ponendi eam* (animam meam) *et... iterum sumendi eam.* Scilicet « erat in potestate Christi, ut quamdiu vellet, anima ejus corpori unita remaneret, et statim cum vellet, separaretur ab ipso » (*S. Thom.* Opusc. II, c. 230).

3ª *Pars* liquet ex eo quod virtus effectiva actionis non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti.

Conclusio 2ª. — POTUIT ANIMA CHRISTI EXEQUI QUIDQUID VELLET, SIVE UT IMPLENDUM PER SE, SIVE UT IMPLENDUM INSTRUMENTALITER VIRTUTE DIVINA ; TAMEN NON SEMPER IMPLETA FUIT PROPRIA IPSIUS VOLUNTAS ANTECEDENS, NEC DESIDERIUM EJUS QUOD AB ALIIS EXEQUENDUM DEPENDERET.

1ª *Pars* evincitur ex *sapientia* animæ Christi : non enim ejus scientiam prudentiamque decebat ut aliquid vellet *per se* facere quod suæ virtuti non subjaceret.— *Oravit* autem Christus etiam pro iis quæ humana voluntate erat facturus, quia (inquit *Cajetanus* in art. 4) « orationes causæ mediæ sunt ad operanda et consequenda ; sine causis autem mediis velle effectus stulti est, sicut velle colligere frumenta sine seminatione[1] ».

2ª *Pars* comperta est ex eo quod anima Christi erat Divinitatis instrumentum liberum quidem, at principali agenti conjunctissimum.

3ª *Pars* constat, quia nec voluntas Dei antecedens semper impletur.— Ad *antecedentem* animæ Christi voluntatem reducitur præceptum, effectu frustratum, quod legitur (Matth. IX, 30-31) de cæcis illuminatis, quibus dixerat Christus : *Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa.* Antecedenter enim ostendit Dominus se refugere humanam gloriam, sed *consequenter* voluit miraculum publicari ad majorem utilitatem (resp. ad 2).— Ad eamdem distinctionem probabilius refertur quod Christus secundum humanam voluntatem quandoque aliquid vellet et disponeret *quantum erat in se*, quod tamen *aliorum* voluntas sibi non subjecta exequi renueret[2] : v. g. narratur (Marc. VII, 24) quod, in finibus Tyri et Sidonis, Christus *ingressus domum neminem voluit scire, et non potuit latere ;* ex quo accipitur Christum adhibuisse media naturalia tunc occurrentia ut incognitus maneret, quin tamen efficaci voluntate prohibuerit se ab aliis requiri.

QUÆSTIO SEXTA

DE DEFECTIBUS CORPORIS A VERBO COASSUMPTIS

Defectus quos Christus in humana natura assumpsit alii sunt *corporis*, *animae* vero alii.— Modo agendum est de

[1] — Cf. II-IIæ, Q. LXXXIII, a. 2.

[2] — De hac controversia minoris momenti, cf. ex una parte Joan. a S. Thoma, et ex altera Billuart.

defectibus corporis juxta sequentem quæstionis partitionem, *an* (art. 1), *qualiter* (art. 2), et *quinam* (art. 3) in Christo extiterint.

ARTICULUS I.

Utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus.

Nomine *defectuum corporis* hic intelliguntur inordinationes seu labes quæ corpus removent a naturali sua dispositione ; quod quidem fieri potest per membrorum læsionem et alterationem, aut per organorum irritationem, ut patet ex vulneribus, fame, siti, etc.— *Phantasiastae* (quos etiam *incorrupticolas* vocant), duce *Juliano Halicarnassensi*, Christi corpus incorruptibile fuisse docuerunt, nec nisi specietenus infirmitates humanas in eo admiserunt (cfr. Petavium, l. X, c. 3).

Conclusio.— Conveniens fuit corpus a Verbo assumptum humanis defectibus subjacere.— *Factum* quidem passibilitatis corporis Christi *fide* constat ex *Conc. Ephes.* c. 12, necnon ex *Eugenii IV* verbis in *Conc. Flor.* constitutione pro unione Jacobitarum.

1° *Scripturae* indubium est suffragium.— Nam legitur (Is. LIII, 4-5) : *Vere languores nostros ipse tulit... Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.*— Præterea, ad hoc Filius Dei venit in mundum ut nos adjuvaret, juxta illud (Ps. CXX, 1) : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Atqui ait Ap. (Heb. II, 18) : *In eo, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur auxiliari.* Ergo congruebat Christi carnem esse hujusmodi ut in ea pateretur nobisque per eam auxilium ferret.

2° *Traditio* suum Scripturæ adjicit testimonium.— Audiatur *S. Ignatius M.* (Ep. ad Trall. n. 9) : « Obturate, inquit, aures vestras, cum vobis quispiam loquitur sine Jesu Christo, Filio Dei, qui ex genere Davidis, qui ex Maria, qui vere natus est ex Deo et Virgine... vere edit et bibit... *vere* crucifixus et mortuus est ». Et *S. Leo M.* (Ep. 28 ad Flavianum, c. 3) : « Salva proprietate utriusque naturæ et substantiæ, et in unam coëunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute *infirmitas*, ab æternitate mortalitas, et ad resolvendum conditionis nostræ debitum, natura inviolabilis naturæ est unita *passibili* ».— Probe quidem novimus citari

posse quosdam Patres, ut *Dyon. Alexandrinum*, *S. Hilarium*, etc., qui oppositæ doctrinæ, apparenter saltem, faveant ; de quibus hæc teneto. *a*) *Unius* alteriusve Patris dissensus traditionis argumentum non enervat. *b*) Sana autem hermeneutica exigit ut loca obscuriora per *clariora* explicentur ; quæ clariores sententiæ apud *S. Hilarium* non desunt, adeo ut nonnullis visus sit se his in locis retractasse. *c*) Quidam ex Patribus passibilitatem Christi negantibus de eo loqui censendi sunt, quatenus est *Deus*. *d*) Tandem alii forte significare volunt *libere* Christum, non ea necessitate qua nos obstringimur, corporeas miserias suscepisse[1].

3° Tripliciter *argumentari* fas est.

a) Ex *fine Incarnationis*.— Dei Filius eo fine carnem assumpsit ut pro peccato humani generis satisfaceret, suscipiendo in se pœnam pro peccatis nostris debitam, non quamcumque (ut blasphemavit *Calvinus* ponens Christum etiam inferni pœnas sustinuisse), sed eam quæ operi reconciliationis congrueret. Atqui defectus corporales, ut mors, fames, sitis, etc., pœnæ sunt peccati quod per Adam in mundum introductum est, quemadmodum asseritur (Rom. V, 12). Ergo.

b) Ex *manifestanda Incarnatione*.— Taliter humana natura erat a Verbo assumenda ut fides Incarnationis, humanitatis veritate in lucem emergente, adstrueretur. Atqui, cum ordinaria naturæ nostræ conditio sit multiplex passibilitas, nisi Filius Dei humanitatem assumpsisset defectibus obnoxiam, videretur nec fuisse verus homo, nec veram sumpsisse carnem ; e contra passibilitas veritatem naturæ nostræ suadet : unde B. Thomas per aspectum vulnerum est ad fidem revocatus, ut constat ex Joan. XX. Ergo convenienter Dei Filius *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (Phil. II, 7).

c) Ex *virtutibus Incarnatione fovendis*.— Christus enim, passiones et defectus humanos assumendo fortiterque tolerando, compassione sua nostrum in se *caritatis* amorem excitavit, atque *patientiæ* exemplum exhibuit, juxta illud (Heb. XII, 3) : *Sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.*

Solv. obj.—Obj. 1. — Sicut anima unita est personaliter Verbo Dei, ita et corpus. Atqui anima Christi omnimoda perfectione gratiæ scientiæque claruit . Ergo.

Resp. *D. M* : . . . eademque est utriusque habitudo ad Incarnationis finem, *N* ; anima *principium* est meriti et satisfac-

[1] — Cf. Petavium, l. X, c. 5 ; — Knoll, P. III, S. I, c. 1, a. 1.

tionis condignæ pro humano genere ex plenitudine gratiæ, corpus vero pœnas, quasi satisfactionis *materiam*, pro peccato sustinendas ministrat, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Anima Christi beata erat. Atqui ex beatitudine animæ redundat in corpus incorruptionis vigor. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... secundum *naturalem* habitudinem quæ est inter animam et corpus, *C* ; nec potuit ex divina Christi voluntate redundantia illa suspendi, ut corpus pati permitteretur, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Pœna consequitur culpam. Atqui in Christo nulla culpa fuit. Ergo.

Resp. *D. M* :... sive ejus qui punitur, sive alterius pro quo ille qui pœnas sustinet satisfacit, *C* ; ejus qui punitur tantum, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 4.— Sapiens non assumit id per quod ab assequendo fine impeditur. Atqui infirmitas nequit ad finem humanæ restaurationis, devicto diabolo, conducere. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... infirmitas *spiritualis*... *C* ; *corporalis*, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Quomodo Christus defectibus corporalibus subjacuit.

(Q. XIV, aa. 2-3)

Sub hoc articulo indagandum succedit *qualiter* defectus corporales in Christo fuerint ; quod in duo resolvitur : scil. an *necessitas* talium defectuum Christi corpus strinxerit ; et an Christus dici possit defectus illos *contraxisse*.

Esto ergo :

Conclusio 1ª. — Defectus corporales in Christo necessarii fuerunt respectu corporis et animæ secundum propriam virtutem spectatæ, non tamen respectu divinæ humanæque voluntatis deliberatæ.

1ª *Pars* prob. — 1° Juxta Ap. (Rom. VIII, 3), Deus Filium suum misit *in similitudinem carnis peccati*. Atqui conditio carnis peccati est quod necessitati moriendi aliasque passiones sustinendi subjaceat. Ergo.— 2° Duplex est necessitas : una quidem *naturalis*, quæ intrinseca rei principia consequitur ; alia *coactiva*, quæ fit ab agente extrinseco, et naturæ ac voluntati contrariatur. Atqui necessitas defectuum corporalium in Christo utroque modo agnoscitur : *a*) nam corpori contrariis ex elementis composito naturaliter inest

corruptibilitas ; *b*) iterum corpus Christi secundum suam conditionem necessitati suberat clavi perforantis et flagelli percutientis, quin anima propria virtute posset effectum hunc impedire. Ergo.

2ª *Pars* constat ; quia, licet naturali quodam voluntatis *instinctu* Christi humanitas mortem aliaque corporalia nocumenta refugeret, tamen voluntas *divina* hunc Redemptionis modum libere elegerat, et necessitatem patiendi sic voluntarie assumptam humana Christi *deliberata* voluntas a primo conceptionis instanti ultro acceptavit, juxta illud (Ps. XXXIX, 7-8) : *Sacrificium et oblationem noluisti ; aures autem perfecisti mihi... tunc dixi : Ecce venio.*— Huc etiam refertur vaticinium Isaïæ (LIII, 7) : *Oblatus est, quia ipse voluit.*

Conclusio 2ª. — CHRISTUS NEQUAQUAM CONTRAXIT DEFECTUS CORPOREOS QUOS HABUIT.

Prob.— Illud dicitur contrahi quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Atqui causa mortis et corporalium defectuum hominis est duplex : *una* quidem *remota*, quæ accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, quæque per originalem justitiam impediebatur ; *altera proxima*, scil. peccatum originale, quo primordialis illa justitia subtracta est ; quæ quidem causa, theologice loquendo, propria et *simpliciter* dici debet. Ergo illi proprie censentur defectus corporales *contrahere* qui aut ex transmisso peccato aut ex debito peccati per carnalem generationem eosdem defectus incurrunt. Atqui Filius Dei accepit naturam humanam virtute Sp. Sancti conceptam et immunem a peccato omnique peccati debito. Ergo defectus corporales non contraxit, sed voluntarie assumpsit.

Solv. obj. (cont. 2ªm concl.).— OBJ. 1. — Illud contrahere dicimur quod simul cum natura origine trahitur. Atqui Christus simul cum natura humana corporeos defectus origine traxit a matre. Ergo.

RESP. *D. M :...* quod trahitur vi ipsius originis, *C ;* cum origine quidem, at libera voluntate, *N.— C. d. m :...* vi suæ originis cujus activum principium fuit Sp. Sanctus, *N ;* cum origine, sed voluntaria susceptione, *C.— Neg. conseq.*

OBJ. 2.— Id quod ex principiis naturæ causatur, contrahitur. Atqui pœnalitates, quibus Christus subjectus fuit, ex principiis humanæ naturæ prodibant. Ergo.

RESP. *D. M :* Quod ex principiis naturæ, tanquam ex causa *proxima* et propria, causatur... *C ;* tanquam ex causa *remota* tantum... *N.— C. d. m :...* remote, *C ;* proxime et proprie, *S.*

d : sub respectu *physico, C ;* sub respectu *theologico, N.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Secundum defectus corporales Christus aliis hominibus assimilatus est (Heb. II, 17). Atqui cæteri homines defectus illos contrahunt. Ergo.

Resp. *D. M :* . . . quantum ad *qualitatem defectuum, C ;* quantum ad *causam, N.— C. m.— Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit ; — de pulchritudine Christi.

Agitur de *extensione* defectuum quos Christus in corpore assumpsit ; qua capta occasione, legitimæ curiositati indulgebimus inquirendo de *specie* corporis Christi, num scil. deformitatem admiserit quæ sibi pulchritudinis laudem præriperet : — hinc duo concludenda.

Conclusio 1ª. — Non omnes Christus humani corporis defectus infirmitatesque assumpsit.

1° Sane contraria non possunt simul in eodem reperiri. Atqui quædam infirmitates sibi invicem contrariantur, utpote ex contrariis principiis causatæ. Ergo.

2° Christus humanos defectus assumpsit, ut pro peccato totius humanæ naturæ satisfaceret ; ad quod salutiferum opus requirebatur in Salvatoris anima plenitudo scientiæ et gratiæ. Ergo illos defectus Christus suscipere debuit qui ex una parte commune totius naturæ peccatum consequuntur, ex altera vero nec scientiæ nec gratiæ perfectioni repugnant. Atqui ex defectibus humanis alii contrariantur scientiæ et sanctitati ; alii ex causis particularibus procedunt, quæ Christo non conveniunt. Ergo. *Min. decl.— a) Primo,* experientiâ constat quosdam esse defectus corporis humanæque complexionis qui vel scientiæ acquisitioni vel virtutis exercitio nocent et obsistunt ; cujusmodi sunt cæcitas, pronitas organica ad malum, etc.— *b) Secundo,* alii defectus in aliquibus hominibus oriuntur ex causis particularibus, v. g. lepra, caducus morbus, etc; qui quidem defectus quandoque generantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu, quandoque ex defectu virtutis formativæ. Horum autem neutrum Christo attribui potest : siquidem caro ejus de Sp. Sancto est, qui sapientia virtuteque pollet infinita ; ipse vero nihil inordinatum in regimine suæ vitæ admisit. — *c) Tertio* demum sunt defectus ex primi peccati fonte communiter in omnibus ma-

nantes, ut mors, fames, sitis, lacrymæ, aliaque hujusmodi : quas omnes infirmitates Christus suscepit. « Naturales, inquit *Damascenus* (l. III Orth. Fid. c. 20), et inculpatæ passiones hæ sunt quæ in arbitrio nostro sitæ non sunt ; quæ nimirum in violati præcepti pœnam humanæ vitæ irrepserunt... Omnia assumpsit (Christus), ut omnibus sanctitatem conciliaret.»

Conclusio 2ª. — MAXIMA FUIT CORPORIS CHRISTI PULCHRITUDO, SECUNDUM QUOD SINGULARI EJUS CONDITIONI COMPETEBAT.

1° Non defuere olim (refert *Petavius*, l. X, c. 5) qui carni Christi formositatem detraherent ; — immerito tamen, ut opinamur. Præferenda est opposita sententia, quam sic tradit *S. J. Chrysostomus* (Hom. 27 in Matth.) : « Non enim miracula duntaxat faciens, admirabilis erat ; sed etiam cum simpliciter aspiceretur, ingenti abundabat gratia. Atque hoc Propheta significans canebat[1]: *Speciosus forma prae filiis hominum.* Quod autem Isaïas dicit : *Non habebat speciem neque decorem*[2], vel ad divinitatis gloriam arcanam illam et inexplicabilem respiciens ita loquitur ; vel ea narrans quæ passionis tempore contigerunt, nempe dehonestationem illam quam in cruce pendens sustinuit et abjectionem quam per omnia toto vitæ suæ tempore præ se tulit.» His consentit *S. Hieronymus* (Comm. in Matth. IX, 9) : « Certe, inquit, fulgor ipse et majestas divinitatis occultæ quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.» Addamus *S. Augustinum*, *S. Bernardum*, etc.[3]

2° Juxta principia *D. Thomae* (I, Q. XXXIX, a. 8), tria ad pulchritudinem corporis requiruntur : membrorum integritas, debita proportio, et claritas seu color conveniens. Atqui corpus Christi, utpote virtute Sp. Sancti formatum, integrum erat, optime proportionatum, et lumine tum sensibili tum spirituali divinitus illustratum. Ergo.— Præclara sunt quæ scribit idem *Angelicus* (in Ps. XLIV)[4]: « Hanc pulchritudinem Christus, secundum quod competebat ad statum et reverentiam suæ conditionis, habuit. Non est ergo intelligendum quod Christus habuerit capillos flavos vel

[1] — Ps. XLIV, 3.
[2] — Is. LIII, 2.
[3] — Scribit *J. Damascenus* (De Orth. fid., l. IV, c. 16) : « Fertur autem etiam ejusmodi historia quædam : puta cum Abgarus Edessenorum rex pictorem misisset, qui Domini exprimeret effigiem, neque id pictor ob splendorem ex ejus vultu emicantem assequi posset, Dominum ipsum, admoto divinæ vivificæque faciei suæ pallio, imaginem suam in eo depinxisse, quam ad Abgarum misit, ut hoc pacto desiderio ejus faceret satis.»
[4] — Vers. 3 : *Speciosus forma* etc.

fuerit rubeus, quia hoc non decuisset eum ; sed illam pulchritudinem corporalem habuit *summe*, quæ pertinebat ad statum, et reverentiam, et gratiositatem in aspectu ; ita *quoddam divinum radiabat in vultu ejus*, quod omnes eum reverebantur, ut Augustinus dicit.»[1]

Solv. obj. (cont. 1am concl.). — Obj. 1. — Ait *Damasc.* (Orth. Fid. l. III, c. 6) : « Non potuit sanari quod assumptum non fuit.» Atqui Christus venit omnes defectus nostros sanare. Ergo.

Resp. *D. M* :... quod nullo modo assumptum fuit, *Trans ;* quod non assumptum fuit *formaliter*, sed *virtualiter* in corpore passibili, *N.*— *D. m* :... sanando *radicem* ipsam horum defectuum, scil. passibilitatem et corruptibilitatem corporis, *C ;* quasi non potuerint consequentes defectus sic radicaliter extingui, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Christus ad satisfaciendum pro nobis simul assumpsit perfectiones animæ et corporis infirmitates. Atqui omnes perfectiones in animam Christi confluxerunt. Ergo.

Resp. *D. M* :... et perfectiones animæ non debebantur Christo ex ipsa unione hypostatica, *N ;* ei competebant *secundum se*, defectus vero corporis *dispensative* tantum, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Qui majores defectus assumpsit, et minores suscepisse censendus est. Atqui Christus assumpsit præcipuum inter defectus corporales, scil. mortem. Ergo multo magis etc.

Resp. *D. M* :... cæteris paribus, *C ;* supposita assumptibilitate graviorum defectuum quæ minoribus desit, *N.*— *C. d. m* :... et mors provenit ex peccato naturæ, *C ;* etiam omnes alii defectus, morte minores, ex illo fonte similiter profluunt, *N.*— *Neg. conseq.*

QUÆSTIO SEPTIMA

DE DEFECTIBUS ANIMÆ A CHRISTO COASSUMPTIS

Defectus *animae* considerari possunt vel in superiori vel in inferiori parte.— In parte *superiori*, dubitatio oritur aut circa malum *morale* quod est peccatum (art. 1) et peccati fomes (art. 2), aut circa malum *intellectuale* seu ignorantiam (art. 3).— In parte *inferiori* discutienda subit passibilitas animæ in genere (art. 4) et in specie (art. 5).

[1] — Dionysius Cartusianus (cit. a cl. Lépicier, *Comm.* in h. l.) pie credit « quod Dominus Jesus Christus, etiam quantum ad corporalem pulchritudinem, cæteros omnes excesserit.»

ARTICULUS I.

Utrum in Christo fuerit peccatum.

Extiterunt (teste *Suarezio*, D. XXXIII, S. 1) *haeretici* qui Christo Domino maculam aut peccatum imponere auderent, puta inordinatam orationem in horto (Calvinus) vel desperationem quamdam in cruce.— A sermone isto penitus abhorret fidei puritas et religionis pietas.

Conclusio. — CHRISTUS NULLO MODO ASSUMPSIT DEFECTUM PECCATI NEQUE ORIGINALIS NEQUE ACTUALIS ; — quod definivit *Conc. Ephes.* (can. 10) : « Non eguit oblatione, qui *peccatum omnino nescivit.*»

1° Revera ipse Christus, *Judæos* inscrepans, de se dixit (Joan. VIII, 46) : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Unde legitur (1 Pet. II, 22) : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Et (Heb. VII, 26) : *Talis decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus.*— Per hoc excluditur cum actuale, tum *originale* peccatum : quandoquidem Christus dicitur universaliter *impollutus*, nec præexstitit in Adam secundum activam et seminalem rationem qua peccatum naturæ propagatur (resp. ad 2).

2° Ut constat ex præc. quæst., Christus defectus nostros suscepit ut pro nobis satisfaceret, veritatem humanæ naturæ comprobaret, et nobis fieret virtutis exemplum. Atqui tria hæc, nedum faveant, omnino planeque repugnant assumptioni cujuscumque peccati in humanitate Christi. Ergo. *Min. decl.*— *a*) Nam *primo* peccatum nihil operatur ad satisfactionem ; quin imo, caritatem tollendo, satisfaciendi virtutem perimit vel infirmat, juxta illud (Eccli. XXXIV, 23) : *Dona iniquorum non probat Altissimus ;* præterquam quod, admissâ culpâ in Christo, pœna quam sustinuit ei fuisset pro proprio peccato debita.— *b*) *Secundo* ex peccato non demonstratur veritas humanæ naturæ : quippe peccatum minime pertinet ad naturæ nostræ integritatem divina operâ perfectam, sed magis ad ejus defectionem fraude diabolica inductam.— *c*) *Tertio* quisque videt non potuisse Christum peccando exemplum virtutis præbere, propterea quod peccatum virtuti e diametro adversatur. Ergo.

Solv. obj. — OBJ. 1.— Querebatur Christus gemens in cruce (Ps. XXI, 1) : *Deus, Deus meus, respice in me ; quare*

me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum. Ergo.

Resp. *D. antec :...* et ibi *delicta* intelligi debent de Christi persona *naturali, N ;* de ejus persona *morali* seu de persona membrorum suorum, prout scil. delicta nostra a Christo suscepta (secundum pœnam) ejus mortem adduxerunt, *C.— Neg. conseq.*[1]

Obj. 2.— Juxta Ap. (Heb. II, 18),potens est Christus nobis auxiliari per ea quæ in se passus est. Atqui maxime indigemus auxilio Christi contra peccatum. Ergo.

Resp. *D. M :...* per ea quæ in se passus est, quæque naturâ suâ vim satisfaciendi et merendi præ se ferunt, *C ;* quæ satisfactioni et merito contrariantur, *N.— C. d. m :...* et peccatum satisfactorium est *in se, N ; in poenis* sibi debitis ac toleratis ab eo qui purus est a peccato, *C.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Legitur (2 Cor. V, 21) : *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Ergo.

Resp. *D. antec :...* i. e. Deus fecit Christum hostiam pro peccato, vel eum vestivit carne simili quodammodo carni peccati, *C ;* Christus vere peccator fuit, *N.— Neg. conseq.*

1° *a*) Non inusitata in Scripturis est loquendi ratio, quod vox *peccatum* usurpetur ad significandum *hostiam* pro peccato, sicut (Ps. IV, 8) dicitur de sacerdotibus comedentibus hostias pro peccato populi oblatas : *Peccata populi mei comedent. b*) Quam ob rem habetur (Is. LIII, 6) quod *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, scil. tradidit Christum ut esset victima pro peccatis omnium hominum.— 2° Eadem sententia explicari potest, quatenus Deus fecit Christum habentem *similitudinem carnis peccati* (Rom. VIII, 3) propter corpus passibile et mortale quod assumpsit.

Obj. 4.— Christus se nobis in exemplum vitæ præbuit. Atqui maxime indigemus exemplo pœnitentiæ de peccatis. Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :...* exemplo ejus qui vel pro proprio vel pro alieno peccato pœnam sustinet, *C ;* pro proprio tantum, *N.— Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum in Christo fuerit fomes peccati peccandique possibilitas.

Duo, ut patet, sub præsenti articulo consideranda proponuntur : de quibus pauca præloquar.

[1] — Cf. *Expl.* Bellarmini (in h. loc.).

1° *Fomes peccati* (qui communius *concupiscentia* vocatur) spectari potest in actu primo et in actu secundo : in *actu primo* fomes est appetitus sensitivus secundum pronitatem ad ea quæ rationis ordini contrariantur ; in *actu secundo* autem dicit ipsum motum sensualem in objectum rationi contrarium.

2° Ad *peccabilitatem* quod attinet, *simpliciter* loquendo aliquis peccabilis denominatur non solum ex *remota* potentia qua peccatur, qualis est per se omnis creata voluntas, sed ex potentia *proxima* et expedita seu moraliter sumpta : quam si removerimus, impeccantia habebitur.— Hæc autem impeccantia repeti potest vel ab *extrinseca* Dei providentia, vel ab exigentia aliqua *intrinseca*, et hoc aut secundum legem *ordinariam* aut secundum potentiam *absolutam :* ista mox patebunt.

Conclusio 1ª. — NON FUIT IN CHRISTO FOMES PECCATI, NEQUE IN ACTU SECUNDO, NEQUE IN ACTU PRIMO.

Id certissimum est ex *Conc. œcum. V* (can. 12), in quo damnatus est Theod. Mopsuestenus, quod dixerit « alium esse Deum Verbum et alium Christum passionibus animæ et concupiscentiis carnis molestatum.»

Ratio triplex ex triplici causa, *efficiente*, *formali* et *finali*, duci potest.— *a*) *Primo* enim, *quod in ea natum est, de Sp. Sancto est* (Matth. I, 20). Atqui Sp. Sanctus excludit peccatum omnemque peccati inclinationem tum actualem tum habitualem. Ergo.— *b*) *Secundo*, quia virtus moralis, quæ subjectatur in appetitu sensitivo, pro munere habet inclinationes sensuales subjicere rationi, quanto virtus in aliquo fortior fuerit, tanto magis in eo vis fomitis infirmatur. Atqui gratia virtutesque omnes in Christo florebant secundum gradum perfectissimum. Ergo in eo fomes peccati non solum ligatus, sed penitus *extinctus* est.— *c*) *Tertio*, accedit quod iste defectus, quomodocumque sumptus, nedum potuerit ad finem Incarnationis seu ad satisfactionem ordinari, magis ad contrarium, scil. ad peccatum inclinasset : ergo nullo modo erat assumptibilis.

Conclusio 2ª. — CHRISTUS DICENDUS EST INTRINSECE ABSOLUTEQUE IMPECCABILIS.— *a*) Agitur de Christo secundum naturam *humanam*.— *b*) Ei autem vindicatur *intrinseca* impeccantia, scil. non solum ea quam abundantia gratiæ conjuncta cum speciali Providentiæ cura infallibiliter adducit (prouti in B. V. Maria factum est), verum etiam illa quæ a proprio internoque principio exigente dependet.— *c*) Hæc

impeccantia appellatur etiam *absoluta* (contra *Durandum* et *Scotistas*), quatenus nec de absoluta Dei potentia humanitas Verbo hypostatice unita peccare potuerit.— *d*) Hanc conclusionem adeo veram existimat *Suarez* (D. XXXIII, S.2), ut contraria neque sine *temeritate*, neque sine quadam *impietatis* specie defendi posse videatur.

1° Ex *Patribus* (quos *Petavius*, l. XI, c. 10, copiose recitat) pauca afferemus.— *S. Augustinus* ait (l. de Corr. et Gr. c. 11) : « Neque metuendum erat ne isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Dei natura humana suscepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ista susceptio talis esset ut natura hominis a Deo ita suscepta nullum in se motum malæ voluntatis admitteret.» Ubi liquet impeccabilitatem Unioni hypostaticæ adscribi.— Itidem sentit *S. Fulgentius* (l. III ad Trasim. c. 38) : « Propterea Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personæ Divinitas accepit, quæ naturaliter peccare non potuit.»— Eadem veritas ab *aliis Patribus* illustratur variis similitudinibus, puta *lucis* tam alienæ a tenebris ut, dum subsistit, nulla obscuritate fuscari possit, aut *vasis* quod suave continens unguentum nihil fœtidum redolere potest.

2° *Ratione* cum *D. Thoma* (3 S. D. XII, Q. II, a. 1) tripliciter argumentabimur, prouti Christus spectetur ut viator, comprehensor, et homo-Deus.

a) Ut *viator* quidem Christus dux erat, nos per viam rectam secum trahens et dirigens. Atqui in quolibet genere oportet primum regulans firma rectitudine consistere, ne fiat deviationis principium. Ergo Christus tantam gratiæ auxiliorumque plenitudinem habuit, ut etiam in quantum viator peccare non posset.— Hujus generis fuit, a Christo tamen dependens, *impeccantia Mariæ*, ad quam Apostolorum aliorumque sanctorum perfectio diversis gradibus accessit.

b) Secundum vero quod fuit *comprehensor* per visionem beatificam, Christi mens inde a conceptionis initio ita fuit supremo fini conjuncta ut agere non posset nisi secundum ordinem ad finem. Atqui actus ad finem seu Deum ordinabiles nequaquam peccati labe infecti sunt. Ergo.— Hæc altera impeccantiæ ratio convenit *beatis animabus* et *Angelis*, minus perfecte tamen quam Christo.

c) Verum impeccabilitas Christi altius et *præcipue* repetenda est ex *Unione hypostatica*, adeo ut in natura a Verbo assumpta peccatum quodcumque prorsus repugnet.— Sane *primo*, cum Christus ex unitate suppositi sit principium *quod* operationum divinæ et humanæ naturæ, « quidquid fecit ille homo, potest dici Deus fecisse. Si ergo ille homo peccas-

set, sequeretur quod Deus peccasset : quod est impossibile. Ergo et primum » (S. Thom. *l. cit.*).— *Secundo*, humanitas in Christo erat quasi organum Divinitatis, Verbo dirigenti specialiter subjectum, eo ferme modo quo appetitus inferior rationi subditur. Atqui nihil peccati contingere potest in iis quæ Verbum *specialiter* dirigit ; imo si quis moralis defectus accideret, in Verbum ipsum refunderetur. Ergo[1].

Solv. obj. (cont. 1^am^ concl.). — Obj. 1.— Ab eodem principio derivatur fomes peccati et passibilitas corporis, scil. ex subtractione justitiæ originalis. Atqui in Christo fuit corporis passibilitas. Ergo.

Resp. *D. M* :. . . in nobis, *C;* absolute, *S. d :* quin unum gratiâ prohiberi possit sine altero, *N ;* ita ut perfectio virtutis et gratiæ se extendat quidem ad vires sensitivas rationi subjiciendas, non tamen secundum se ad vires corporales, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Beneplacito divinæ voluntatis permittebatur carni Christi pati et operari quæ propria sunt. Atqui proprium est carni ut delectabilia concupiscat. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :. . . secundum modum et ordinem rationis, *C ;* præter rationis præscripta, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Tanto fortior digniorque coronâ spiritus hominis ostenditur, quanto magis concupiscentiam carnis superat. Atqui Christus habuit fortissimum spiritum, maxime coronâ dignum, juxta illud (Apoc. VI, 2) : *Data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.* Ergo.

Resp. *D. M* :. . . solum resistendo fomiti contrarianti, *N ;* præsertim comprimendo *totaliter* carnem ne contra mentem concupiscere valeat, *C.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Plus est hostem debellare destruendo quam repellendo. Unde Christo, cujus spiritus summum fortitudinis gradum attigerat, maxime competebat de omni carnis rebellione *radicitus evulsa* triumphare.— Licet autem interior ei impugnatio ex parte fomitis defuerit, *exteriorem* tamen sustinuit ex parte mundi et diaboli, quos superando victoriæ coronam promeruit.

[1] — Vid. plura apud *Joan. a S. Thoma, Billuart,* etc; a quibus pleræque adversariorum objectiones diluuntur.

ARTICULUS III.

Utrum in Christo fuerit ignorantia et admiratio.

(Q. XV, aa. 3 et 8)

Exclusis a Christo defectibus quibus *voluntas* afficitur, subit consideranda conditio *intellectus* ab eoque arcendus omnis defectus cum summa scientiæ Christi perfectione incompossibilis : — unde duo concludenda.

Conclusio 1ª. — Non fuit in Christo ignorantia.

Prob.— 1° Ignorantia per ignorantiam non pellitur. Atqui Christus *eo fine* venit in mundum ut ignorantiæ nostræ caliginem dissiparet, illuminans eos *qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (Luc. I, 19). Ergo.

2° Sicut in Christo fuit plenitudo gratiæ et virtutis, ita et *plenitudo omnis scientiae* sibi debitæ. Atqui plenitudo hæc non minus ignorantiæ opponitur quam altera fomiti peccati. Ergo non minus ignorantia quam peccati fomes a Christo removeri debet.

3° Nullam difficultatem faciunt verba (Is. VIII, 4) : *Antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci* etc.— Nam *a*) *primo*, plerique textum hunc multoque probabilius[1] interpretantur tantum de filio ipsius prophetæ Isaïæ. *b*) *Secundo*, accepta quorumdam expositione de ipso Christo, nullatenus inde Domini ignorantia inferri potest. Quippe duplex solutio habetur (a. 3, resp. ad 3) : *una* est quod, antequam Deus fiat puer habens matrem et patrem putativum seu ante Incarnationem, fortitudo Damasci tolletur vel (sensu spirituali) potestatem suam salutiferam exercebit Christus (ut in sanctis V. L.) ; *altera* est, quod statim post Incarnationem, et antequam puer Jesus secundum infantilem progressum matrem et patrem nominet, ad se Gentes convertet (scil. in persona Magorum).

Conclusio 2ª. — Non fuit in Christo admiratio neque quantum ad scientiam divinam, neque quantum ad scientiam creatam, beatam et infusam ; potuit tamen in eo esse quantum ad scientiam experimentalem.

1ª *Pars* constat : nam admiratio proprie est de aliquo novo et insolito. In Christo autem non poterat esse aliquid

[1] — Huic sententiæ tenaciter adhæret Knabenbauer, *Curs. Script. Sac., Comm.* in h. 1.

novum et insolitum neque quantum ad scientiam divinam omnium comprehensivam, neque quantum ad scientiam creatam, sive beatam sive infusam, quæ latissime in eo patebat.

2ª *Pars* concedit Christo admirationem quamdam respectu scientiæ *experimentalis*.— 1° Sane legitur (Matth. VIII ,10) : *Audiens autem Christus* (verba Centurionis) *miratus est, et sequentibus se dixit : Amen, dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël*.— 2° *Conveniens* erat admirationis sensum a Christo assumi ad nostram instructionem, ut scil. nos exemplo provocaret ad ea magnificanda quæ ipse admiratione digna reputasset.— 3° *Quo pacto* admiratio in Christo contingeret, ex eo deprehenditur quia humana seu acquisibili scientia poterat nova quædam magna et insolita sibi supra rerum hominumve consuetudinem occurrentia experiri. Hanc autem experimentalem apprehensionem sponte in ejus animo consequebatur sive *complacentia* quædam, quod res apprehensa bona perfectaque videretur (ut in exemplo allato mirandæ fidei Centurionis), sive *desiderium* ulterioris inquisitionis ex timore ferendi deficiens judicium : acquisita enim Christi scientia progressiva erat. Igitur in Christo admiratio agnoscitur tum quoad id quod ponit in cognitione, tum quoad id quod importat in appetitu.

ARTICULUS IV.

Utrum anima Christi fuerit passibilis.

Passibilitas animæ Christi nunc *in genere* discutienda assumitur.— Ubi jam expedit duplicem passionem distinguere, *corporalem* scil. et *animalem*, prouti vel corporis vel animæ principalius sit. *a*) Læso et perturbato corpore per aliquam corpoream passionem, necesse est ut anima, quæ est corporis forma, perturbetur *per accidens*, nempe quantum ad *esse* quod habet in materia : hoc modo pati dicitur *passione corporali*. *b*) *Passionem* autem *animalem* proprie anima experitur secundum affectiones appetitus sensitivi quæ non habentur sine aliqua transmutatione corporea, quæque eo magis passionum nomen rationemque vindicant quo mutationes seu diversi motus, quibus materialiter constant, in deterius declinent abjectione convenientis dispositionis[1].

Conclusio. — ANIMA CHRISTI PASSIBILIS FUIT PASSIONE CORPORALI, NECNON PASSIONIBUS ANIMALIBUS ; HÆ AUTEM

[1] — I-IIæ, Q. XXII, a. 1.

PASSIONES ANIMALES ALITER FUERUNT IN CHRISTO QUAM IN NOBIS.

1ª *Pars* de passione *corporali* perspicua est ex dictis : cum enim corpus Christi fuerit passibile et mortale, accidente quacumque perturbatione corporea, oportebat ejus animam in suo esse affici ideoque *per accidens* pati.

2ª *Pars* de passione *animali* evincitur : — ex *auctoritate*. Dicitur enim (Ps. LXXXVII, 3) ex persona Christi : *Repleta est malis anima mea* scil. non peccatis, sed doloribus. Unde *S. Augustinus* (l. XIV de Civ. Dei, c. 9) de passionibus ait : « Etiam ipse Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam, adhibuit eas, ubi adhibendas esse judicavit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus et verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Cum ergo ejus in Evangelio ista referuntur, quod super duritiam cordis Judæorum cum ira contristatus est (Marc. III, 5); quod Lazarum suscitaturus etiam lacrymas fuderit (Joan. XI, 35) ; quod concupiverit cum discipulis suis manducare Pascha (Luc. XXII, 15) : quod propinquante passione, tristis fuerit anima ejus (Matth. XXVI, 38), non falso utique referuntur ». — 2° *Ratio* illa est quam *D. Thomas*, post ipsum S. Augustinum, suppeditat : Christus enim assumpsit ea quæ pertinent ad naturam hominis. Atqui passiones animales (generatim sumptæ) sunt motus proprii naturæ humanæ secundum sensitivum genus. Ergo.

3ª *Pars* versatur circa *modum* quo passiones animales vigebant in Christo ; ubi triplex differentia, utique accidentalis, inter passiones Christi et nostras assignanda est: — 1ª *differentia* ex *objecto*. In nobis enim plerumque passiones hujusmodi feruntur ad illicita : quod in Christo non fuit. — 2ª *diff.* ex *principio*. Passiones nostræ frequenter judicium rationis præveniunt ; in Christo vero, summa ejus sapientia ordinante, omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum rationis nutum et imperium. — 3ª *diff.* ex *effectu*. Nam in nobis quandoque passiones, justum modum excedentes, eo usque progrediuntur ut rationem vel trahant vel obnubilent et impediant a perficiendo proprio opere. In Christo autem motus humanæ carni connaturales sic ex ejus dispositione in appetitu sensitivo sistebant quod nullum ex his obstaculum exercendæ rationi occurreret. Idcirco *S. Hieronymus* (Comm. in Matth. XXVI, 37), passionem perfectam intelligens quæ rationi dominatur, eam negat in Christo fuisse, sed admittit *propassionem* veluti passionem inchoatam et intra appetitus sensitivi limites conclusam.

Solv. obj. — Obj. 1.— Nihil patitur nisi ab agente fortiori. Atqui nulla creatura fuit animâ Christi præstantior. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... et ideo Christi anima poterat, præsertim virtute divina, resistere passionibus ne sibi supervenirent, *C* ; nec decebat se eisdem propria voluntate subjicere, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Juxta Tullium (l. 3 de Tuscul. quæst.), passiones animæ sunt quædam ægritudines. Atqui in anima Christi repugnat ægritudinem admittere. Ergo.

Resp. *D. M* : Passiones quæcumque... *N* ; passiones Stoïcorum sensu acceptæ pro motibus *inordinatis*, *C.*— *Trans. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Idem esse videntur passiones animæ ac peccati fomes. Atqui in Christo non erat fomes peccati. Ergo.

Resp. *D. M* :... passiones in illicita tendentes... *C* ; passiones simpliciter seu essentialiter sumptæ, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS V.

Utrum in Christo fuerint dolor et tristitia, timor et ira.

(Art. 5, 6, 7, 9)

1° De passibilitate animæ Christi acturi *in specie*, breviter sub una disquisitione tangemus passiones illas quæ prima fronte Dominicæ perfectioni repugnare videantur, quales sunt *dolor* et *tristitia* in appetitu concupiscibili, *timor* vero et *ira* in irascibili.

2° Noverit lector appetitum sensitivum partiri in concupiscibilem et irascibilem pro generica objectorum diversitate, quatenus scil. concupiscibilis est de bono et malo *absolute*, irascibilis vero de bono et malo sub ratione *ardui* et difficilis.— *a*) Hinc ad vim concupiscibilem pertinent *amor* et *odium*, quibus simpliciter inclinamur in bonum et avertimur a malo ; *desiderium* et *fuga*, quibus ferimur in bonum absens et avertimur a malo futuro ; *gaudium* et *tristitia*, quæ sunt de bono maloque præsente.— *b*) Ad vim irascibilem pertinent *spes* et *desperatio*, quibus movemur in bonum arduum sed adeptu possibile, vel a bono arduo et adeptu impossibili recedimus ; *audacia* et *timor*, quæ sunt circa malum imminens evitabile vel cui non de facili resisti potest ; *ira*, qua vehementer ad vindictam inclinamur[1].

[1] — Cf. Sum. theol. I-IIæ, *de Passionibus.*

Conclusio 1ª. — NEMINI DUBIUM ESSE DEBET QUIN IN CHRISTO FUERIT VERUS DOLOR SENSIBILIS VERAQUE TRISTITIA.

1ª *Pars prob :* — 1° *a*) Ex celebri vaticinio (Is. LIII, 4) : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit ;* quibus verbis consonant historia *evangelica* Christi patientis Ecclesiæque *traditio.*— *b*) Objectam sibi sententiam *S. Hilarii* negantis (l. X de Trin.) *dolorem* passionis Christo *illatum* fuisse, solvit *D. Thomas* (a. 5 ad 1) inquiens : « In omnibus illis verbis et similibus Hilarius a carne Christi, non veritatem doloris, sed *necessitatem* excludere intendit,» scil. necessitatem *ex naturae peccato* profectam qua nos adigimur, non necessitatem illam quam natura corruptibilis de se efficit. Quod vero Doctor Pictaviensis ait (l. cit.) : « Virtus corporis *sine sensu pœnæ* vim pœnæ in se desævientis excepit », accipiendum est de Christi *Divinitate* (nomine *Virtutis* significata) quam contra Arianos ab omni infirmitate immunem pronuntiat.

2° *Ratione.*— Ad veritatem *doloris* sensibilis requiritur læsio corporis et læsionis perceptio, ex qua in appetitu sensitivo consurgit passio apprehensioni illius mali præsentis proportionata. Atqui corpus Christi, utpote passibile et mortale, lædi poterat, nec ejus animæ, omnibus potentiis naturalibus excellenter instructæ, deerat læsionis sensus. Ergo.

2ª *Pars* additur circa *tristitiam*, quæ sic persuadetur.— 1° Dominus ipse de se testatus est (Matth. XXVI, 38) : *Tristis est anima mea usque ad mortem.*— Neque huic sententiæ contradicit altera (Is. XLII, 4) : *Non erit tristis neque turbulentus ;* quippe hic negatur tristitia commovens usque ad rationis perturbationem. Hunc in sensum quadrant verba (Prov. XII, 21) : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit ;* quatenus in animo sapientis ærumnæ sensitivitatem quidem affligunt, nequaquam tamen mentis serenitatem nubilant.

2° Tristitia convenit cum dolore, in quantum est passio appetitus sensitivi consequens perceptionem mali aliqualiter præsentis, sive re, sive apprehensive. Differt tamen secundum motivum seu objectum : nam objectum et motivum doloris est læsio sensu tactûs percepta, sicut cum aliquis vulneratur ; objectum autem et motivum *tristitiae* est nocivum seu *malum interius apprehensum* ratione aut imaginatione, puta cum aliquis tristatur de amissione gratiæ vel pecuniæ. Atqui potuit anima Christi interius apprehendere aliquid ut nocivum et *quantum ad se*, sicut passio et mors ejus fuit, et *quantum ad alios*, ut peccatum discipulorum vel Judæorum deicidium. Ergo quemadmodum in Christo potuit esse verus dolor, ita et vera tristitia.

Conclusio 2ª. — Fuit in Christo aliqualis timor, nec non ira per zelum.

1ª *Pars* ostend : — 1° ex *Scriptura :* legitur enim (Marc. XIV, 33) : *Coepit* (Jesus) *pavere et tædere.* Ex timore mortis etiam procedebat oratio (Matth. XXVI, 39) : *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Hinc sicubi justus esse dicitur *absque terrore* (Prov. XXVIII, 1), id accipiendum est secundum quod terror importat excessum passionis avertentem hominem ab exercitio prudentiæ.

2° *Ratione.*— Sicut tristitia oritur ex apprehensione mali quodammodo præsentis, ita *timor* ex *apprehensione mali, futuri,* quadamtenus *incerti :* quæ quarta conditio apponitur, quia malum apprehensum ut omnino certum habetur quasi præsens ideoque tristitiam magis quam timorem generat. Atqui in Christo poterant verificari simpliciter vel secundum quid præfatæ conditiones. Ergo. *Min. decl. a*) Licet enim Christus potuerit vitare mala futura secundum virtutem divinitatis, erant tamen mala illa (prout timor exigit) inevitabilia vel saltem non de facili vitabilia secundum infirmitatem carnis. *b*) Etiam Christus perfecte noverat quid sibi futurum accideret secundum omnes rerum circumstantias ; attamen (ut notat *Cajetanus*) pro quanto ratio ejus inferior, cujus apprehensionem sequitur timor, malum futurum apprehenderet actu præscindens a certo incertoque eventu, potuit aliqua incertitudo futuri mali *secundum quid* et *negative* salvari, et consequenter quarta timoris conditio.

2ª *Pars* circa *iram prob :* — nam 1° (Joan. II, 17) de Christo qui ejecerat vendentes de templo, dicitur esse impletum quod legitur (Ps. LXVIII, 10) : *Zelus domus tuae comedit me.*— 2° Ira est effectus tristitiæ, quatenus ex malo sibi vel aliis illato quis tristatur indeque movetur appetitu vindictæ. Atqui in Christo fuit tristitia, esse autem potuit vindictæ appetitio secundum ordinem justitiæ. Ergo. *Min. decl.* Appetitus vindictæ duplex est : *unus* quidem peccato infectus, quando scil. aliquis vindictam quærit præter rationis ordinem, et hæc est *ira per vitium,* Christo abjudicanda ; *alter* vero honestus ac laudabilis, qui scil. rationi subordinatur et justitiâ regitur, nec moderamen mansuetudinis excedit, et hæc est *ira per zelum,* quam Christo vindicamus.

Solv. obj.— Obj. 1.— Delectatio contemplationis divinorum minuit sensum doloris, tristitiæ, etc., ut patet ex martyribus. Atqui anima Christi summe delectabatur in contemplatione Dei beatifica. Ergo.

Resp. *D. M :* Delectatio quæ retinetur in mente... *N ;* quæ derivatur ad vires sensibiles, *C.*— *C. d. m.* eodem sensu.— *Neg. conseq.*

Ad gravem hanc objectionem dissolvendam plura conferri possunt.— 1° Per *divinam dispensationem* sicuti gloria animæ Christi in superiori parte continebatur quin ad corpus redundaret, ita et delectatio supernæ contemplationis in mente retinebatur quin vires sensibiles afficeret ; nam, ut ait *Damasc.* (III Orth. Fid. c. 15 et c. 20), beneplacito Divinitatis in Christo *permittebatur* « naturam pati quæ carni erant propria ».— 2° Porro « tristitia quæ erat in anima Christi nullo modo gaudio fruitionis contraria erat ; quod patet ex tribus : *primo*, quia non inerat eidem *secundum idem*, sed vel in diversis potentiis erat, vel in eadem secundum diversam operationem ; *secundo*, quia non erat *de eodem ; tertio*, quia unum erat materia alterius, sicut accidit in pœnitente qui dolet, et de dolore gaudet » (3 S. D. XV, Q. II, a. 3, quæstiunc. 2 ad 5).— 3° Distinguendum est inter *substantiam* beatitudinis et *accidentalia* sine quibus substantia illa consistere potest, quin tamen habeatur status omnium bonorum aggregatione perfectus. Christus quidem, ut comprehensor, felicitate essentiali fruebatur ; at, simul viator, carebat perfectione accidentali beatitudinis.— 4° Tandem, quod ad *martyres* pertinet, tenendum est fruitionem divini amoris id in eis effecisse, non ut vim cruciatuum non sentirent, sed ut fortius mala ingruentia tolerarent ; vel etiam divinitus factum esse, in illius amoris præmium et religionis gloriam, ut doloris sensu vix pungerentur : quod thesi nostræ nullatenus contradicit.

Obj. 2.— Angores animi sunt de his quæ nobis nolentibus accidunt. Atqui nihil passus est Christus contra suam voluntatem. Ergo.

Resp. *D. M :*... sub eo respectu quo angunt animum, *C ;* sub omni respectu, *N.*— *D. m :*... contra voluntatem deliberatam, *C ;* contra voluntatem naturalem, *N.*— *Neg. conseq.*

Nihil prohibet aliquid esse contrarium voluntati *secundum se* quod tamen volitum est *ratione finis* intenti, ut patet de medicina amara. Hoc modo mors Christi ejusque passio secundum se repugnabant voluntati *naturali* Christi, sicut et ejus sensualitati, ideoque afflictionem tum sensitivam tum spiritualem gignebant ; at, propter finem redimendi humani generis, ultro a Christo voluntate *deliberata* acceptabantur.

Obj. 3.— Passiones, quæ intensæ fuerint, ut dolor, ira, etc., operationem mentis debilitant. Atqui in Christo mentis oculus nullam turbationem expertus est. Ergo.

Resp. *D. M* :... operationem mentis a phantasia independentem, *N ;* operationem mentis objective dependentem a sensu, *S. d :* secundum naturalem ordinem, *C ;* posita speciali Dei dispensatione, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

In nobis secundum *naturalem* ordinem, quo sensus intellectui deserviunt, potentiæ animæ mutuo se impediunt ; ex quo fit quod tristitia vel ira, etiamsi rationis directioni subsint, oculum mentis utcumque offuscant. Sed *in Christo,* per moderationem divinæ virtutis, unicuique potentiæ permittebatur agere quod erat ei proprium, quin una aliam offenderet. Et ideo sicut gaudium mentis non prohibebat tristitiam vel dolorem sensibilem, ita etiam passiones inferiores in nullo rationis actui detrahebant[1].

[1] — De defectibus a Christo assumptis leg. Monsabré, Conf. 41e : *Les infirmités de J. C.*

DISPUTATIO QUARTA

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM ABSOLUTE

Unionem hypostaticam, qua una persona Verbi in duabus naturis subsistit, consequi intelliguntur tum *absoluta* tum *relativa*.— Absoluta, de quibus in præsenti disceptatione, ea sunt quæ Christo conveniunt *secundum se*, et hoc vel *quoad loquendi modum* de tanto mysterio, vel quoad *unitatem* quæ est entis passio. Unitas autem, communiter sumpta in Christo, pertinet tum ad *esse*, tum ad *velle*, tum ad *operari*. Quatuor itaque quæstionum instituendarum ratio datur.

QUÆSTIO PRIMA

DE MODO LOQUENDI SEU DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM

Cum *idioma* græce proprietatem significet, nomine *communicationis idiomatum* latius accipi consuevit « mutua in concreto de se invicem prædicatio divinæ et humanæ naturæ earumque proprietatum ;» quæ definitio ex dicendis illustrabitur.— « Tanti interest (scite monet *Perrone*, *de Inc.* n. 486) diligenter explicare et retinere id quod est communicatio idiomatum, quanti custodire sinceram et rectam Incarnationis notionem ».

Quæstio *D. Thomae* ad quatuor articulorum capita commode revocabitur. Etenim prædicatio in mysterio Incarnationis institui potest vel *categorice* (art. 1-3) vel *reduplicative* (art. 4) ; categorice vero vel circa *esse* (art. 1-2) vel circa *fieri* Incarnationis (art. 3) ; circa esse tandem tum respectu *naturarum* (art. 1), tum respectu *proprietatum* (art. 2).

ARTICULUS I.

De mutua naturarum praedicatione in Christo.

(Q. XVI, aa. 1-3)

1° Communicatio idiomatum, qua Incarnationis mysterium multiformiter exprimitur, consideranda modo est quoad *na-*

turas de se invicem in Christo prædicandas ; quia vero naturæ aut *substantive* aut *adjective* significantur, duo singillatim enucleanda se offerunt.

2° Cum naturæ in mysterio Incarnationis distinctæ maneant, manifestum est eas minime de invicem prædicari secundum quod significantur *in abstracto :* id enim *Eutychianum* foret ; unde non dicimus divinitatem esse humanitatem (art. 1 ad 2).— Verum quæstio est de prædicatione naturarum *in concreto*, quatenus significantur per nomina *Deus*, *homo*.

3° Porro licet, sub hoc sensu, aliqualis idiomatum reciprocatio ab omnibus Christianis concedatur, quia tamen voces sunt signa conceptuum, diversa prorsus sermonis ratio apud catholicos vel hæreticos infertur.— *a*) Quidam, ut *Manichaei*, veritatem *humanitatis* Christi destruentes, nonnisi figurative salvare possunt prædicationem humanæ naturæ de Verbo Dei.— *b*) Alii e converso cum *Photino* inficiantur Christi *divinitatem*, adeo ut eamdem enunciationem Christologicam ex parte alterius extremi perimant.— *c*) Alii demum cum *Nestorio* profitentur Christum et verum Deum esse verumque hominem ; at prædicationis *nexum* seu copulam perrumpunt, eo quod moralem tantum Dei hominisque conjunctionem admittunt.— *d*) Quid ferat catholica veritas, duplici conclusione determinabimus.

Conclusio 1ª. — Utraque propositio pro vera habenda est : « Deus est homo » et « homo Deus ».

1ª *Pars* effert humanitatem concrete significatam per illud *homo* vere proprieque, tum veritate terminorum, tum veritate nexus, prædicari de Deo : quod quidem *fide* asseritur ex *Symbolo Athan.* et *Conciliis*, puta ex *Conc. œcum. V.* (can. 8), ubi Christus dicitur consubstantialis Patri secundum divinitatem et consubstantialis nobis secundum humanitatem et (can. 12) ubi damnatur Theodorus Mopsuest., qui dixit "alium esse Deum Verbum et alium Christum."

1° Revera legitur (Philipp. II, 6-7) : *Qui, cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens... habitu inventus ut homo ;* quibus verbis evincitur illum qui in forma Dei est, scil. Deum, esse hominem.— *Ratio* est, quia nomen significans naturam communem *in concreto* potest supponere pro quolibet individuo illius naturæ, sicut nomen *homo* pro quolibet homine, nomen *Deus* pro qualibet persona divina, et, secundum exigentiam prædicati in Incarnatione, pro persona Filii Dei. Atqui persona hæc Filii Dei, ad quam designandam nomen *Deus* trahitur, reapse est suppositum

humanæ naturæ, utpote in ea subsistens ; de quolibet autem supposito alicujus naturæ potest *vere proprieque* prædicari nomen significans naturam illam in concreto. Ergo vere et proprie ex supposita Incarnatione *Deus est homo.*

2° Quoad *modum* quo propositio hæc verificatur, sequentia observabimus.— *a*) *Primo*, « homo *univoce* prædicatur de Deo et aliis hominibus. Quod autem dicitur quod nihil dicitur univoce de Deo et creaturis, intelligendum est de illis quæ prædicantur de ipso in quantum est Deus » (3 S. D. VII, Q. I, a. 1 ad 3).— *b*) *Secundo*, prædicta propositio non est in *materia remota*, sed *naturali ;* quippe natura divina et humana, etsi maxime distantes, tamen per Incarnationem in unum suppositum conveniunt.— *c*) *Tertio* quoque propositio *Deus est homo* verificatur, non per accidens et contingenter, sed *per se*, *necessario* et *essentialiter*, perinde ac quando species de sua hypostasi prædicatur. Id autem (ut acute notat *Angelicus* 3 S. *l. cit.* ad 5) intelligendum est de illa propositione « secundum quod vera est », i. e. secundum quod nomen *Deus* sumitur neque indeterminate tantum, neque pro forma significata, sed pro certo supposito quod est Filius Dei ut subsistens in natura humana[1].

2ª *Pars* versatur circa prop. *homo est Deus*, et definita est in *Conc. Eph.* (c. 16) : « Si quis audeat dicere hominem Christum Theophorum, i. e. Deum ferentem, ac non potius Deum esse veraciter dixerit, A. S.».

Sane vero legimus (Rom. IX, 5) : *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Atqui Christus secundum carnem est homo. Ergo[2]. — *Ratio* in promptu est : siquidem nomen *homo* potest supponere pro qualibet hypostasi humanæ naturæ, et, præhabita unione divinæ humanæque naturæ in persona Verbi, reapse supponit pro Christo seu Filio Dei subsistente in natura humana. Atqui manifestum est ex alibi dictis (tract. *de Deo*, D. VII, Q. I, a. 1, et *de Incarn.* D. II, Q. I, a. 2) quod de persona Filii Dei ac de Christo vere proprieque nomen *Deus* prædicatur. Ergo.

Conclusio 2ª. — CHRISTUS NON VERE POTEST DICI «HOMO DOMINICUS,» QUAMVIS « DIVINUS » APPELLARI POSSIT.

1ª *Pars* militat contra veteres *haereticos* quos referunt denominatione illa usos esse contra Christi divinitatem.

[1] — Vid plura ap. Cajetanum (*Comm.* in h. art.) ; item ap. Sylvium, etc.
[2] — De genuino habitu et sensu hujus textus cfr. Franzelin, *de Verb. Incarn.* th. 9 ; — Cornely, *Comm.* in h. l.

1° Equidem ipse *S. Augustinus* Christum quandoque (l. 83 Qq., q. 36) hominem *dominicum* vocaverat ; at postea perspexit quid veneni in illa voce lateret et seipsum retractavit dicens (l. I Retract., c. 19, n. 8) : « Non video utrum recte dicatur homo dominicus Christus Jesus, cum sit utique Dominus ».

2° Cum dicitur homo Christus, designatur ipsa persona Filii Dei propter suppositi unitatem. Atqui de persona Filii Dei prædicatur Deus et *Dominus* essentialiter, quod excludit terminum denominativum per relationem quamdam. Ergo. *Min.* liquet ; nam esse *dominicum* ita denominatur a Domino quod non significat esse dominum vel habere dominium, sed esse domini vel dominio subesse : id autem derogat divinitati Christi.

3° *a*) Denominatio illa favet *Nestorianismo*, juxta quem, salva dualitate suppositorum, homo Christus assumptus est ad participationem honoris divini.— *b*) Ejusdem erroris vitandi gratiâ, Christus dicendus non est *Deifer* seu Deum ferens, neque *deificatus*.— *c*) At vero conceditur Deum esse *humanatum*, non quasi assumpserit hominem, sed quia ab æterno præexistens sibi in tempore humanam naturam univit ; pariter et ex eadem conjunctione recte poterit prædicari humanitas *deificata* vel *dominica*.

2ª *Pars* infertur circa adjectivum *divinum*, quod *D. Thomas* annuit de Christo prædicari (a. 3 ad 3).— Ratio est, quia nominibus utendum est secundum loquendi consuetudinem. Atqui ex communi usu vocamus quidem *dominicum* quod domini est, importata duorum suppositorum distinctione ; sed *divinum* consuevimus prædicare etiam de his quibus nomen *Deus* essentialiter convenit, uti Verbum divinum. Ergo.

Solv. obj.— Obj. 1 (cont. 1ªm p. 1æ concl.).— Magis conveniunt tres personæ divinæ ad invicem quam humana natura et divina. Atqui in Trinitate una persona non prædicatur de alia, puta Filius de Patre. Ergo.

Resp. *D. M* :... magis conveniunt in natura, *C* ; in supposito, *N*.— *C. m*.— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— In *Symb. Athan.* legitur : « Sicut anima et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.» Atqui falsum est dicere : « Anima est corpus.» Ergo.

Resp. *Trans. M*.— *D. m* :... quia hæc significantur ut *in abstracto*, *C* ; etiam si dicatur *in concreto* : « Animatum est carneum,» *N*.— *Neg. conseq.*

Obj. 3 (cont. 2ªm p. 1æ concl.).— Quidquid convenit prædicato, prædicatur de subjecto. Atqui Deus est Pater ; minime

tamen conceditur ista propositio : « homo est Pater.» Ergo nec altera : « homo est Deus.»

Resp. *D. M* :... secundum eamdem vocis suppositionem, *C;* secundum suppositionem diversam, *N.*— *C. d. m.* quoad 1am partem :... secundum quod nomen *Deus* supponit indeterminate pro qualibet persona, *N ;* determinate pro persona generante, *C.*— *C.* 2am p. *m.* et *Neg. conseq.*

Obj. 4.— Non est agnoscendus Deus recens, qualem fingunt idololatræ. Atqui homo est quiddam recens. Ergo.

Resp. *D. M* :... i. e. Deus qui *ratione sui* novus sit, *C ;* Deus qui, propriâ naturâ et subsistentiâ æternus, sibi naturam humanam univerit a qua incœpit denominari homo, *N.* — *D. m* :... prout tenet pro natura humana, *C ;* pro supposito Christo subsistente in illa natura, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

De alterna proprietatum communicatione in Christo.

(Art. 4-5)

Hic strictius agitur de communicatione *idiomatum*, quod est, proprietatum : — pauca *praenotentur.*

Et 1° idiomata in proposito triplicis generis esse possunt. — *Quaedam* enim sunt quæ Christo conveniunt ratione solius divinæ naturæ, ut v. g. esse æternum, immensum, etc ; et hæc vocantur simpliciter *divina.*— *Alia* sunt quæ Christo competunt ratione solius naturæ humanæ, quin quidpiam divinum postulent, v. g. esse passibilem, crucifixum, etc ; et ista dicuntur simpliciter *humana.*— *Quædam* demum sunt quæ Christo tribuuntur ratione utriusque naturæ, divinæ et humanæ, v. g. esse Dominum, Mediatorem, Redemptorem ; quæ vocari possunt *divino-humana.*

2° Jamvero *Nestoriani* voces Christologicas taliter partiebantur ut ea quæ pertinent ad humanam naturam non prædicarent de Deo, nec ea quæ pertinent ad divinam naturam de homine ; utraque autem attributa tum divina tum humana prædicabant de nominibus mixtis seu divino-humanis, cujusmodi sunt *Christus*, *Dominus*, *Redemptor*, etc. Unde concedebant Christum esse natum de Virgine et fuisse ab æterno ; non tamen dicebant vel Deum natum de Virgine, vel hominem ab æterno fuisse.— *Eutychiani* e contrario, unicam in Christo naturam agnoscentes, contendebant posse dici : *Divinitas passa est,* vel *humanitas ab æterno fuit.* Quibus consenserunt *Lutherani*, docentes aliquas Divinitatis proprieta-

tes, nominatim ubiquitatem, in humanitatem Christi (quin tamen humanitas mutaretur) vere esse transfusas ; unde dicti sunt *ubiquistæ*[1]

3° Recolendum est prædicationem fieri posse dupliciter : *in concreto* quidem, prout forma significatur ut subjecto vel supposito inhærens ; *in abstracto* vero, quatenus eadem forma exprimitur veluti per se stans seorsum a subjecto.— Hinc duæ conclusiones, quasi summæ præcipuæque *regulæ*, instruendæ sunt.

Conclusio 1ª. — NON SOLUM DE CHRISTO, SED DE DEO QUOQUE ET HOMINE IN EO UNIVOCE PRÆDICARI POSSUNT ATTRIBUTA SEU IDIOMATA UTRIUSQUE NATURÆ IN CONCRETO SIGNIFICATÆ, QUAMVIS NON SECUNDUM EADEM PRÆDICATIO FIAT.

1ª *Pars* est *de fide* juxta illud *Conc. Ephes.* (anathem. 4 S. Cyrill. Alex.) : « Si quis duabus personis sive hypostasibus eas, quæ in evangelicis et apostolicis conscriptionibus sunt, *dividit voces*, vel ea quæ de Christo a sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de semetipso, et aliquas quidem ex his homini applicandas crediderit, aliquas vero *soli* Verbo deputaverit, A. S.»

1° Re quidem vera, in *Scriptura* legimus (Rom. I, 3) quod Dei *Filius factus est ex semine David secundum carnem ;* (1 Cor. II, 8) quod *Dominus gloriæ crucifixus est ;* (Act. III, 15) quod *Auctor vitæ interfectus est.*— E converso legitur de Christo-homine (Luc. I, 35) : *Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei ;* (Joan. III, 13) : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo ;* et (*ibid.* VIII, 58) : *Antequam Abraham fieret, ego sum.*

2° E *Patribus* sat esto retulisse *S. Ambrosium* (de Inc. c. 5, n. 36), ubi docet de Christo dici posse : « Idem patiebatur, et non patiebatur ; moriebatur et non moriebatur ; sepeliebatur et non sepeliebatur ; resurgebat et non resurgebat.» Et *S. Joan. Damasc.* (de Orth. Fid. l. III, c. 4) : « Hic est jam alternæ communicationis modus, dum unaquæque natura ea quæ sibi propria sunt alteri communicat, propterea quod eadem est hypostasis et ob mutuam earum immeationem. Qua ratione de Christo dicere nobis licet : *Hic Deus noster in terra visus est, et cum hominibus conversatus est ;* et *hic homo increatus est, et impassibilis, et incircumscriptus.*» (Vid. plura apud Petavium, Knoll, etc.)

[1] — De his scite scribit Ch. Hodge, etsi protestantismi sectator (*Systematic Theology*, vol. II, p. 418, ed. 1895) : « It seems a plain contradiction in terms to say that the human becomes divine, that the finite becomes infinite ; and no less a contradiction to say that the humanity of Christ has infinite attributes and yet itself is not infinite.»

3° *Ratio* manifesta est.— Ideo enim Nestorius contrarium enunciatæ conclusioni docebat, quia supponebat Christum significare duas hypostases realiter ab invicem distinctas, scil. Deum et hominem. Atqui *fide* accepimus eamdem prorsus esse hypostasim divinæ et humanæ naturæ, sive *Deus*, sive *Christus*, sive *Jesus* vel *homo* nominetur. Ergo de homine, supponente pro hypostasi divinæ naturæ, possunt dici ea quæ sunt divinitatis, v. g. hic *homo* (Jesus) est *æternus*, et de Deo, veluti hypostasi humanæ naturæ, possunt humana prædicari, v. g. *Deus passibilis* fuit.— Hæc autem prædicatio dicenda est *univoca ;* ad quam verificandam sufficit identitas *specifica* naturæ et proprietatum, quin requiratur eadem specifica convenientia ex parte suppositi.

2ª *Pars* subjicitur claritudinis causâ et ad præveniendas æquivocationes.— Nam in quacumque prædicatione attenditur non solum id *de quo* aliquid dicitur seu subjectum, sed etiam id *secundum quod* illud prædicatur seu ratio subjecti. Manente igitur identitate *subjecti* in Christo, diversæ sunt subjecti *rationes :* nam quæ sunt divinæ naturæ prædicantur de eo secundum divinam naturam, quæ vero sunt humanæ naturæ de eodem prædicantur secundum humanam naturam ; eo ferme pacto quo unus idemque homo dicitur carneus secundum corpus et spiritualis secundum animam.

Adnotanda.— 1° Jure conceditur propositio illa : *Unus de Trinitate passus est ;* quæ ab Hormisda R. P. ideo rejecta est, quod nova esset et dissidiis ansam præberet : unde postea a Joan. II R. P. probata est[1].

2° Advertunt theologi communicationem idiomatum bene procedere in propositionibus *affirmativis* etiam absolute (subaudita *ratione* prædicationis mox indicata), at cavendum esse a propositionibus *negativis* quæ (ut aiunt) *malignantis* naturæ sunt seu totum prædicatum omni ex parte a subjecto removent. Hinc recte dicitur : *Christus est æternus ;* neutiquam tamen enuntiari potest : *Christus non est æternus*, nisi cum addito « secundum humanitatem.»

Conclusio 2ª.— PROPRIETATES UNIUS NATURÆ NEQUEUNT DE ALIA PRÆDICARI SECUNDUM QUOD ABSTRACTIM EXPRIMUNTUR, ATQUE ABSURDA EST UBIQUISTARUM POSITIO.

1ª *Pars* evincitur ; — 1° ex *Patribus*, quos inter sic loquitur *S. Joan. Damasc.* (de Fid. orth. l. III, c. 4) : « Divinitatem itaque nominantes, ea quæ humanitati propria sunt, ipsi minime assignamus. Non enim passibilem aut *creatam*

[1] — Cf. Petavium, l. V, cc. 2-3.

deitatem dicimus. Nec rursus carni sive humanitati ea tribuimus quæ deitati proprie conveniunt. Neque enim carnem sive *humanitatem increatam* dicimus.»— 2° *Ratione.* Nam ea quæ sunt propria unius, non possunt prædicari de alio quod non sit idem illi. Atqui in mysterio Incarnationis non est eadem natura, divina et humana. Ergo proprietates unius naturæ non possunt de alia natura prædicari, nisi ratione unius hypostasis. Atqui nomina *abstracta* significant formam seu naturam per modum formæ ac naturæ sine supposito, secus ac concretæ voces significantes naturam et supponentes pro habente naturam. Ergo.— 3° Excipiuntur ab hac regula nomina abstracta quidem, sed *concretis æquivalentia*, uti Sapientia, Vita, loco ejus qui est vita et sapientia subsistens ; unde dicit *Ecclesia* (in officio S. Crucis) : « Mors mortua tunc est, in ligno quando mortua *Vita* fuit.»

2ª *Pars* additur contra *Ubiquistas ;* quæ brevi expedietur.

1° Ubiquitas humanitatis Christi pugnat cum *Scripturis*, puta cum loco illo (Joan. XI, 14-15) : *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi ;* — repugnat articulis *Symboli* de Christi conceptione, nativitate, morte, sepultura, descensu ad inferos, resurrectione, ascensione et descensu ad judicium, necnon præsentiæ corporis Domini in Eucharistia ; — contradicit omnibus *Patribus*, ut erudite demonstrat *Bellarminus* (de Christo, l. III) qui etiam cuncta adversariorum argumenta dissolvit.

2° Huc faciunt verba *D. Thomæ* (a. 5 ad 3) : « Ea quæ sunt divinæ naturæ dicuntur de humana natura, non secundum quod *essentialiter* competunt divinæ naturæ, sed secundum quod *participative* derivantur ad humanam naturam (v. g. cognoscere futura, habere virtutem salutiferam) : unde ea quæ participari non possunt a natura humana (v. g. esse omnipotentem vel omnipræsentem), nullo modo de humana natura dicuntur.»

Solv. obj. — Obj. 1 (cont. 1ªm concl.). — Impossibile est opposita de eodem prædicari. Atqui humana contraria sunt divinis, puta mutabilitas immutabilitati. Ergo.

Resp. *D. M :*... de eodem prædicari *secundum idem, C ;* secundum diversa, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Attribuere Deo quæ defectum important, derogat divino honori. Atqui pleraque humana defectum continent, ut pati, mori. Ergo.

Resp. *D. M :* Attribuere Deo et secundum *naturam divinam*... *C ;* secundum naturam *assumptam* gratiâ salvandi humani generis, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Assumi convenit naturæ humanæ. Atqui de Deo nequit dici quod assumatur. Ergo.

Resp. *D. M* :... ratione sui ipsius et antecedenter ad Unionem, *C* ; ratione suppositi jam subsistentis in natura humana, *N*.— *C. m*.— *Neg. conseq.*

Obj. 4 (cont. 2^{am} concl.). — Ea quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de Filio Dei et de Deo. Atqui Deus est sua natura. Ergo attributa humanitatis dici possunt de deitate.

Resp. *D. M* :... quatenus nomen *Dei* supponit pre Deitate ipsa, *N* ; quatenus supponit pro persona divina exercente actum subsistendi in natura humana, *C*.— *D. m* :... secundum *rem*, *C* ; quin diversus sit *significandi modus* diversaque ex hoc oriatur prædicationis ratio, *N*.— *Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

De formulis significantibus fieri Incarnationis.

(Art. 6-9)

Modus loquendi de incarnatione attendendus est non solum quantum ad esse, sed etiam quantum ad *fieri* Unionis ; qua in re solent auctores post D. Thomam tres præsertim verborum formas in trutinam vocare, vid. *factionem*, *creaturæ* nomen, et *essendi initium* : — pauca de singulis.

Conclusio 1^{a}. — Recte dicitur « Deus factus est homo,» non tamen (proprius loquendo) « homo factus est Deus.»

1^{a} *Pars* : — 1° patet ex evangelicis verbis (Joan. I, 14) : *Verbum caro factum est* ; et ex illo *Symboli* : « Et homo *factus* est.»

2° *Ratione* prob.— *a*) Id unumquodque factum esse dicitur, quod de novo incipit prædicari de ipso. Atqui esse hominem *vere* prædicatur de Deo, non sane ab æterno, sed *ex tempore* per assumptionem humanæ naturæ. Ergo vera est prop : « Deus factus est homo,» cui æquivalet altera « Deus factus est persona Filii Dei subsistens in humana natura.» — *b*) Non autem sequitur Deum *factum esse simpliciter* : quippe fieri hominem est fieri simpliciter in iis in quibus humana natura incipit esse in supposito recens creato. Atqui Deus dicitur factus homo, quatenus humanitas assumpta est ad suppositum divinæ naturæ æterne præexistens. Ergo.— *c*) Nec rursus timenda est *mutatio* ex parte Dei. Nam quamvis in absolutis fieri importet mutationem ejus de quo ali-

quid incipit prædicari, tamen *relativa* possunt noviter prædicari de aliquo absque ejus mutatione, sicut Petrus fit dexter, mutato tantum Paulo, et dicitur de Deo (Ps. LXXXIX, 1) : *Domine, refugium factus es nobis.* Atqui esse hominem convenit Filio Dei ratione unionis, quæ est relatio quædam resultans, non ex *informatione* humanitatis, sed ex nova tantum personatione seu terminatione ejusdem per Verbum tunc primo in ea subsistens. Ergo Deus factus est homo, acquirens esse substantiale humanæ naturæ, absque suî mutatione, sed mutatâ solum naturâ assumptâ.

2ª *Pars communis* est (excepto Scoto) apud theologos.

1° Ait *Joan. Damasc.* (de Orth. Fid. l. III, c. 2) : « Non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum.»— Et vere in prop. « homo factus est Deus, » dictio *factus* sumi potest vel ex parte subjecti, aut prædicati, vel (proprie) ex parte compositionis. Atqui sub quocumque respectu propositio falsa est. Nam *a*) nec homo-Christus, nec Deus est factus. *b*) Pariter falsum est quod homo « factus sit » Deus : *primo*, quia, in hac prop., *homo* habet personalem suppositionem qua significatur suppositum humanæ naturæ ; hoc autem suppositum, de quo verificatur esse Deum, idem est ac persona Filii Dei, quæ semper fuit Deus. *Secundo*, quia prop. illa favet *Nestorianis* ponentibus inter hominem et Deum, velut inter duo supposita, solam conjunctionem moralem.

2° In *majorem veritatis evidentiam* plurimum conferunt quæ habet *D. Thomas* (a. 7 ad 4) : « Terminus in subjecto positus tenetur *materialiter*, i. e. pro *supposito ;* positus vero in prædicato tenetur *formaliter*, i. e. pro *natura* significata. Et ideo cum dicitur, *homo factus est Deus*, ipsum fieri non attribuitur humanæ naturæ, sed supposito humanæ naturæ, quod est ab æterno Deus ; et ideo non convenit ei fieri Deum. Cum autem dicitur, *Deus factus est homo*, factio intelligitur terminari ad ipsam humanam naturam. Et ideo, proprie loquendo, hæc est vera : *Deus factus est homo ;* sed hæc est falsa : *homo factus est Deus.*»

3° Improprie vel saltem minus proprie præfata prop., *homo factus est Deus*, hoc sensu intelligi potest : « factum est ut homo sit Deus,» vel « homo in communi (qui prius Deus non erat) in Christo fuit Deus.» Quam significationem præ se ferre censendæ sunt nonnullæ *Patrum* sententiæ, uti videre est penes Augustinum et Greg. Nazianzenum.

Conclusio 2ª. — NON EST ABSOLUTE DICENDUM QUOD CHRISTUS SIT CREATURA, SED CUM DETERMINATIONE, SCIL. « SECUNDUM HUMANAM NATURAM.»

1° Etenim quia « ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis,» nec nomina communia cum hæreticis habere debemus, ne eorum errori favere videamur. Atqui *Ariani* Christum dixerunt esse *creaturam* et minorem Patre, non solum ratione humanæ naturæ, sed etiam ratione divinæ personæ. Ergo.— 2° Ea tantum possunt simpliciter dici de Christo (ratione humanæ naturæ), etsi Deitati repugnent, de quibus suspicari non potest quod divinæ personæ conveniant ratione suî ; sic v. g. simpliciter dicimus Christum esse natum de Virgine, passum, mortuum, etc., quia satis liquet cuncta hæc Christo convenire secundum humanitatem assumptam. Atqui vox *creatura* ambigua est, ne amplius dicam, cum possit vel ad naturam vel ad suppositum referri. Ergo, quemadmodum ad vitandum errorem Manichæi Christus non dicitur *incorporeus* sine determinatione « secundum *deitatem* »; ita ad præcavendum errorem Arii dicendus non est *creatura*, quin addatur « secundum *humanitatem* ». Quæ quidem determinatio, ubi brevitatis causâ apud SS. Doctores omissa fuerit, subintelligenda est.— 3° Ulterius proferam cum *Sylvio*, post *D. Thomam*[1], propositionem illam, *Christus est creatura*, esse simpliter falsam. Nam creatio proprie respicit esse rei ; esse autem simpliciter et per se est suppositi subsistentis. Atqui Christus habet esse increatum. Ergo.

Conclusio 3ª.— Nec dicendum est quod homo-Christus incœperit esse, si nihil addatur.

1° Namque id contrariatur verbis Ap. (Heb. XIII, 8) : *Jesus Christus heri, et hodie, ipse et in saecula.*— 2° Duplex *ratio* suppetit : *a)* juxta sententiam catholicæ fidei unicam in Christo agnoscimus hypostasim, scil. personam Verbi, cujus æternitati repugnat *aliquando coepisse.* Porro, in prop. de qua agitur, nomen *homo* designat divinam illam personam ; quippe terminus in subjecto positus materialiter et pro supposito tenetur. *b)* Præterea, etiamsi propositio illa vera foret, non esset ea utendum absque debita cautela, ad præveniendam hæresim *Arianorum* qui Filio Dei attribuebant vitæ initium.

Poterit vero eadem prop. adhiberi cum *determinatione* illa : secundum *humanam naturam.*— Ex quo concluditur falsum esse hoc assertum : *Homo-Christus esse incœpit ;* sed verum aliud : *Christus incoepit esse homo.*

[1] — 3 S. D. XI, Q. I, a. 2 et C. G. IV, 48.

ARTICULUS IV.

De locutionibus quibusdam reduplicativis.

(Art. 10-12)

Reduplicatio est logica propositionum proprietas, secundum quam afficiuntur particulis quasi duplicantibus subjectum vel predicatum, ad determinandum utriusque extremi respectum ; — quæ quidem determinatio induci potest vel ad specificandum subjectum prædicati, et tunc vocatur *specificativa*, vel ad designandam causam aut rationem formalem qua aliquid prædicatur de subjecto, et tunc proprius dicitur *reduplicativa*.— Tria, cum Auctore, concisa oratione concludemus.

Conclusio 1ª. — MAGIS CONCEDENDA QUAM NEGANDA EST PROPOSITIO: « CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, EST CREATURA.»

Etenim in hac prop. nomen *homo* potest resumi in reduplicatione vel ratione suppositi, vel ratione naturæ : in primo casu esset falsa assertio, in altero vera ; quoniam in Christo suppositum humanæ naturæ increatum est, natura vero ipsa creata. Atqui nomen sic reduplicatum proprius tenetur *pro natura* quam pro supposito, quatenus vim habet prædicati, perinde ac si diceretur : « Christus, secundum quod est homo,» etc. Ergo,— Addito tamen aliquo nomen illud trahente ad standum pro supposito, puta *hic homo*, esset propositio potius neganda.

Conclusio 2ª.— MAGIS EST NEGANDA QUAM ASSERENDA PROP. ALTERA: « CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, EST DEUS ».

Etenim, uti constat ex proxime dictis, terminus *homo* in reduplicatione positus, etsi teneri possit pro supposito, magis proprie tamen supponit *pro natura*. Atqui Christo convenit esse Deum ratione suppositi divini, non ratione naturæ humanæ. Ergo.— Bene vero conceditur prop. sic modificata : *Christus, secundum quod iste homo, est Deus ;* quia pronomen demonstrativum *iste* facit ut *homo* stet pro supposito. Conceditur quoque altera : *Christus, secundum quod homo, habet gratiam unionis*, quia ordinari ad hanc gratiam convenit Christo ratione humanæ naturæ assumptibilis (a. 11 ad 1).

Conclusio 3ª. — PROPOSITIO « CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, EST PERSONA » SUB ALIQUO SENSU VERA ESSE POTEST, AT SUB ALIO FALSA DICI DEBET.

Sane, imprimis terminus *homo* potest reduplicative sumi ratione *suppositi ;* qua in hypothesi, patet veritas prædictæ propositionis : siquidem suppositum humanæ naturæ nihil est aliud quam persona Filii Dei.— Sin autem, et verius, homo accipiatur pro *natura*, tunc duplex esse potest determinatio per vocem illam inducta : *specificativa* quidem, quatenus significetur humanæ naturæ competere ut sit alicujus personæ in ea subsistentis, et hoc modo propositio vera est ; *reduplicativa* vero, quasi Christus vi humanitatis sibi conjunctæ ex eaque derivatam hypostasis rationem habeat : quod aperte falsum est et Nestorianismum sapit.— Unde locutio illa non est adhibenda sine explicatione[1].

QUÆSTIO SECUNDA

DE UNITATE CHRISTI QUANTUM AD ESSE.

Communi sub adspectu unitas Christi consideranda objicitur (ea enim quæ pertinent ad unitatem vel pluralitatem in speciali[2] suis locis determinantur).— Cum vero unitas communius sumpta *esse* in primis attineat, duo disputanda instituemus, *unum* de unitate Christi *absolute*, *aliud* de unitate secundum *esse existentiae*.

ARTICULUS I.

Utrum Christus sit unum vel duo.

Ut ex titulo patet, quæritur de unitate Christi non solum *masculine*, sed etiam *neutraliter* significata.— Doctrina intenta ferit tum *veteres* illos ponentes in Christo duo supposita (etsi unam personam suppositorum completivam) ideoque docentes Christum esse unum masculine, sed duo neutraliter secundum modum informem, tum *nestorianos* inducentes in Christo duas personas subindeque eum etiam masculine duo esse profitentes.

Conclusio.— CHRISTUS ASSERENDUS EST NON SOLUMMODO UNUS, SED ETIAM UNUM.

1ª *Pars* est de *fide*, juxta illud *Symb. Athan :* « *Non duo*, sed *unus* est Christus »; cui sententiæ consonant *Symb. Nicae-*

[1] — De communicatione idiomatum conferri potest *Petavius* (l. IV, c. 16), qui ex scr ptis Patrum varias collegit regulas, haud tamen a doctrina D. Thomae dissonas.

[2] — V. g. de scientia, de nativitate Christi.

num et *Conc. Ephes.* (can. 2 et 13).— *Ratio* evidens est : siquidem in Christo non sunt duæ personæ ; *unus* autem personam significat. Hinc, quemadmodum in Trinitate tres personæ dicuntur *unum* propter unitatem naturæ quacum singulæ identificantur, ita in Incarnatione Christus pronuntiatur *unus* propter unitatem suppositi et personæ.

2ª *Pars* prob.— Eatenus Christus esset duo neutraliter, quatenus ambæ naturæ, divina et humana, de eo abstractim prædicarentur. Atqui non possunt duæ naturæ de Christo prædicari nisi concrete, seu prout significantur in supposito. Ergo. *Maj.* constat ex eo quod numerus dualitatis in Christo ponitur circa ipsas naturas ; porro ut aliquis dicatur duo, non sufficit ut plura habeantur in eo, sed requiritur ut ipsemet *sit* illa plura per prædicationem de eo tanquam de subjecto : ergo. *Min. ostend.* Etenim natura secundum se considerata, et abstractim expressa, non vere potest prædicari de supposito seu persona, nisi in Deo, in quo non differt *quod* est et *quo* est : quam ob rem, licet in Christo Filius Dei sit divinitas et Deus, non tamen de eo prædicari potest humanitas in abstracto, sed solum in concreto. Est enim Christus, non humana natura, sed homo veluti indistincte et hic homo *Jesus* veluti distincte habens naturam humanam. Igitur habet Christus duas naturas, non tamen est duo.— *Conf. exemplo* hominis. Tametsi Petrus constet ex pluribus, scil. ex anima et corpore, non tamen est plura vel duo ; ita Christus, subsistens in duabus naturis, unus et unum est, non duo, quia naturæ illæ conveniunt in unum suppositum.

Coroll.— 1° Sciscitanti an Christus sit Deus vel homo, responderi potest quod est *utrumque*, voce hac tenente vicem duorum nominum significantium divinitatem et humanitatem in concreto.

2° Christus dici nequit *alius* et *alius ;* neque etiam, proprie loquendo, *aliud* et *aliud ;*[1] et sicubi hæc locutio reperiatur (puta apud S. August. et Greg. Naz.), exponenda est adeo ut sit sensus : *habens aliam* et *aliam* naturam.

3° Nec in sensu proprio et formali conceditur propositio : *Christus est divinitas et humanitas simul*, quia Christus plus includit quam significent divina et humana natura simul conjunctæ, scil. ipsam personalitatem in qua conjunguntur. Unde Patres, penes quos sententia illa adhibetur, aut abstracta pro concretis usurparunt, aut in sensu *identico* vel *causali* tantum locuti sunt, quatenus Christus est persona composita ex utraque natura.

[1] — Cf. ea de re *Joan. a S. Thoma* (in h. art.), ubi D. Thomam defendit adversus Vasquezium et Suarezium.

Solv. obj.— Obj. 1.— Christus non est tantum homo. Atqui id importat quod sit aliquid aliud quam homo. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :* id importat quod habeat aliam naturam quam humanam, *C ;* quod vere sit *aliud* quam homo, *N.*— *Neg. conseq.*

Aliud, cum sit relativum diversitatis substantiæ, proprie refertur ad suppositum ; unde Christus non est *aliud* quam homo, sed *aliam* quam humanam naturam habet.

Obj. 2.— Christus est aliquid quod est Pater, et aliquid quod non est Pater. Atqui aliquid et aliquid sunt duo. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :* aliquid et aliquid absolute seu sine addito... *C ;* aliquid quod est Pater, scil. natura divina, et aliquid quod non est Pater, scil. suppositum humanæ naturæ in Christo, sunt duo, *N.*— *Neg. conseq.*

Cum dicitur « Christus est aliquid quod est Pater,» *aliquid* ibi tenetur pro natura divina, quæ etiam in abstracto de Patre Filioque prædicatur ; at in aliis verbis « Christus est aliquid quod non est Pater », *aliquid* supponit, non pro natura humana in abstracto, sed pro homine. Jamvero suppositum humanitatis in Christo, utpote ipsa persona Filii Dei, non intrat in numerum cum natura divina quæ Patri et Filio identica est.

Obj. 3.— Sicut forma accidentalis facit alterum, ita forma substantialis aliud. Atqui Christus dici potest alterum et alterum. Ergo.

Resp. *D. M :*... spectata proportione ad utramque formam, *C ;* secundum habitudinem ad suppositum, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Alterum importat diversitatem accidentis, *aliud* diversitatem substantiæ ideoque supposití. Quocirca aliquid, idem manens suppositaliter, dici potest simpliciter alterum ; at vero nequit simpliciter prædicari aliud.

ARTICULUS II.

Utrum in Christo sit tantum unum esse.

1° Gravior hæc quæstio jam pridem, nec levi disceptantium controversia, hinc illincque a theologis agitatur pro variis, quæ invaluerunt, systematibus de habitudine inter essentiam, personam et existentiam.— Duæ sunt præcipuæ sententiæ : *una* quidem *Suarezii, Petavii, Franzelin* aliorumque tribuentium humanitati Christi propriam existentiam creatam præter existentiam Verbi ; *alia D. Thomae* et *thomistarum* (inter quos præeminet acutissimus *Cajetanus*) ne-

gantium existentiam illam creatam et docentium humanitatem in Christo existere ipsâ increatâ Verbi existentiâ.

2° Em^us *Satolli* (*Praelect.* in h. art.) de prima opinione opportune scribit : « Nec tenui probabilitate fultam reputo contrariam sententiam ; quæ tamen potest sustineri non egrediendo Theologiæ limites et incolumi fide, cum una et altera oppositarum conclusionum procedat ex metaphysicis principiis. Nostra vero sunt certissima S. Doctoris (Thomæ) documenta ; quæ rationi maxime satisfaciunt, et dogmati Unionis hypostaticæ explorando mire accommodantur ».

3° Pauca *praemittam* de essentia et existentia.— « *Ens*, primo et absolute, significat id *quod habet esse* vel *habens esse ;* et consequenter *essentia* proprie et vere significat *id per quod habens esse constituitur in proprio genere vel in propria specie*[1] ».— « *Esse* autem vel *existentia* est quasi exercitium essendi, et definitur : *ultima actualitas subsistentis singularis* seu *suppositi*[2] ». *a*) *Actualitas* quidem ; quia per esse substantia constituitur *actu* in rerum natura. *b*) Actualitas *suppositi*, in quo, veluti in subjecto, recipitur ; siquidem natura *primo* et *principaliter* ordinat ad esse supposita, et ex consequenti partes et accidentia. *c*) Actualitas *ultima*, ut distinguatur a forma substantiali quæ rem actuat in linea *quidditatis* antequam per esse actuari intelligatur in linea *subsistentium*.— Præsupponimus, tanquam sententiæ nostræ fundamentum, essentiam et esse *realiter differre* in creaturis, prouti philosophi post D. Thomam demonstrant.

Conclusio.— In Christo ponendum est unum tantum esse existentiæ, licet cum duplici respectu ad naturam divinam et humanam.

1ª *Pars prob :*

1° Ex *unitate esse personalis* seu *substantialis* Christi.— Eatenus oporteret ponere in Christo duo esse, unum secundum quod est Deus, aliud secundum quod est homo, quatenus humana natura Filio Dei adveniret, non hypostatice vel personaliter, sed accidentaliter tantum. Atqui superius accepimus (Disp. II, Q. I) humanam naturam, non accidentali, sed substantiali vel personali unione Filio Dei esse conjunctam. Ergo. *Major* demonstranda est ; in quam operam sequentia convenient.— *a*) Et *primo*, quia in Christo duæ sunt naturæ et una hypostasis, necesse est quod ea quæ ad

[1] — Lorenzelli, *Phil. theor. instit.* (ed. altera), *Metaphys. gen.* P. II, l. III, n. 1.

[2] — *Ibid.*, l. IV, n. 1.

naturam in ipso pertinent, sint duo ; quæ vero ad hypostasim, unum tantum.— *b*) Porro *secundo*, esse seu existentia pertinet et ad naturam et ad hypostasim : ad hypostasim quidem, sicut ad id *quod* habet esse ; ad naturam vero, sicut ad id *quo* aliquid habet esse. Natura enim significatur per modum *formae*, *qua* aliquid est ens, puta albedine est aliquid album, et humanitate est aliquid homo ; suppositum autem se habet per modum *subjecti* exercentis actum essendi.— *c*) Sed *tertio* esse duplex secernitur : *unum* quidem non pertinens ad esse personale hypostasis subsistentis, v. g. esse album, et hoc non dicitur esse personæ simpliciter, sed *secundum quid* tantum, potestque *multiplicari* in una hypostasi vel persona, sicuti Socrates simul est albus et musicus ; *aliud* autem est esse pertinens ad ipsam hypostasim secundum se seu *simpliciter*, et hoc impossibile est in una persona multiplicari, siquidem unius rei seu substantiæ unum est esse substantiale.— *d*) *Quarto* igitur, quemadmodum elementa integrantia personam humanam, sive sint personæ coæva, sive posterius advenientia, nonnisi unum esse constituunt, uti patet de partibus integralibus et essentialibus, v. g. esse capitatum et esse animatum ; ita natura humana Christi in unitatem personalem Filii Dei assumpta, non secum trahit propriam existentiam, sed per ipsum esse personale seu substantiale Verbi existit.

2° Ex *primo susceptivo existentiae*.— Juxta doctrinam mox expositam D. Thomæ, natura non est nisi principium *quo* existentiæ, suppositum vero est principium *quod ;* adeo ut prius intelligi oporteat naturam personari quam existere. Hinc existentia tribuitur naturæ mediante persona, quæ est primum susceptivum actus essendi, quæque idcirco intimius naturæ inest quam ipsa existentia (*Cajet.* in h. loc.). Atqui natura humana in Christo præventa est per Verbum ne constitueret propriam personalitatem. Ergo *a fortiori* præventa est ne sortiretur propriam existentiam creatam.

3° Ex *inconvenientibus adversae sententiae*.— Recitare libet cl. *Satolli* acute adversarios redarguentem (in h. art.) : « Hoc semel dato (subsistentiam realiter non distingui a singulari natura) quæritur ab iis, cujusnam potentiæ et subjecti sit utrumque esse naturæ et personæ. Debent respondere, quod in uno eodemque suscipiuntur, non simul naturâ, sed unum prius altero. Aut esse ergo naturæ est in potentia ad esse personæ ; et tunc actualis existentia non erit amplius *ultima* actualitas, sed potentiale quidpiam intrinsece ordinatum ad subsequens esse personæ. Hoc quidem dissonat universim philosophiæ et conceptui actualis existentiæ in ge-

nere substantiæ. Vel asserunt quod utrumque esse suscipiatur in supposito ; et tunc unum prius est in genere substantiæ, et aliud in genere accidentis. Quocumque se vertant, disjunctiva illa manet : aut unionem esse *accidentalem*, aut in Christo unum actum existentiæ divinum haberi ».

4° Ex *auctoritate Doctorum*, scil. *Alb. Magni* et *S. Thomae*, quos perperam incassumque adversarii in suam partem pertrahere moliuntur.— Nam *Alb. Magnus.* (3 Sent. D. VI, aa. 4-5) explicite ponit *unum esse* in Christo, negans *duo esse* naturarum.— *D. Thomas* non solum hic, uti constat ex argumento fundamentali superius allato, sed etiam alibi hoc ipsum sentit, puta (3 S. D. VI, Q. II, a. 2) : « Impossibile est, ait, quod unum aliquid habeat *duo esse substantialia ;*» et (Quodlibet IX, Q. II, a. 3) ; « Quia ergo in Christo ponimus unam rem subsistentem tantum, ad cujus integritatem concurrit etiam humanitas, quia unum suppositum est utriusque naturæ ; ideo oportet dicere quod *esse substantiale*, quod proprie attribuitur supposito, in Christo est *unum* tantum,» etc. Quæ objiciuntur ex eodem S. Doctore sub horum luce dissolvenda sunt (cf. *Cajetanum*, *Satolli*, etc.).

2ª *Pars* ad majorem veritatis illustrationem subjicitur, paucis declaranda.— Sicuti in hypothesi quod personæ humanæ jam constitutæ, puta Socrati, adveniant manus[1], pedes, etc., ex his non accrescet Socrati aliud esse, sed solum nova relatio ad membra posterius accepta ; sic accedente humanitate ad personam Verbi, non novum ei esse personale advenit, sed nova habitudo esse præexistentis ad naturam humanam : unde *duplex* jam in Christo *relatio* viget unius ejusdemque suppositi et esse, prima et *principalis* ad Divinitatem, altera et *secundaria* ad humanitatem.— Hac distinctione utendum est ad exponendum locum quem objiciunt ex *Angelico* (Q. un. *de Un. Verb. Inc.*, a. 4), ubi tribuit Christo, quatenus homo est, *esse* quoddam *secundarium* (nisi dicamus cum pluribus aut quæstionem illam non fuisse ab ipso D. Thoma editam, aut S. Doctorem seipsum retractasse).

Solv. obj.— Obj. 1.— Juxta Damasc. (Orth. Fid. III, 13), ea quæ consequuntur naturam in Christo duplicantur. Atqui esse consequitur naturam seu formam. Ergo.

Resp. *D. M* :... quæ consequuntur naturam tantum... *C ;* naturam et suppositum sub diversa ratione, *N*.— *C. d. m* :..

[1] — Miracula hujus generis contigisse novimus in quibusdam martyribus vel sanctis, puta in *Joan. Damasc.* cui truncata dextera, B. Virgine auxiliante, restituta est (Brev. Rom.).

sicut subjectum *quod* existit, *N.*; sicut principium *quo* aliquid est, *S.d.*: scil. huic principio naturali resultantiâ nectitur subsistentia cum existentia propria, *C*; non potest subsistentia et existentia creata supernaturaliter prohiberi et suppleri per suppositum et esse divinum, *N.*— *Neg. conseq.*

Esse consequitur naturam sicut *qua* aliquid est tantum, personam vero sicut *habentem* esse. Unde, duplicatâ naturâ sub uno supposito per divinam actionem, esse seu existentia magis retinet unitatem secundum unitatem hypostasis ceu subjecti proprie dicti, quam habeat dualitatem secundum naturarum numerum.

Obj. 2.— Esse Filii Dei, utpote idem ac natura divina, æternum est. Atqui hominis-Christi esse non est æternum, sed temporale. Ergo.

Resp. *D. M* :... secundum quod in se est et *simpliciter*, *C ;* secundum relationem quam induit ad naturam humanam cum Verbo hypostatice conjunctam, *N.*— *C. d. m..*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— In Trinitate, quamvis sint tres personæ, unum est esse ob unitatem naturæ. Atqui in Christo duæ sunt naturæ. Ergo.

Resp. *D. M* :... ob unitatem naturæ, in quâ non differt realiter *quo* est et *quod* est, *C ;* quasi realis sit hæc distinctio sicut in creaturis, *N.*— *C. d. m* :... secundum eamdem habitudinem ad personam Verbi, *N ;* ita ut natura humana non sit nisi id *quo* Christus homo existit, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 4.— In Christo anima dat esse corpori. Atqui nequit dare esse increatum. Ergo.

Resp. *D. M* :... dat esse specificum seu perficit corpus in ratione *speciei*, *C ;* dat esse actualis *existentiae*, *S. d :* per se et directe, *N ;* indirecte seu quatenus complet naturam secundum quam Christus-homo existit, *C.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 5.— Existentia est actualitas naturæ. Atqui repugnat quod esse increatum Verbi actuet naturam creatam. Ergo.

Resp. *D. M* :... naturæ qualiscumque, *N ;* naturæ terminatæ per subsistentiam, *C.*— *D. m* :... per modum *formae* inhærentis, *C ;* per modum principii perficientis seu præbentis *excellentius* et *terminative* consistentiam illam quam existentia creata præstat informative, *N.*— *Neg. conseq.*[1]

[1] — Alia plura argumenta solvit *Cajetanus* (*Comm.* in h. art.), qui totam rem magistraliter enodat ac dilucidat.

QUÆSTIO TERTIA

DE UNITATE CHRISTI QUANTUM AD VOLUNTATEM

Consequitur determinanda unitas Christi quoad voluntatem et operationem, ut exploratum fiat quo pacto substantialis illa unitas unius volentis et operantis possit cum pluralitate activarum virium componi.— Et primum res enucleandam se præbet secundum quod ad *voluntatem* pertinet.

Quo in negotio, proposita disceptatio commode poterit in quatuor articulos partiri. Siquidem inquirendum venit primo *an*, præter divinam voluntatem, humana quoque voluntas in Christo ponenda sit (art. 1) ; secundo *qualis* fuerit voluntas hæc humana. Hoc autem alterum inspiciendum est : *absolute* quidem seu secundum modum agendi voluntatis creatæ (art. 2) ; *relative* vero seu per respectum ad divinam voluntatem, tum quoad rem volitam (art. 3), tum quoad ipsos volendi actus (art. 4).— Gradum faciamus ad singulorum considerationem.

ARTICULUS I.

Utrum in Christo sint duae voluntates.

(Q. XVIII, aa. 1-3)

Nonnulla præmittere juverit circa *errores* et *quaestionis* sensum seu *statum*.

1° Plures hæretici dualitatem voluntatum in Christo inficiati sunt, dispari tamen motivo inducti.— *a*) *Apollinaris* quidem, cum Verbum in animæ rationalis locum sufficeret, humanam Christo voluntatem subtraxit. Similiter *Eutyches*, reductis in unam Christi naturis, unam quoque voluntatem ponere cogebatur. Quin imo *Nestorius* in eumdem errorem offendit, quatenus unionem Dei et hominis tueretur secundum affectus voluntatisque unitatem.— *b*) At, sæculo VII ineunte, directius cœpit error ille propugnari a *Sergio*, patriarcha Cptano, *Cyro* Alex., *Macario* Antioch., eorumque sequacibus qui, licet duas in Christo naturas profiterentur, unam tantum voluntatem agnoverunt, ne voluntatum, si plures darentur, dissidia ac lites erumperent : dicti sunt isti *monothelitae*.

2° Dubium est inter auctores, in quo situs fuerit *error palmaris* Monothelitarum, tenentibus quibusdam illos non negasse duas potentias volitivas in Christo, sed solum volitionem seu operationem humanam, plerisque tamen eis tri-

buentibus utramque negationem : quod verius æstimandum est (ut ostendit *Billuart*, Digr. hist. *de Monoth.* sect. 2). Cæterum, cum hæretici *unam energiam* in Christo admitterent, non parum dubitationi contulit ambiguitas illius vocis, quæ et qualitatem et facultatem et motionem significare potest. — Monothelismo strenue obstiterunt tres præcipui veritatis tutores, nimirum *S. Sophronius*, patr. Hierosol., *S. Maximus* abbas M., et postmodum *S. Joan. Damascenus*. Atque tam pertinax hæresis, cui *Honorius R. P.* Sergii fraude deceptus imprudenti sermone (non doctrina[1]) faverat, anathemate perculsa fuit in *Conc. oecum. VI ;* quam damnationem sequentia concilia confirmavere.

3° Statuendum in primis est, præter voluntatem divinam, alteram quoque *humanam* in Christo poni oportere ; quæ voluntas humana duplici distinctioni subest. Quippe alia est voluntas *essentialiter* sumpta, alia *participative* dicta ; rursus quæ essentialiter voluntas est, in *naturalem* et *rationalem* dispescitur. Ergo tria concludenda nos manent.

Conclusio 1ª. — NECESSE EST AGNOSCERE IN CHRISTO DUAS VOLUNTATES, UNAM SCIL. DIVINAM, ET ALIAM HUMANAM ; prouti definitum est in *Conc. oecum. VI* (Cptano III) : : « *Duas naturales voluntates* in eo (J. Christo) et *duas naturales operationes* indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum SS. Patrum doctrinam adæque prædicamus, non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati ».

1° Sane *Scriptura* apertis in locis humanam Christi voluntatem a divina distinguit, puta (Luc. XXII, 42) : *Pater, si vis, transfer calicem istum a me : verumtamen, non mea*

[1] — Juxta Jungmann (*de Verbo inc.* P. I, c. II, a. 6, sch. 1) controversia de Honorio ad hæc reduci potest capita : 1° Certo constat ex epistolis Pontificis Honorium non esse professum *doctrinam* Monothelitarum ; quippe docet utrasque naturas in Christo operari quæ sua sunt.— Verum 2° quoad *'oquendi modum*, inconsulte probavit Sergii consilium de omittenda professione unius vel duplicis voluntatis seu operationis.— Unde 3° Honorii culpa, non dogmatica, sed *disciplinaris* fuit, incolumi manente et fidei integritate et Romanæ Sedis infallibilitate.— 4° Ubi idem Pontifex affirmat *unam* Christi voluntatem, satis ex contextu apparet verba illa aut referri ad solam Domini *humanitatem* cujus fuit voluntas ab omni carnis rebellione libera, aut significare *unitatem moralem* inter velle divinum et humanum.— 5° Conc. œcum. VI damnavit Honorium, sed ut *fautorem* dumtaxat hæreseos propter imprudentem agendi modum (uti multi sentiunt), vel ut *haereticum* sed sententiâ invalidâ ex defectu potestatis penes Legatos pontificios (prout contendit Pennacchi in sua Diss. *de Hon. I. R. P. causa in Conc. VI*).

voluntas, sed tua fiat ; et (Joan. V, 30) : *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Porro voluntas divina communis erat Patri et Filio : ergo tum divina tum humana in Christo vigebant.

2° Abstinemus a referendis *Patrum* sententiis, quæ innumeræ propemodum sunt remque nostram testatissimam faciunt. *Graecorum* simul ac *Latinorum*, qui ante Monothelimum floruerunt, pleraque collegit testimonia eruditissimus *Petavius* (l. VIII, cc. 8-9); quibus recitatis, concludit : « Hinc igitur apparet, jam pridem et ante Monotheletarum exortum, damnatam et proscriptam istorum fuisse perfidiam cum ab singulis *Patribus* qui de vera Christi humanitate contra antiquos hæreticos scriptum quodpiam fecerunt, tum ab omnibus *Conciliis*, tam *generalibus* quam *minoribus*, quæ de ea re nonnihil decreverunt ».

3° *Ratione* sic adstruitur dualitas voluntatum et motuum. — *a*) Filius Dei naturam humanam assumpsit perfectam. Atqui ad perfectionem humanæ naturæ pertinet voluntas, quæ est naturalis ejus potentia, sicut et intellectus. Ergo concedendum est in Christo fuisse volendi, sicut et intelligendi, *vim* humanam. Atqui per assumptionem humanæ naturæ nullam diminutionem passus est Filius Dei in his quæ pertinent ad divinam naturam, cui competit volitiva facultas. Ergo.— *b*) Præterea, fatentibus ipsis adversariis, humana natura conjuncta est Verbo Dei, ut esset *instrumentum* divinitus motum secundum proprietatem suæ naturæ. Atqui instrumentum quidem inanimatum, uti serra, movetur ab artifice per solum motum corporalem ; instrumentum animatum anima sensibili movetur per appetitum sensitivum ; ast instrumentum perfectum anima rationali *movetur* secundum ejusdem animæ voluntatem, quasi servus per imperium domini. Ergo.

Conclusio 2ª. — PRÆTER VOLUNTATEM HUMANAM ESSENTIALITER DICTAM, PONENDA EST IN CHRISTO ALIQUA VOLUNTAS SENSUALITATIS SEU PER PARTICIPATIONEM.

Prob.— Quia in humanitate includitur natura animalis, sicut in specie genus, oportuit ut Filius Dei cum humana natura assumeret quæ generis animalis sunt, qualis est appetitus sensitivus seu sensualitas. Atqui sensualitas, pro sua conjunctione cum ratione, nata est eidem rationi obedire et de voluntatis influxu participare. Ergo recte in Christo ponitur voluntas aliqua sensualitatis seu *participative* dicta.— Hæc tamen quia voluntarium suum ex una natura voluntateque rationali desumit, non ideo voluntas humana in uno

eodemque homine plurificari solet, subindeque *una* Christi *voluntas humana* asseritur.

Conclusio 3ª. — In Christo admittenda est una potentia voluntatis essentialiter sumptæ ; sed qua actus ipse dicitur voluntas, hæc duplex est : una ut natura, altera ut ratio.

1ª *Pars* patet ; quia in quolibet ordine est unum primum movens. Sed voluntas est *primum movens* in genere humanorum actuum. Ergo in uno homine non est nisi una voluntas proprie dicta.— Accedit quod potentiæ diversificantur secundum objecta. Omnes autem spirituales affectus feruntur in communem rationem *boni*, quod pertinet ad voluntatem.

2ª *Pars* ostend.— Diversi actus merito denominantur pro diversa unius potentiæ habitudine ad suum objectum. Atqui alterius rationis est habitudo voluntatis, secundum quod fertur in aliquid *absolute* et sub specie finis volitum, uti est sanitas ; alterius vero rationis ejus habitudo, secundum quod fertur in aliquid volitum solum ex *ordine ad aliud*, sicut est sumptio medicinæ. Ergo in voluntate Christi, haud secus ac in nostra, distinguere est ex præmissis duplicem actum : unum per modum *simplicis* voluntatis, qui etiam dicitur *voluntas ut natura* (*thelesis* juxta Damasc.) ; alium per modum voluntatis *consiliativae*, qui nuncupatur *voluntas ut ratio* (*boulesis*).

Solv. obj. (cont. 1ªm concl.).— Voluntas est primum movens et imperans in unoquoque volente. Atqui primum movens et imperans in Christo fuit divina voluntas. Ergo.

Resp. *D. M* :... sive per modum causæ primæ, sive per modum causæ secundæ, *C* : per modum causæ primæ tantum, *N*.— *C. d. m* :... veluti causa prima, cui humana voluntas obsequebatur, *C* ; ad exclusionem alterius voluntatis inferioris, *N* — *Neg. conseq.*

Sicuti sanctorum piæ voluntates moventur secundum voluntatem Dei, quin ex hoc naturam propriam exuant, ita humana Christi voluntas nutu divinæ voluntatis perfecte regebatur, suam retinens agentis secundi indolem ; unde legitur (Ps. XXXIX, 9) : *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.*

Obj. 2.— Illud solum multiplicatur in Christo quod pertinet ad naturam. Atqui voluntas non pertinet ad naturam. Ergo.

Resp. *D. M* :... quod pertinet ad naturam sive immediate sive mediate, *C* ; immediate tantum, *N*.— *D. m* :... sub ratione

potentiæ et actus necessarii, puta respectu felicitatis, *N :* sub ratione actus liberi, *S. d :* non pertinet ad naturam immediate, *C ;* nec mediate per rationem naturalem in qua libertas radicatur, *N.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Voluntas magis dependet a persona quam a natura. Atqui in Christo fuit et est una tantum persona. Ergo.

Resp. *D. M :* Voluntas *absolute* sumpta magis dependet a persona quam a natura, *N ; certus modus* volendi dependet a natura, secundum quod est in *tali* persona, *C.— C. d. m :...* et ideo una tantum in eo fuit voluntas, *N ;* fuit perfectissimus et ordinatissimus volendi modus pro exigentia hypostasis et voluntatis divinæ, *C.— Neg. conseq.*

ARTICULIS II.

Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium.

Nobilissima voluntatis *dos* et proprietas est liberum arbitrium ; cujus integritatem ut in Christo salvemus, summa duo motiva suadent, scil. tum Salvatoris nostri dignitas, tum salutarium ejus meritorum necessaria conditio quæ in libertate consistit — Jamvero, licet catholici omnes perfectam Christo libertatem humanam attribuant, magnus tamen opinionum conflictus est in *explicanda* egregia illa dote eaque concilianda cum impeccabilitate et beatifico statu Hominis-Dei.— Duabus conclusionibus veritatem statuere ejusque naturam, pro modulo nostro, definire conabimur.

Conclusio 1ª.— Fuit in Christo liberum arbitium, scil. immunitas a coactione et necessitate :— quod jure definitum æstimatur in *Conc. œcum. VI*, ubi decretum est Christo competere omnes proprietates humanæ naturæ.

1° In *Scriptura* per prophetiam prædicatur de Christo puero et ad discretionis ætatem progredienti *eligendi* actus, proprius liberi arbitrii (Is. VII, 15) : *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum*[1].—Præterea, in N. T. laudatur Christi *obedientia* (Phil. II, 8) : *Factus obediens usque ad mortem* ; quæ virtus ex libertate laudis rationem desumit.

[1] — « Indicatur *Messias* talis qui in paupertate et humilitate vitam degat et in ea conditione in se edat præclara virtutis documenta et simul in se experiatur exercitium virtutum cum laboribus ac molestiis esse conjunctum » (Knabenbauer, *Comm.* in h. l.).

2° Ut constat ex art. præc., duplex fuit in Christo voluntatis actus : unus tendens in aliquid secundum se volitum sub ratione finis, sc. voluntas ut natura ; alius prosequens ea quæ accipiuntur per respectum ad finem, scil. voluntas ut ratio. Atqui voluntas *ut rat o*, qua contendimus in ea quæ sunt ad finem, est liberum arbitrium. Ergo. *Min.* apparet ex eo quod per hanc voluntatem unum præ pluribus eligimus, scil. id quod ratio ultimo judicio practico præferibilius voluntati in ordine ad finem proposuerit ; *eligere* autem proprium est liberi arbitrii munus. Ergo.

Conclusio 2ª. — LIBERTAS CHRISTI CONCILIANDA SUSCIPITUR CUM EJUS BEATITUDINIS ET IMPECCANTIÆ CONDITIONE.— Primum *memorare* juverit duplicem distingui libertatem : unam quidem quoad *exercitium* actus, puta velle aut non velle, et vocatur libertas contradictionis ; aliam quoad *spe ificationem* objecti, puta velle hoc vel illud, et vocatur libertas contrarietatis vel diversitatis, secundum quod specificatio *contraria* sit aut tantum *disparata*.— Certum est *facultatem peccandi*, quæ ad libertatem contrarietatis pertinet, non esse de ratione essentiali libertatis : reliquos libertatis modos Christo vindicamus.

Concl. sibi vult *beatitudinem* animæ Christi ejusque *impeccantiam* non vetuisse quominus ipse divina *praecepta* cum naturalia seu moralia, tum supernaturalia (non excepto præcepto di ectionis Dei), libere exequeretur.

1° Equidem Christus, ut beatus et supremo Bono immediate conjunctus, continuo necessarioque actu *Deum in se* diligebat eademque necessitate volebat quidquid ex se et inseparabiliter ad illum statum pertineret : id ultro concedimus.— At 2° quemadmodum Deus, necessario volens se ipsum, libere tamen vult alia a se ; ita Christus, necessario Deum in se diligens, poterat libere Eum diligere, prouti est *ratio creaturarum* quarum connexio cum Ipso contingens est, et sic, impeccabilis manens, libertatem *exercitii* et *specificationis disparatae* circa media ad finem exercere. Etenim determinatio quidem intrinseca repugnat libero arbitrio, non vero, saltem præcise et formaliter loquendo, infallibilitas practici judicii et indefectibilitas in prosequendo bono. Atqui, licet Christus infallibiliter verum speculativum et practicum cognosceret et impeccabilitate gauderet, nequaquam tamen erat forma determinante præmotus ad bonum particulare. Ergo. *Maj.* constat ex alibi disputatis circa conditionem et naturam libertatis : facultas enim errandi et peccandi indicium quidem ac nævus libertatis est, non autem ad ejus es-

sentiam pertinet. Idcirco potest lux menti præfulgens certitudinaliter demonstrare valorem proprium mediorum ad finem, ita ut *de facto* et infallibiliter electio boni prodeat, quin propterea libertas perimatur ; modo tamen voluntas immunis existat ab omni vi determinante ac necessitante. *Min. prob.* Necessitas determinativa voluntatis Christi nequit admitti neque ex parte rerum volitarum, neque ex parte subjecti volentis, neque ex parte præcepti impositi : ergo. *a) Non ex parte rerum* volitarum : creaturæ enim non habent ex se necessariam connexionem cum Deo, imo nec certa media de se exclusive exiguntur a fine Redemptionis *b) Non ex parte subjecti volentis :* Deus enim movet efficaciter voluntatem humanam, non vero eam physice præmovet aut determinat (vid. tract. *de Deo* et *de Gratia*). *c) Non ex parte praecepti* impositi : præcepta enim (quæ vere et *proprie* fuisse Christo imposita secundum obvium Scripturæ sensum contra quosdam asserimus) *moralem* tantum directionem imprimunt, et impeccantia efficit quidem ut voluntas hanc directionem infallibili rectitudine sequatur, non tamen impulsu necessario.

Conf. concl. ex verbis *D. Thomae* (heic, resp. ad 3) : « Voluntas Christi, licet sit determinata ad bonum (i. e ad bonum in genere et bonum divinum *in se*), non tamen est determinata ad hoc vel illud bonum. Et ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut ad *beatos*[1] ».

Solv. obj. — Obj. 1 (cont. 1am concl.). — Juxta Damasc. (Orth. Fid. III, 14), « *sententiam* et *electionem* in Domino dicere non possumus, si quidem proprie loqui studeamus ». Ergo.

Resp. *D. antec :*... et Damascenus excludit a Domino *simpliciter* sententiam et electionem, *N ;* secundum quod sententiæ et electioni accidit in natura ignorante *dubitatio* quæ tamen non est de necessitate electionis, ut patet in Deo, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Electio supponit consilium (I-IIæ, Q. XIV). Atqui consilium, seu inquisitio de incertis, non fuit in Christo. Ergo.

Resp. *D. M :*... supponit *judicium* certum ex quo sequitur, sive judicium illud habeatur per consilium sive non, *C ;* supponit *consilium* ipsum, *S. d :* in nobis, *C ;* absolute et in eo qui valeat de agendis judicare absque prævia inquisitione, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

[1] — De hac questione cfr., si lubet, *Gonet* et *Billuart* qui varias theologorum opiniones referunt et expendunt, suamque, solutis adversis argumentis, veluti solidiorem adstruunt

Obj. 3. (cont. 2am concl.). — Stante præcepto v. g. moriendi, Christus non poterat non acceptare mortem (secus peccasset). Atqui id involvit negationem libertatis. Ergo.

Resp. *D. M* :. . . secundum potentiam physicam et in sensu diviso, *N ;* secundum potentiam moralem et in sensu composito, *C.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Cum voluntas Christi non subesset ulli determinationi cogenti ad observanda præcepta divina, inerat ei potentia *physica* respectu mortis non acceptandæ, ideoque præcisione facta a præcepto seu in sensu *diviso*, simpliciter poterat mortem recusare. At, in sensu *composito*, datum a Patre præceptum inducebat necessitatem *moralem*, cui Christus infallibili simul et liberrimo voluntatis exercitio obsecutus est.[1]

ARTICULUS III.

Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinae voluntati in volito.

Qualis fuerit in Christo humana voluntas secundum habitudinem ad voluntatem divinam ex parte *rei volitae*, modo perspiciendum objicitur. Ubi advertere est dubium signanter proponi de conformitate voluntatis humanæ ad divinam *in volito :* nam ipsos *actus*, qualescumque fuerint, volitionis in Christo, volebat indubitanter Deus (3 S. D. XVII, Q. I, a. 2, sol. 4).

Conclusio.— Christus secundum voluntatem sensualitatis et voluntatem essentialem per modum naturæ poterat aliud velle quam Deus ; sed secundum voluntatem per modum rationis, semper idem volebat quod Deus.

1° Hoc persuadetur ex ipsa *Scriptura*, scil. (Marc. XIV, 36) : *Non quod ego volo, sed quod tu ;* quibus verbis significatur Christum per modum rationalis voluntatis voluisse impletionem voluntatis divinæ, dum tamen ipse alia voluntate, nempe sensualitatis et naturæ (utraque enim erat in ipso), aliud quiddam appetebat.

2° Id ipsum *ratione* manifestatur.— Enimvero Filius Dei dispensatione quadam, ante passionem suam, sinebat carnem omnesque animæ vires agere et pati quæ sunt eis propria :

[1] — Advertas velim impeccantiam Christi etiam in ordinandis rebus contingentibus ad Deum fuisse quidem intrinsecam, non tamen per modum *physicae determinationis*, sed per modum *moralis exigentiae*.

quod finis Redemptionis exigebat. Atqui *a*) ex una parte, voluntas *sensualitatis* refugit naturaliter dolores sensibiles corporisque læsionem ; similiter voluntas *ut natura* abhorret quæ sunt naturæ noxia et secundum se mala ; hæc tamen quandoque voluntas *per modum rationis* eligere potest ut media ad finem ; v. g., in aliquo morbo, ægroti hominis sensualitas et voluntas naturalis refugit ustionem, quam tamen voluntas rationalis tolerandam decernit gratiâ recuperandæ sanitatis. *b*) Ex altera parte, *voluntas Dei* erat ut Christus dolores, passiones, mortemque pateretur, non quod ista secundum se essent a Deo volita, sed ex ordine ad finem humanæ salutis. Ergo Christus voluntate sensualitatis et voluntate naturali (velleitate dixerim) aliud poterat velle quam Deus ; sed voluntate rationali divino beneplacito conformabatur.

Solv. obj.— Obj. 1.— Optabat Christus voluntatem divinam implere. Atqui nemo potest voluntatem alicujus implere, quin id ipsum quod iste intendat. Ergo.

Resp. *D. M* :... voluntate *simpliciter* et consequente considerationem ordinis rerum ad divinam voluntatem, *C ;* voluntate sensualitatis cujus motus nequit se extendere usque ad voluntatem Dei, et voluntate naturali attingente objecta sub respectu absoluto tantum, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Anima Christi ornata erat perfectissima caritate. Atqui caritatis est parere Deum inter et hominem volitorum identitatem. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... identitatem *formalem*, eo modo quo solent voluntates amicorum in unum ultimo conspirare, *C ;* identitatem *materialem*, quasi proprio impulsu omnes animæ vires sibi relictæ unum appetant, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Christus fuit verus comprehensor Atqui comprehensores seu sancti patriæ nihil aliud volunt quam quod Deus. Ergo.

Resp. *D. M* :... comprehensor tantum, *N ;* comprehensor simul et viator, cui aliquid ex parte carnis passibilis accidere poterat repugnans sensualitati et naturæ, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum in Christo fuerit contrarietas voluntatum.

Talis est posteritatis Adæ sors et conditio ut, secum colluctantibus animæ viribus, gemens quisque ad Deum inclamet (Job. VII, 20) : *Quare posuisti me contrarium tibi, et factus*

sum mihimetipsi gravis ?— Ne ex dictis in articulo præcedenti simile quidpiam in homine Christo fuisse inferatur, præsens doctrina opportune ab Auctore exhibetur.

Conclusio.— In Christo nulla fuit repugnantia vel contrarietas voluntatum.— Id definitvi *Conc. oecum. VI* in verbis superius citatis.

1° Eo pertinent quæ scribit *Joan. Damasc.* (Orth. Fid. III, 18) : « Divinam ipsius voluntatem humana sequebatur, eique subdita erat, ut quæ propriâ sententiâ non moveretur, verum ea demum vellet quæ divina ejus voluntas ipsam volebat velle. Permittente siquidem divina voluntate, naturaliter ea quæ sibi propria erant patiebatur.»

2° Contrarietas esse non potest nisi attendatur oppositio *secundum idem* et *in eodem*, non autem secundum diversa aut in diversis. Atqui in eadem Christi voluntate secundum idem nulla fuit oppositio : ergo nulla contrarietas.— *Maj. expl ;* quia contrarietas est diversitatis species, claudens in se contradictionem. Jamvero oppositio contradictionis non datur nisi secundum idem et in eodem. *a*) Requiritur itaque primum ad contrarietatem voluntatis ut habeatur secundum *idem objectum* eamdemve rationem : nulla enim repugnantia est quod aliquid, puta vita hominis, ametur sub ratione universali, et tamen, exigente bono publico, in aliquo casu supprimatur, nisi amor ille antecedens voluntatem consequentem prohibeat. *b*) Amplius requiritur ad contrarietatem ut sit circa *eamdem* voluntatem : si enim homo unum velit appetitu rationis, aliud autem appetitu sensitivo, nulla hic est contrarietas, nisi forte appetitus sensitivus adeo prævaleat ut appetitum rationis immutet vel remoretur.— *Min. ostend.* Nam *a*) *primo* neque voluntas naturalis neque voluntas sensualitatis, suo quæque objecto inhærentes, repudiabant in Christo id quod erat Dei hominisque electione formaliter volitum : quippe etiam voluntate naturali Christus volebat salutem humani generis, non tamen ejus erat illam velle ut rationem volendi mortem propriam ; motus autem sensualitatis ad hoc se extendere non valebat. *b*) *Secundo*, voluntas divina et voluntas rationis Christi minime per voluntatem naturalem aut sensitivam retardabantur ; et, vice versa, nec motus voluntatis naturalis et sensitivæ divino et rationali imperio in Christo impediebantur : siquidem ei placebat ut natura et sensualitas in objecta sibi propria modo suo moverentur. Ergo.

Solv. obj.— Obj. 1.— Contrarietas voluntatum attenditur secundum contrarietatem objectorum. Atqui Christus voluntate humana refugiebat mortem quam voluntas divina volebat. Ergo.

Resp. *D. M* :... objectorum tantum, *N ;* necnon potentiarum appetentium, *C.*— *C. d. m* :... quam voluntas divina volebat sub eodem respectu, *N ;* sub diverso respectu, eadem permittente ut voluntas naturalis absolute mortem aversaretur, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Contrarietas est quod spiritus unum concupiscat, et caro aliud. Atqui id fuit in Christo. Ergo.

Resp. *D. M :* ita ut motus spirituales impediantur vel retardentur per carnem, sicuti fit in nobis, *C ;* absolute, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— De Christo dicitur (Luc XXII, 43) : *Factus in agonia, prolixius orabat.* Atqui agonia importat compugnationem quandam animi. Ergo.

Resp. *D. M* :... i. e. voluntas rationalis Christi veluti anceps inter contraria fluctuabat, *N ;* pars sensitiva timore infortunii imminentis opprimebatur, *C.*— *C. d. m :* agonia secundum partem animæ rationalem, *C ;* secundum partem sensitivam, *N.*— *Neg. conseq.*

QUÆSTIO QUARTA

DE UNITATE CHRISTI QUANTUM AD OPERATIONEM

Quamvis quæstio hæc præcedenti affinis sit, ab ea tamen profecto distinguitur, illo ferme modo quo actio a voluntate *imperata* discriminatur ab actione *elicita* ejusdem voluntatis.— Duo circa operationem Christi consideranda sunt : *primo*, an duplex admitti debeat (art. 1) cum aliqua tamen humanæ operationis unitate (art. 2) ; *secundo*, quanam vi seu efficacia prædita fuerit, nempe an ipsi Christo (art. 3), maxime vero an nobis mereri potuerit (art. 4) [1].

ARTICULUS I.

Utrum in Christo sit una tantum operatio divinitatis et humanitatis.

1° Pro certo exploratoque habetur quod Christus erat *unus operans ;* at dubium subit de *operatione.*— Ubi advertendum

[1] — De vi satisfactiva aptior disserendi locus est in quæst. *de effectu passionis.*

reor (cum *Cajetano* in h. art.) in præsenti sermonem esse de operationis unitate vel pluralitate secundum *speciem* seu per habitudinem ad *principium activum* (essentiale, non suppositale) *proprium*, i. e. virtute propria agens, ita ut una operatio pro uno tali principio, multiplex vero pro pluribus principiis hujusmodi admittatur.

2° Ii *haeretici*, qui unam in Christo voluntatem posuerunt, unam quoque tantum operationem asseruerunt.— Sic vero errorem suum suadere nitebantur : ubi sunt plura agentia ordinata, ibi est una operatio proprie dicta superioris agentis, dum motus inferiores non sunt nisi effectus et *operata* quædam. Jamvero, quemadmodum in homine anima est primum principium movens, ita in Christo divinitas. Propterea, sicut in motu manus et pedis duplex est quidem operatum, sed una solius animæ operatio, sic in Christo unica operatio ponenda est cum diversis operatis sive Divinitatis sive humanitatis.— At in hoc confusio est, hæreseos parens, ut jamjam patefiet.

Conclusio.— Duæ sunt in Christo naturales operationes, divina scil. et humana, quin obstet denominatio operationis « theandricæ » a veteribus usurpata.

1ª *Pars* sancita est a *Conc. oecum. VI* (*loc.* jam *cit.*, quæst. præc. art. 1).

Prob : — 1° *auctoritate.* Solemnis est apud theologos universeque recepta formula *S. Leonis M.* (ep. ad Flavianum, c. IV) : « Agit utraque forma, cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scil. operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est.» — Vid. plura apud Petavium, Knoll, etc.

2° *Ratione.*— *a*) *Primo* ex *falso supposito* adversariorum. Censent enim isti, ob unitatem Verbi agentis cunctaque in Christo moventis, non posse ex diversis operatis diversa inferri operandi principia diversasque operationes. Atqui in hoc graviter illuduntur : siquidem actio ejus quod ab altero movetur duplex est, *una* quam habet secundum formam *propriam*, *alia* quam consequitur secundum formam principalis agentis sibi *participatam*, in quantum movetur ab illo ; v. g. securis propria virtute incidit, et mota ab artifice facit scamnum. Ergo locus est distinguendi duplicem operationem pro duplici principio activo, nisi actio inferioris agentis præcise accipiatur secundum motionem receptam a superiori.

b) *Secundo* ex *rei natura.*— Ubicumque enim movens et motum diversas habent formas seu operandi virtutes, ibi alia moventis aliaque moti operatio esse debet, etsi utrumque

agat cum communione alterius. Atqui in Christo tum divinæ tum humanæ naturæ propria inest forma virtusque operatrix. Ergo duplex est operationis species, divina scil. et humana, quin tamen negemus operationem humanam alteri subordinari.

c) *Tertio* ex *consectariis*.— Si una tantum esset operatio humanitatis et divinitatis in Christo, id consequeretur, nempe aut humanæ naturæ (de divina hoc dici repugnat) non esse propriam formam vimque activam, aut ex virtute divina et humana unam fuisse conflatam. Atqui utrumque impossibile est : per primum enim tollitur perfectio humanæ naturæ, visque meritoria et satisfactoria Christi perimitur ; per aliud inducitur confusio naturarum, qualem finxit Eutyches. Ergo.

2ª *Pars decl.*— 1° Non diffitemur quosdam veteres, inter quos *Pseudo-Dionysius* (cap. II De div. nom. lect. 3), posuisse in Christo operationes *theandricas* seu *Deo-viriles*.— At vero præpostere quis inferret ideo unam tantum Christi operationem agnoscendam esse. *a*) Nam, ut de solo *Dionysio* dicamus, ipse (ut manifeste ostendit *D. Thomas* heic ad 1) loco cit. describit duas distinctas in Christo operationes, unam propriam humanitatis, aliam sublimiorem et ineffabilem Divinitatis. *b*) Præterea, in *Conc. Later.* (sub Martino I) canon hic legitur : « Si quis secundum hæreticos *Dei-virilem operationem* unam insipienter suscipit, et non duplicem eam confitetur, hoc est, divinam et humanam, sit condemnatus ».

2° Quocirca denominatio illa accipienda est, non secundum aliquam confusionem operationum seu virtutum utriusque naturæ, sed secundum Divinitatis humanitatisque in operando *communionem ;* quod dupliciter intelligi potest : *a*) *primo* de conjunctione quadam *physica*. Quatenus enim Verbum utebatur humanitate quasi instrumento, divina humanitus humanaque divinitus agens (exemplo est sanatio leprosi per contactum et conceptio miraculosa Christi), una erat Hominis-Dei operatio, sicuti una est actio agentis principalis et instrumenti (qua talis). *b*) Sceundo de conjunctione *morali ;* siquidem operationes humanæ Christi ita Dei agentis seu divini erant suppositi ut ab eo sortirentur et sanctitatis normam et valoris infinitatem [1].

Solv. obj.— Obj. 1. — Principalis agentis et instrumenti una est operatio. Atqui humana natura in Christo divinæ naturæ fuit instrumentum. Ergo.

[1] — Cf. Petavium, l. VIII, c. 10.

Resp. *D. M :...* sumpto instrumento secundum formam suam, *N ;* in quantum est instrumentum, *S. d.* una est re operatio, *C. ;* etiam ratione, *N. — C. m.— Neg. conseq.*

Actio instrumenti, qua instrumentum, *re* non differt ab actione principalis agentis, quanquam *ratione* distinguitur quod unius et quod alterius est ; potest tamen instrumentum, ut est res quædam agens per modum causæ principalis, suam habere operationem : ita in Christo, uti constat v. g. de salvatione *instrumentaliter* effecta per humanitatem atque de opere fabrili quo Jesus ex se agens S. Joseph laboranti associabatur.

Obj. 2.— Unum esse debet quod ad unam Christi hypostasim pertinet. Atqui operatio pertinet ad hypostasim, cujus est agere. Ergo.

Resp. *D. M :...* secundum unam formam, *C ;* secundum diversas formas, *N.— D. m :...* pertinet ad hypostasim tanquam ad subjectum immediate operativum, *N ;* tanquam ad primum operans, *C.— Neg. conseq.*

Operari est hypostasis ut ejus *quod* primo agit, sed tamen secundum *formam* et naturam a qua operatio *speciem* recipit : duplicatis itaque formis, duplicetur oportet operationis species, etsi unitas numerica cujusque actionis in suo genere ab unitate hypostasis dependeat. Consequenter in Christo duæ sunt operationes *specie* differentes secundum duas ejus naturas ; quælibet vero una numero simul exercetur, v. g. una sanatio et una ambulatio.

Obj. 3.— Sicut esse est hypostasis, ita et operari. Atqui ex unitate hypostasis unum esse in Christo conclusum est. Ergo.

Resp. *D. M...* quatenus hypostasis est *quae* existît et operatur, *C ;* quasi operatio tam intima sit hypostasi quam esse, *N.— C. m.— Neg. conseq.*

Ponderentur verba *Angelici* (in h. loc.) : « Esse et operari est personæ a natura ; aliter tamen et aliter. Nam *esse* pertinet ad *ipsam constitutionem personae ;* et sic quantum ad hoc se habet in ratione termini ; et ideo unitas personæ requirit unitatem ipsius esse completi et personalis. Sed *operatio* est quidam *effectus personae* secundum aliquam *formam* vel naturam. Unde pluralitas operationum non præjudicat unitati personali.» Aliis verbis, esse *immediate* subjctatur in persona, ut ejus propria actualitas, ad quam illa constitutione sua terminatur ; operatio vero se habet ad naturam ut ad susceptivum *proximum* (saltem mediante potentia) et ad personam solum ut ad *primum* subjectum *quod* : unde specifice multiplicatur pro naturæ diversitate[1].

[1] — Cf. Cajetanum in h. obj.

Obj. 4.— Ubi est unum operatum, ibi est una operatio. Atqui idem operatum erat Divinitatis et humanitatis, v. g. sanatio leprosi ex contactu. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... quatenus humanitas *praecise* tanquam instrumentum agebat, *C* ; quatenus vim suæ formæ exserebat, v. g. tangendo, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum in Christo sint plures operationes humanae.

Agitur nunc de sola operatione *humana.*— Hujus autem unitas vel pluralitas inquiritur, non penes distinctionem objectorum, potentiarum et habituum, nec secundum distinctionem numericam (patet enim sub his respectibus plures esse operationes), sed secundum habitudinem seu associationem virium a *communi* natura prodeuntium.

Conclusio.— Multo magis est una operatio humana in Christo quam in quocumque alio homine.

Prob.— Illa operatio dicitur simpliciter humana, quæ procedit ex deliberata ratione secundum voluntatem. Atqui in quocumque alio homine, præter operationem illam, reperiuntur aliæ actiones a voluntate independentes ; sed in Christo secundum humanam naturam nulla contigit actio, quæ non fuerit aliqualiter secundum ejus voluntatem. Ergo. *Min. ostend.* Humanæ naturæ conveniunt, præter proprias actiones a ratione voluntateque procedentes, aliæ secundum conditionem corporis, v. g. ferri deorsum, aliæ secundum virtutem animæ vegetalis, v. g. nutriri et augeri, aliæ secundum partem sensitivam, ut videre, imaginari, irasci, etc. Atqui in quolibet homine actiones corporei et vegetativi ordinis nullo modo subjiciuntur rationi (saltem directe) ; actiones autem sensitivæ imperfecte tantum rationis imperio subduntur. Sed in Christo nullus erat motus sensitivæ partis qui non esset ordinatus a ratione ; ipsæ etiam operationes naturales et corporales aliqualiter voluntaræ erant, scil. *approbative,* quatenus volebat Christus ut unaquæque vis opera sibi propria exequeretur, *imperative* vero, in quantum humana voluntas Divinitatis imperium ad totum corpus cunctasque vires instrumentaliter deferebat. Ergo in quolibet homine, præter actiones proprie voluntarias, sunt plures aliæ ; verum in Christo omnes erant quodammodo humanæ unique voluntatis motui associatæ.

Ex quo *infertur* hominem-Christum extremos attigisse limites quibus contineatur vis et efficacia humanæ voluntatis in corpus et facultates quascumque inferiores.

ARTICULUS III.

Utrum actio humana Christi potuerit esse sibi meritoria.

Meritum est proprietas actus humani, qua *jus* quoddam vel *congruitas* ad præmium inducitur.— Plura circa meritum Christi in dubium vocari possunt, nempe *an* absolute mereri potuerit, quonam *tempore* quibusve *actibus* et *quid* hoc modo *sibi* comparaverit : de merito enim in gratiam *aliorum*, articulo sequenti sermo habebitur.— Materia offertur trium conclusionum.

Conclusio 1ª. —CHRISTUS PROPRIE MERERI POTERAT ; quod *de fide* est post definitionem *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 7).

Patet enunciata veritas ex ipsis *conditionibus* meriti [1].— Hæ enim conditiones ad tres principaliores reduci possunt : nimirum (prouti docet *S. Thomas* 3 S. D. XVIII, Q. I, a. 2) una est *libertas* actus cujus merens sit dominus ; altera *status* merendi seu status viæ ; tertia quoque *gratia* seu caritas, cujus vi meritum supernaturale divinæque mercedi proportionatum habeatur. Atqui patet ex præcedentibus Christum fuisse libertate arbitrii dominum suorum actuum ; nec caruisse statu merendi, in quantum simul erat comprehensor et viator ; amplius uberrima gratiæ caritatisque munera inde ab initio recepisse. Ergo.

Conclusio 2ª.—CHRISTUS A PRIMO INSTANTI SUÆ CONCEPTIONIS ET PER OMNES ACTUS SUOS HUMANOS MERUIT.

1ª *Pars* asseritur contra *paucos* :— 1° ex verbis s. Pauli (Heb. X, 5-7) : *Ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi... Tunc dixi : Ecce venio ; in capite libri scriptum est de me : Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*— 2° *Ratione* (Q. XXXIV, aa. 2-3). Etenim Christi dignitas requirebat ut statim ab initio, re obstante nulla, rationis subindeque voluntatis liberæ actum exerceret ; eo magis quia sanctificatio, quæ jam tunc ejus animam cohonestabat, non solum habitualis, sed et pro perfectione sua actualis fuit. Atqui motus liberi arbitrii in opere sanctificationis meritorius est. Ergo.

2ª *Pars* intelligenda est de actibus positis in *statu viae*, extra quem Christus per instans *mortis* constitutus fuit : unde

[1] — Cf. tract. nost. *de Gratia*, Disp. V, Q. II, a. 1.

in hoc instanti mereri non potuit (Q. I, a. 6), nec posteriori tempore.

Prob. pars ista :— 1° ex Angelico Doctore (3 S. *loc. cit.*) : « Similiter et omnis actus ejus informatus erat caritate ; et iterum actûs sui dominus erat per libertatem voluntatis ; et ideo *omni* actu suo meruit ».— 2° *Ratio* efficax petitur ex art. præcedente : quandoquidem ibi dictum est omnes Christi actiones, etiam vegetativas et naturales, quodammodo fuisse humanas seu voluntarias. Porro nihil Christus volebat nisi ex supremo motivo caritatis, quo merita supernaturalia foventur. Ergo.

Conclusio 3ª. — POTUIT CHRISTUS SIBI MERERI, NON QUIDEM DONA INFUSA ANIMÆ RATIONALI, SED INFERIORA ALIA EXTERNAQUE BENEFICIA.

1ª *Pars* manifestæ rationi innititur.— Nobilius est, cæteris paribus, quidpiam consequi *per meritum* quam sine merito. Atqui omnis perfectio et nobilitas Christo attribuenda est. Ergo. *Maj.* innotescit ex eo quod præstantius est consequi aliquod bonum *per se* quam *per aliud*. Atqui, licet *prima* causa omnium bonorum nostrorum per auctoritatem sit Deus, potest tamen quis *secundario*, nempe cooperatione meritorum suorum, *sibi* esse *causa* alicujus boni comparandi. Ergo.

2ª *Pars* negat Christum sibi meruisse dona animæ rationalis, qualia sunt *gratia*, *scientia* et *beatitudo* essentialis.— Id enim non congruebat Christum sibi promereri, cujus carentia magis ejus dignitati et perfectioni præjudicasset quam per meritum accrevisset. Atqui dona recensita erant hujusmodi; quippe exigebantur vi Unionis hypostaticæ, nec, si Christus eis aliquando caruisset quæ dein mereretur, meriti perfectio æquivalenter supplevisset defectum ex eorum carentia momentanea provenientem. Ergo.

3ª *Pars* (contra *Calvinum*) affirmat Christum potuisse nonnulla alia bona sibi mereri, scil. bona pertinentia ad *gloriam corporis* et ad *exteriorem excellentiam*, uti est ascensio, veneratio, ceteraque hujusmodi.

1° Hoc *fide* constat ex manifestis *Scripturae eloquiis*. Nam legitur (Luc. XXIV, 26) : *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* scil. corporis. Item (Phil. II, 8-9) : *Humiliavit semetipsum, factus obediens, usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum*, etc.— Huc refertur sententia celeberrimi psalmi CIX : *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput* (cf. Bellarm. *Expl.* in Ps.).

2° Jam ostensum est congruum admodum fuisse ut Christus aliquid sibi mereretur, dummodo nullum inconveniens

obsisteret. Atqui potuit Christus carere ab initio gloria corporis cæterisque bonis extrinsecis, sequenti merito comparandis, absque ullo majoris vel etiam æqualis dignitatis detrimento : siquidem bona illa quiddam minus sunt quam nobilitas merendi ad virtutem caritatis pertinens. Ergo.— Hac de re *notare* juvat quod habet *S. Thomas* (Q. XXXIV, a. 3 ad 3) : « Nihil prohibet idem esse alicujus ex diversis causis ; et secundum hoc Christus gloriam immortalitatis quam meruit in primo instanti suæ conceptionis, potuit etiam posterioribus actibus et passionibus mereri, non quidem ut esset sibi magis debita, sed ut sibi *ex pluribus causis* deberetur [1] ».

Solv. obj. (cont. 3am concl.).— Obj. 1. — Nullus meretur id quod est sibi debitum. Atqui Christo ratione Unionis hypostaticæ debetur hæreditas æterna. Ergo.

Resp. *D. M* :... quod est sibi debitum et ita connaturale ut statim conferri petat, *C ;* quod est sibi debitum uno titulo, sed posterius conferri potest accedente novo titulo, *N.*— *C. d. m* :... in quantum est Filius Dei, per *naturam* debetur gloria æterna, *C ;* in quantum est homo-Deus, *S. d :* debetur gloria animæ *sine merito* et gloria corporis *cum merito, C ;*... utraque excluso omni merito, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.—Habito principali, accessorium non proprie cadit sub merito. Atqui gloria corporis ex gloria animæ accedit. Ergo.

Resp. *D. M* :... accessorium *absolute* sumptum, *C ;* accessorium secundum congruentiam humanorum meritorum, *N.* — *C. d. m* :... qualitercumque, *N ;* quatenus homo, exercens actum animæ in corpore, meretur remunerari per gloriam ex anima ad corpus redundantem, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Eatenus Christus sibi gloriam externam meruisset, quatenus hæc esset suum bonum Atqui gloria externa non est bonum ipsius Christi, sed eorum qui illum cognoscunt. Ergo.

Resp. *Trans. M.*— *D. m* :... non est bonum Christi spectati in suo corpore *mystico, N ;* non est bonum Christi *ipsius, S. d :* principalius, *C ;* secundario et secundum esse quod habet in notitia et affectu Christicolarum, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum Christus aliis mereri potuerit.

Titulus accipiendus est de merito *condigno ;* quod singulariter Christo competit, licet justi homines possint mereri

[1] — Vid. plura circa h. art. apud Gonet, Billuart, etc.

quidpiam aliis *de congruo*.— Brevi oratione determinabimus *an* et *quid* Christus cæteris mereri valuerit.

Conclusio 1ª. — MERITUM CHRISTI AD ALIOS DERIVATUR, ITA UT VALOREM VERE INFINITUM ADEOQUE INEXHAUSTUM PRÆ SE FERAT.

1ª *Pars* est *de fide*, ut constat ex *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 7).

1° Etenim legimus (Rom. V, 18) : *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.* Atqui demeritum Adæ derivatur ad condemnationem aliorum. Ergo meritum Christi etc.— 2° In Christo gratia fuit non solum ut in quodam homine singulari, sed ut in *Capite* totius Ecclesiæ, cui omnes velut membra uniuntur ad efformandam unam personam moralem. Atqui in uno homine actio capitis quodammodo pertinet ad omnia membra quæ inde motum et influxum accipiunt. Ergo meritum Christi se extendit ad alios, veluti ad membra mystici sui corporis.

2ª *Pars* additur circa meritorum Christi *valorem*, quem post *Gonet*, *Joan. a S. Thoma*, etc., vere infinitum pronuntiamus.

1° Namque id deducitur ex *Clemente VI* (in Extrav. *Unigenitus*), ubi, loquens de thesauro Ecclesiæ, ait : « De cujus consumptione aut diminutione non est aliquatenus formidandum, propter *infinita* merita Christi ».— 2° Hoc ipsum duplici *ratione* suadetur. *a*) *A priori* quidem : nam valor meriti dijudicandus est non solum secundum principium *quo* operis, at etiam secundum subjectum *quod* operatur. Atqui in Christo subjectum *quod* erat divina persona infinitæ sanctitatis : ergo. *b*) *A posteriori* vero : quia merita Christi talia sunt quæ etiam ad infinitos homines salvandos conducere valent.

Conclusio 2ª. — CHRISTUS NOBIS MERUIT, PRÆTER JUSTIFICATIONEM, GRATIARUM AUXILIA AD SALUTEM DISPOSITIVA, VIRTUTES ET DONA, GLORIAM, DENIQUE OMNES PRÆDESTINATIONIS NOSTRÆ EFFECTUS.— Meritum illud, saltem quoad *justificationem*, definivit *Conc. Trid.* (l. cit.).

1° Præsto est *Scripturae* auctoritas (Eph. I, 3) : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo ;* ubi patet omnia beneficia spiritualia a Christo repeti, profecto secundum meritum. Hinc etiam dicitur (Joan. XV, 5) : *Sine me nihil potestis facere.*— 2° Eo spectant verba *S. Thomae*

(*de Ver.* Q. XXIX, a. 7 ad 8) : « *Meritum* Christi sufficienter operatur ut quædam *causa* universalis *salutis humanae ;* sed oportet hanc causam applicari singulis per *sacramenta* et per *fidem formatam* quæ per dilectionem operatur. Et ideo requiritur *aliquid aliud* ad salutem nostram præter meritum Christi, cujus tamen meritum Christi est *causa* ».— Amplius 3° *dignitati Christi* Salvatoris hoc apprime consonabat, nimirum ut influxu suo meritorio attingeret *omnia* ea quæ salutem humanam attinent.

Solv. obj.— Obj. 1.— Meritum se habet ad merentem, sicut peccatum ad peccantem. Atqui peccatum non nocet nisi peccanti ipsi, juxta illud (Ezech. XVIII, 4) : *Anima quae peccaverit, ipsa morietur.* Ergo meritum non proficit nisi merenti.

Resp. *C. M.*— *D. m :* peccatum *singularis* personæ... *C ;* peccatum *capitis* totius naturæ, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— De plenitudine gratiæ Christi omnes accipiunt. Atqui nullus ex eis potest aliis condigne mereri. Ergo.

Resp. *D. M. :*... omnes accipiunt ipsum gratiæ *fontem, N ;* quamdam *particularem* gratiam, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Merces, quam quis condigne meretur, debetur secundum justitiam. Atqui plures reapse neque justificantur neque salvantur. Ergo Christus eis non meruit gratiam.

Resp. *D. M :*... respectu merentis, *C ;* respectu alterius cui mercedis bonum destinatur, *N.*— *D. m :*... et iis debetur merces operum Christi, *N ;* Christo ipsi debetur ut homines illi salventur, *S. d :*... ut eis gratia *sufficiens* salutis exhibeatur, *C ;* gratia *efficax, N.*— *Neg. conseq.*

Quæ bona atque beneficia Christus nobis meruit, ea *ipsi* ex justitia *debentur ;* attamen *respectu nostri* sunt omnino *gratuita.*— Eadem autem duplici modo meruit Christus, videl. *sufficienter* et *efficaciter,* sufficienter pro omnibus, efficaciter vero pro iis qui per baptismum et fidem Christo incorporantur ; quæ præferentia innui videtur (Joan. XVII, 9) : *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi*[1].

[1] — Alia dubia soluta reperies apud D. Th., *de Ver.* Q. XXIX, a. 7.

DISPUTATIO QUINTA

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM RELATIVE

Sequitur ut ad ea veniamus quæ Unionem comitari intelliguntur *relative*.— Duplex autem Christi relatio seu habitudo distingui potest, una inter ipsum et *Patrem*, altera per comparationem ad *nos*.— Sub primo respectu, habitudo aut Christi *ad Patrem* (Q. I) aut Patris *ad Christum* (Q. II) vicissim tractanda objicitur. Sub alio respectu duo præstanda sunt, quatenus investigetur Christus honore colendus *in se* (Q. III) vel *in sanctis* suis (Q. IV).

QUÆSTIO PRIMA

DE SUBJECTIONE, ORATIONE ET SACERDOTIO CHRISTI

Ipse quæstionis titulus suadet, quæ quove ordine discutienda sint ; cum autem de *sacerdotio* Christi dubitatio subeat, *an* et *quale* fuerit, idcirco quatuor articulorum materia habebitur.

ARTICULUS I.

De subjectione Christi.

(Q, XX, aa. 1-2)

1° Principalius inquiritur an Christus dici possit *subjectus Patri* ejusque servus ; at secundario solvendum erit dubium, an Christus sit subjectus *sibi* ipsi.

2° Ad subjectionem refertur servitus quasi species ad genus.— Concedunt quidem omnes Christum, ratione humanæ naturæ,. utcumque Patri esse *subjectum ;* negant tamen *Vasquez*, *Becanus* aliique (Patrum quorumdam sententiis innixi), eum proprie posse vocari *servum*.

3° In hac enodanda difficultate fac distinguas duplicem servitutem. Una est enim servitus *naturalis*, hoc est, originem vel naturam consequens, secundum quam aliquis alteri

subditur, v. g. filius patri, creatura Deo ; altera est servitus *innaturalis* ac pœnalis, qua quis a proprio statu in vilem quamdam conditionem dejicitur sive *legaliter* (servitus captivitatis) sive *moraliter* (servitus peccati).— Prior servitus, non posterior de Christo prædicanda est.

Conclusio 1ª. — NIHIL PROHIBET CHRISTUM DICERE PATRI SUBJECTUM VEL SERVUM, DUMMODO APPONATUR VEL SUBINTELLIGATUR DETERMINATIO : « SECUNDUM HUMANAM NATURAM.»

1ª *Pars* ostend.— Et 1° favent *Scripturæ ;* nam legitur (Joan. XIV, 28) : *Pater major me est ;* minor vero est subjectus majori. Et (Is. XLII, 1) futurus Liberator sic designatur : *Ecce servus meus, suscipiam eum.*

2° Quod ad *Patres* pertinet, non eadem dicendi forma ab eis adhibita est. Plures quidem (quos citat *Petavius*, l. VII, c. 7) Christum servum nuncuparunt aut proprie nuncupari posse arbitrati sunt ; e quibus inter Græcos *Athanasius, Greg. Naz.* et *Nyss.* etc ; inter Latinos vero *Ambrosius, Augustinus,* etc.— Alii tamen, ut *Dionysius* Alex., *Joan. Damasc.*, renuunt servi appellationem Christo tribuere ; quibus adjungi debet *Adrianus P.* in epistola quam scripsit ad episc. Hispaniae contra hæresim Felicis et Elipandi, necnon *Francofordiensis Synodus* adversus eamdem hæresim coacta.— Sed, ut scite observat laudatus auctor (l. VII, c. 9, n. 12), qui servum dici noluerunt de servitute locuti sunt quæ *necessaria* est ex sese, non voluntaria, et *personam* ipsam, non naturam consequitur, aut quæ ex naturæ *vitio* et corruptela oritur.

3° *Ratione* sic procedimus.— Christo, utpote habenti naturam humanam, conveniunt ea quæ sunt propria hujus naturæ. Atqui natura humana ex sui conditione præ se fert triplicem subjectionem ad Deum : *unam* quidem *inæqualitatis*, quatenus divina natura est ipsa essentia bonitatis, dum natura creata participative tantum bona est ; *secundam* vero *servitutis*, secundum quod omnis creatura subjacet ordinationi divinæ potestatis eique deservit ; *tertiam* tandem *obedientiæ* naturæque rationalis propriam, in quantum hæc natura voluntatis actu mandatis divinis obsequitur. Ergo Christo triplicem hunc subjectionis modum tribuere debemus, prout ipsæ *Scripturæ* de eo profitentur ; nam prima subjectio continetur (Matth. XIX, 17) ubi Christus ait : *Quid me interrogas de bono ? Unus est bonus, Deus ;* altera exprimitur (Phil. II, 7) : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens ;* tertia a Christo adstruitur (Joan. VIII, 29) : *Ego quae placita sunt ei, facio semper.*

2ª *Pars* decl. (ex art. 1, resp. ad 1-2).

Nam 1° sicut ratio *creaturae* de Christo prædicari non potest nisi *restrictive*, i. e. secundum naturam creatam ; ita non est simpliciter intelligendum quod Christus sit subjectus Patri, sed addita vel subaudita *determinatione :* « secundum *humanam naturam ;* » quam determinationem satius est exprimere ad vitandum errorem Arianorum Filium Dei minorantium.— 2° Id autem non ita accipitur quasi subjectio vel servitus naturæ ipsi directe tribuatur ; sed, quoniam suppositi est suscipere prædicationem actionis et passionis subindeque dominii et servitutis, Christus proprie servus denominatur *secundum* naturam humanam.

Conclusio 2ª. — CHRISTUS NON EST DICENDUS SUBJECTUS SIBI IPSI NISI SIGNATA RATIONE HUMANÆ NATURÆ, NON HYPOSTASIS.

Prob.— Sapientissima *regula* est quam tradit *D. Thomas*, scil : illa *per se* et *absolute* dici possunt de Christo quæ *manifeste* ei conveniunt ratione personæ vel naturæ divinæ, v. g. esse maximum, dominum ; quæ vero ei competunt secundum humanam naturam, potius ei attribuenda sunt *cum determinatione* (nisi nullum sit ambiguitatis periculum, ut v. g. quando dicimus Christum mortuum). Atqui propositio illa « *Christus est subjectus sibi ipsi* » ambiguitate non vacat : siquidem sensus esse potest quod alia sit persona Verbi Dei dominantis, et alia hominis servientis, quo sensu prorsus *Nestoriano* prop. illa negata est a *SS. Cyrillo* et *Damasceno;* potest autem id ipsum intelligi secundum diversitatem naturarum in una persona, et hoc sensu orthodoxo *Augustinus* dixit Filium esse *seipso minorem.* Ergo.

ARTICULUS II.

De oratione Christi.

(Q. XXI, aa. 1-4)

1° Subjectionem Christi ad Patrem excipit *oratio*, quæ inferiori convenit respectu superioris.— Qua de re tria investiganda occurrunt, scil. *an* Christo competat orare, pro *quibus* oraverit, et quâ *efficaciâ.*

2° Cum oratio sit « quædam explicatio propriæ voluntatis apud Deum ut eam impleat » (art. 1), patet illam non esse actum sensualitatis, sed *potentiae rationalis* qua ex virtute religionis petimus decentia a Deo.— Dupliciter autem quis

orare potest, corde et ore : de utraque oratione *mentali* et *orali* quæstio indiscriminatim instituitur.

3° Quod Christus *in terris* utcumque oraverit, nemo est qui neget.— Num vero *in cœlis* nunc existens vere et *proprie* pro nobis deprecetur, controversum dubium est. Duo quidem constant, scil : *a*) Christum nunc pro nobis orare *improprie* seu interpretative, quatenus exhibet humanitatem suam cum cicatricibus, meritis et satisfactionibus, quibus Pater ad conferenda nobis beneficia movetur ; *b*) præterea, Christo glorioso nequaquam convenire orationem externis *abjectionis* signis, v. g. prostratione, expressam. *c*) Sed dubitatur utrum oratio *proprie* dicta, salva exigentia status gloriosi, Christo competere possit.

Conclusio 1ª. — CHRISTO IN TERRIS CONVENIEBAT ORARE, IMO ETIAM NUNC IN CŒLO CONVENIT.— Christum intelligimus, secundum quod est *homo*.

1ª *Pars* evincitur :— 1° ex eo quod *Scriptura* evenisse narrat (Luc. VI, 12) : *Factum est autem in illis diebus exiit orare, et erat pernoctans in oratione Dei ;* et (*ibid.* XI, 1) ; *Cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum : Domine, doce nos orare.* Quibus adjungas verba *SS. Hilarii, Ambrosii, Augustini* (ap. Auctorem), etc.— Nec alienum a veritate erit dicere quod, Christo inde ab exordiis et jugi mentis ascensu supremam Majestatem comtemplante, tota ejus vita *quasi continua oratio* esxtiterit.

2° *Ratione*, duplici ex capite.— *a*) Primo *ex parte Christi*. Oratio est veluti voluntatis interpres, a Deo petens ut præstare dignetur quæ in votis sunt ; quo quidem medio Deus prædisposuit plura implenda esse quæ cæteroquin secundum divinam præscientiam certo futura sunt[1]. Atqui in Christo, licet sit divina voluntas per quam omnia potest, est tamen et voluntas *humana* quæ non est per se efficax ad implendum ea quæ vult, nisi mediante virtute divina. Ergo Christo, quatenus est homo et humanam voluntatem habens, competit orare.— *b*) Secundo *ex parte nostri*. Christus enim, quamvis ut Deus esset omnipotens, voluit tamen ad Patrem preces dirigere propter nostram instructionem tum dogmaticam tum moralem : *dogmaticam* quidem, ostendendo se esse a Patre, juxta illud (Joan. XI, 42) : *Propter populum qui circumstat dixi* (verba orationis), *ut credant quia tu me misisti ;*

[1] — Cf. II-IIæ, Q. LXXXIII, a. 2 ; quæ *D. Thomae de Oratione* quæstio (capta occasione dicam), una cum tract. *S. Alphonsi de Lig.* de *magno precationis adjumento*, uberrimam ac solidissimam meditationis et prædicationis materiam subministrat.

moralem vero nobis præbendo exemplum orandi spiritu et lingua, privatim et publice.

2ª *Pars*, quam nonulli negant, verius affirmatur :— 1° propter verba *Scripturæ* de Christo (Rom. VIII, 34) : *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis ;* et (Heb. VII, 25) : *Semper vivens ad interpellandum pro nobis ;* ubi vox *interpellare* tum latine tum græce petitionem significat.

2° Ob suffragium *Doctorum*, præsertim *S. Augustini* et *S. Thomæ*.— Ait ille (in Ps. LXXXV, n. 1) : « Sitque ipse unus... D. N. J. C. Filius Dei qui et oret pro nobis, oret in nobis, et oretur a nobis : orat pro nobis, ut Sacerdos noster ; orat in nobis, ut Caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus noster.»— *Angelicus* vero (*Comm.* in Heb. VII, 25), post relata verba (1 Joan. II, 1) *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum*, scribit : « Interpellat pro nobis, primo humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, repræsentando ; item sanctissimæ animæ suæ *desiderium*, quod de salute nostra habuit, exprimendo.»

3° Neque obstat quod Christus, egressus de statu viatoris, mereri amplius non possit.— Siquidem *a*) confundenda non est vis *impetrandi*, propria *orationis*, cum vi *merendi operibus* condignis vel congruis insita[1]. b) Unde Christus, causam nostram agens modo consentaneo statui gloriæ, pro nobis interpellat, non merendo, sed precedentia *merita allegando* (ut docet *D. Th.* in 1 Joan. II)[2].

Conclusio 2ª. — CHRISTUS NON SOLUM PRO NOBIS, SED ET PRO SEIPSO IN TERRIS CONVENIENTER ORAVIT.

1ª *Pars* perspicua est ex *Evangelii* verbis et ipso *Incarnationis* fine.— Referre sufficiat orationem illam (Joan. XVII, 20) : *Non pro eis autem* (discipulis) *rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.*

2ª *Pars* ostend.— Dupliciter Christus pro se orasse in *Scripturis* narratur : *uno modo*, exprimendo affectum sensualitatis ac voluntatis simplicis vel naturalis, v. g. quando oravit a se calicem passionis transferri ; *alio modo*, significando affectum voluntatis deliberatæ, puta quando petiit clarificari. Atqui utraque oratio conveniens fuit :— 1° Congruebat ut Christus veluti *sensualitatis naturæque* interpres oraret, propter tria : nempe *a*) ut demonstraret veritatem humanæ naturæ cum suis naturalibus affectibus susceptæ ; *b*) ut osten-

[1] — Cf. II-IIæ, Q. LXXXIII, a. 15.

[2] — De hac controversia cf. Suarez, Disp. XLV, S. 2 ; — Petavium, l. XII, c. 8.

deret homini licere aliquid naturali affectu velle quod Deus non vult ; *c*) item, ut nos doceret proprios affectus divinæ voluntati subjicere.— 2° Decebat etiam Christum ex *voluntate deliberata* pro se orare, sive gratias agendo, sive bona nondum habita postulando, v. g. gloriam corporis, ut disceremus et de perceptis jam muneribus auctori Deo gratulari et sperata beneficia precibus deposcere.

Conclusio 3ª. — OMNIS PROPRIE DICTA CHRISTI ORATIO EXAUDITA FUIT.

1° Christus, Patrem alloquens, ait (Joan. XI, 42) : *Ego sciebam, quia semper me audis ;* et (Heb. V, 7) de eo dicitur : *Preces supplicationesque... cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia,* i. e. erga Patrem. — Sane, tunc proprie alicujus exauditur oratio, quando ejus voluntas simpliciter impletur. Atqui voluntas hominis *simpliciter* est deliberata ; illud autem quod volumus motu sensitivo vel naturali, volumus *secundum quid* et per modum velleitatis tantum, nempe si aliud non obstet ex parte rationis. Ergo oratio proprie et simpliciter exauditur, quando voluntas deliberata impletur. Atqui secundum hanc voluntatem, apprime Deo conformem, Christus nihil aliud voluit nisi quod scivit Deum velle. Ergo.

2° *Objectioni* de *translatione calicis,* quam diversimode Patres exponunt, sic occurritur : *a*) Aut Christus per hoc petiit alios martyres suæ passionis imitatores fieri, vel se timore non perturbari vel morte non detineri, et tunc impleta est oratio. *b*) Aut petiit omnino amoveri calicem mortis sibi a Judæis paratæ, et tunc æstimandum est petitionem hanc sensualitatis et naturæ fuisse quidem a Christo, humano more ad Patrem directam, non tamen fultam et approbatam oratione proprie dicta voluntatis deliberatæ (a. 4 ad 1). — Reliquæ objectiones de eodem argumento facile solvi poterunt, dummodo distinguatur oratio voluntatis *antecedentis* et voluntatis *consequentis.*

ARTICULUS III.

De veritate sacerdotii Christi.

(Q. XXII, aa. 1 et 6)

1° « Quamvis orare sit omnium, præcipue tamen est sacerdotum munus » (Satolli in Q. XXII) ; unde logico gradu ferimur de oratione Christi ad ejus *sacerdotium* consideran-

dum, in quo potissima est *Mediatoris* ratio.— « Alii homines particulatim habent quasdam gratias ; sed Christus, tanquam omnium caput, habet perfectionem omnium gratiarum ; et ideo quantum ad alios pertinet, alius est *legislator*, et alius *sacerdos*, et alius *rex ;* sed hæc omnia concurrunt in Christo tanquam in fonte omnium gratiarum. Unde dicitur (Is. XXXIII, 22) : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster ipse salvabit nos* » (art. 1 ad 3).

2° Duo circa sacerdotium Christi in præsenti adstruenda sunt, scil. ejus *veritas* et *excellentia* (de effectu enim illius et sacrificio Crucis dicetur infra.)— Quæstio autem de veritate, quæ hujus est articuli, tria complecti videtur, videl. *an* Christus sit vere sacerdos, quanam *ratione formali*, et secundum quemnam *ordinem :* inde tres conclusiones.

Conclusio 1ª.— Christo maxime convenit esse sacerdotem, ut *fide* constat ex *Conc. Trid.* (Sess. XXII, cap. I) : « Oportuit... sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, D. N. J. Christum.»

1° *Scriptura* diserte id tradit, præsertim verbis B. Pauli qui in ep. ad Hebræos tam multis sententiis sacerdotium Christi commendat et super sacerdotium Aaronicum extollit ; ait Ap. (IV, 14) : *Habentes Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Iesum Filium Dei, teneamus confessionem.*— Hinc sacerdotes V. T. ordinabantur ad figurandum Christum, ut docet *D. Thomas* (I-IIæ, Q. CII, a. 3) : « Potissimum sacrificium est quo ipse Christus *seipsum obtulit Deo in odorem suavitatis*, ut dicitur Eph. V, 2, et propter hoc omnia alia sacrificia offerebantur in veteri lege ut hoc unum singulare et præcipuum sacrificium *figuraretur*, tanquam perfectum per imperfectum.»

2° *Ratio* hoc ipsum ex *natura rei* comprobat.— Sacerdos proprie dicitur is qui electione et consecratione speciali constituitur ut, mediatoris munere fungens, sacra populo tradat, populi preces Deo præsentet, maximeque offerat dona et sacrificia pro peccatis. Atqui hæc perfectissime Christo conveniunt : ergo.

Maj. decl. a) Imprimis sacerdos etymologice sonat quasi *sacra dans*, sicuti pontifex intelligitur quasi *pontem erigens* hominem inter et Deum. *b*) Duplex autem distinguitur sacerdotium : unum quidem *improprie* dictum, in quo quis seipsum suosque actus Deo interne offert veluti spiritualem hostiam ; aliud vero *proprie* sumptum ad hoc potissime institutum ut Deo aliquid exterius offeratur in protestationem divinæ subjectionis (II-IIæ, Q. LXXXV, a. 4). *c*) Propriam

hujus sacerdotii (de quo loquimur) indolem sic describit Ap. (Heb. V, 1) : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus* (electio) *pro hominibus constituitur* (auctoritativa consecratio et finis) *in iis quæ sunt ad Deum* (communis materia sacerdotii), *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (actus proprius qui est sacrificium)[1].

Min. ostend. a) Siquidem Christus ab instanti Incarnationis sacerdos, præ reliquis sacerdotibus necnon angelis, unctus et constitutus est, juxta illud (Ps. XLIV, 8) : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. b*) Per eum autem Deus *maxima et pretiosa nobis promissa donavit* (2 Pet. I, 4), scil. Legem, gratiam, etc. *c*) Ipse, præterea, preces per totam vitam pro nobis nostroque nomine ad Patrem effudit. *d*) Maxime sacrificium Deo obtulit (cruentum in Cruce, incruentum in altari), quia *complacuit... per eum reconciliare omnia in ipsum per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt* (Coloss. I, 19-20). *e*) Unde et Deus refertur solemni juramento tantum constituisse Pontificem : *Iuravit Dominus... tu es sacerdos in æternum* (Ps. CIX, 4).

Conclusio 2ª. — CHRISTUS EST SACERDOS, SECUNDUM QUOD HOMO, scil. secundum quod est persona divina subsistens in humana natura (contra Arianos et Nestorianos.)

Sane sacerdotium pertinet ad Christum mediatorem ceu proprium officium. Atqui *mediatio* est Christi-hominis tum ontologice, tum moraliter. *Ontologice* quidem : quia sub ratione illa, eaque tantum, divini suppositi subsistentis in humanitate, distat secundum medietatem quamdam ab utroque extremorum, scil. a Deo in natura, et ab hominibus in dignitate gratiæ et gloriæ ; *moraliter* vero, quatenus ei sic convenit conjungere homines Deo, præcepta et dona Dei ad eos deferendo et pro eis satisfaciendo et interpellando[2].

Conclusio 3ª. — RECTE SACERDOTIUM CHRISTI ESSE DICITUR SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH, prout Scriptura (Ps. CIX, 4 ; Heb. VI, 20) universaque traditione designari solet.— Quod intelligendum est, non quasi Christus sacerdotium suum

[1] — Ad sacra munera significanda pontifex V. T. ferebat in pectore inscripta verba ista : *Doctrina* et *Veritas* (in heb. lux et perfectio), aliaque hæc in fronte : *Sanctum Domino* (Exod. XXVIII, 30 et 36) ; quatenus sacerdos est apud homines authenticus veritatis divinæ interpres sanctitatisque administer.

[2] — III, Q. XXVI, a. 2.

a Melchisedech derivaverit, sed quia iste specialius quam reliqui sacerdotes V. L. Christum præfiguravit.

1° Revera *Melchisedech*, rex *Salem*, idem sonat ac rex justitiæ et pacis (Heb. VII, 1-2) : quod eminenter fuit Christus. — 2° Sacerdos ille exhibetur *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens* (*ibid.* 3), non quia istis caruerit, sed Scriptura contra morem silente. Unde per hoc *assimilatus* est *Filio Dei* (*ibid.*), cujus nec est in terris pater, nec in cœlis mater, nec initum vel finis secundum divinitatem.— 3° Narratur Melchisedech, acceptis ab Abraham decimis, ipsi *benedixisse* simulque sacerdotibus legalibus in eo seminaliter existentibus ; per quod jam præfigurabatur excellentia sacerdotii Christi super sacerdotium Aaronicum.— 4° Tandem Melchisedech obtulit in sacrificium *panem et vinum* (Gen. XIV, 18) ; in quo non solum sacra Eucharistia, sed et fructus ecclesiasticæ unitatis per sacerdotium Christi inductæ, expressius significabatur quam in sacrificiis legalibus cruentis.[1].

ARTICULUS IV.

De excellentia sacerdotii Christi.

(Art. 2-5).

Pauca *prænotentur*.— 1° Sacerdotium multiplex recensetur, scil. *Patriarchale* sub lege naturæ[2], *Aaronicum* sub lege mosaïca, *Christianum* sub lege nova, quod vel *fontaliter* in ipso Christo vel *participative* in ejus ministris accipitur.— 2° Insuper, sacerdotium Christi spectari potest vel *formaliter* seu secundum se, vel *objective* seu ratione hostiæ ad quam immolandam præcipue ordinatur, vel *effective* seu quoad effectus suos, vel *finaliter* seu quoad durationem et effectuum suorum consummationem.

Conclusio.— CHRISTI SACERDOTIUM EXCELLENTISSIME COMMENDATUR RATIONE SUÎ, NECNON RATIONE DIVINÆ HOSTIÆ OBLATÆ, INFINITÆ EFFICACIÆ, ÆTERNÆQUE DURATIONIS.— Quatuor partes singillatim declarandae sunt.

[1] — Circa h. art. cf. Petavium, l. XII, c. 11 ; Suarez, Knoll, etc.

[2] — Docet *D. Thomas* (II-IIæ, Q. LXXXV, a. 1 ad 1): « Oblatio sacrificii *in communi* est de lege *naturali ;* et ideo in hoc omnes conveniunt ; sed *determinatio* sacrificiorum est ex institutione *humana* vel *divina :* et ideo in hoc differunt.» Unde eruitur *sacerdotium*, correlativum sacrificii, fuisse de lege naturæ communiter, speciali vero hominum determinatione tempore patriarchali indiguisse.— Cf. *Suarez*, Disp. XLVI, S. 3.

1ª *Pars.*— Sacerdotium Christi imprimis præeminet quodlibet aliud *secundum se* :— 1° Ob *originem*. Non enim Christus deputatus est sacerdos electione hominum, nec successionis jure manante a tribu Levi et stirpe Aaronica (fuit quippe secundum humanitatem de tribu Juda, ut constat ex Heb. VII, 14), sed singularissima electione Dei per Unionem hypostaticam quasi per ineffabilem unctionem, ut apparet ex Heb. (X, 4-7).— 2° Ob sacerdotis *augustissimam personam ;* Christus namque non est purus homo, sed simul verus Deus infinita perfectione et sanctitate præcellens ; unde (Heb. VII, 26-27) : *Talis decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.*— 3° Ob *plenitudinem potestatis*, quæ in Christo viget, juxta illud (Matth. XXVIII, 18) : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Christus enim nec superiorem habet sacerdotem a quo dependeat, nec æqualem quocum eamdem potestatem participet ; sed omnis sacerdotalis potestas ad sacerdotium Christi refertur sive ut *præparatio* sive ut *derivatio*. « Christus, ait Auctor (hic, art. 4), est fons totius sacerdotii. Nam sacerdos legalis erat figura ipsius ; sacerdos autem novæ legis in persona ipsius operatur.» Unde a sacerdotio Christi differt aaronicum ut umbra a veritate, evangelicum vero ut participatum et particulare ab imparticipato et universali[1].

2ª *Pars.*— Excellentia sacerdotii Christi amplius pensanda est *ex patre hostiæ* oblatæ, quæ, secus ac in sacerdotio antiquo, non alia est quam ipse offerens (Eph. V, 2) :— Hinc 1° dum sacerdotes Aaronici imperfectas victimas sæpius immolabant (Heb. X, 1), *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* (*ibid.* IX, 28).—2° Hæc hostia præstantissima eminenter præhabet quidquid virtutis est in omnibus aliis hostiis. Nam in V. L. triplex erat hostiarum genus : una *pro peccato*, conveniens statui *pœnitentium ;* altera *pacifica*, oblata Deo vel pro gratiarum actione vel pro offerentium salute, et conveniens statui *proficientium ;* tertia *holocaustum* (quasi totum incensum) ad significandam plenissimam hominis subjectionem et conveniens statui *perfectorum*[2]. Jamvero tria hæc de humanitate Christi, Deo Patri oblata, prædicari possunt, quatenus per eam et peccata deleta sunt, et gratia confirmans accepta, et perfectio gloriæ comparata (art. 2).

[1] — Sylvius in h. loc.
[2] — Cf. I-IIæ, Q. CII, a. 3 ad 8.

3ª *Pars.*— Commendatur adhuc sacerdotium Christi ex *summa sua efficacia* :— Nam 1° sacrificia V. L. non poterant *per se* a peccato mundare, siquidem *impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata* (Heb. X, 4), sed erant tantum protestationes fidei in Christum venturum, cujus virtute homo justificabatur[1]. E contra, sacerdotium Christi, *infinitam* vim ducens ex infinita offerentis et hostiæ dignitate, efficaciam habuit ad perfectam peccatorum emundationem (Heb. IX, 14), deleta per gratiam macula culpæ et reatu pœnæ totius humani generis per plenariam satisfactionem sublato (art. 3).— 2° Verumtamen effectus tanti sacerdotii ad Christum non pertinet *simpliciter*, sed *secundum quid* tantum. Etenim alii sacerdotes proprium sacerdotii sui effectum participant, non ut sacerdotes, sed ut peccatores; Christus autem a peccato immunis fuit, etsi in carne passibili versaretur. Idcirco non indiguit sacrificio expiatorio, sed ex ipsa devotione, qua sacrificium crucis obtulit, gloriam resurrectionis consecutus est (art. 4).

4ª *Pars.*— Reliquum est ut *æternitatem* sacerdotii Christi (in quo a sacerdotio antiquo distinguitur) adstruamus, juxta illud (Ps. CIX, 4) : *Tu es sacerdos in æternum* :— Id asseritur triplici ex capite. 1° Ratione *personæ ;* Christus enim ita sacerdos est ut nec ipse cuiquam successerit, nec ipsi quisquam successurus sit, testante Ap. (Heb. VII, 23-24) : *Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere ; hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.*— 2° Ratione *officii ;* non solum enim *semper vivit ad interpellandum pro nobis* (*ibid.* v. 25), sed jugiter pro nobis incruente sacrificat per ministros seu vicarios suos, quippe est « idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit » (*C. Trid.* Sess. XXII, cap. 2).— 3° Ratione *effectus ;* nobis enim æterna procuravit bona, quæ sunt sacrificii consummatio, juxta illud (Heb. X, 14) : *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Scilicet, sicuti olim pontifix legalis semel in anno cum hostiarum sanguine intrabat in sancta sanctorum (Lev. XVI), ita (sed una perfecta oblatione) Christus cœlum ingressus est, nobis per sanguinem suum viam aperiens (art. 5)[2].

[1]— *Ibid.*, Q. CIII, a. 2.
[2]— De sacerdotio Christi leg. Monsabré, 42e Conf., 1879.

QUÆSTIO SECUNDA

DE FILIATIONE ET PRÆDESTINATIONE CHRISTI

Consideranda nunc sunt quæ Christo conveniunt secundum habitudinem *Patris ad ipsum ;* de quibus tria, duce Angelico, inquiremus : scil, an filiatio *adoptiva* prædicari possit de Christo (art. 1), an saltem *praedestinatio* (art. 2), et quænam sit relatio prædestinationis Christi ad prædestinationem nostram (art. 3).

ARTICULUS I.

Utrum Christus, secundum quod homo, sit filius Dei adopticvus.

(Q. XXIII, a. 4)

1° Distinguere est duplicem *filiationem*, *naturalem* unam, *adoptivam* alteram. Illa quidem est relatio fundata in reali communicatione ejusdem naturæ ; hæc vero, veluti prioris imitatio, definitur a juristis et theologis « personæ extraneæ in filium et hæredem gratuita assumptio [1] ».— Præsupponimus quod exploratum est, Christum ut *Deum* esse Filium Dei naturalem ; itidem justos, gratia habituali ornatos, haberi tanquam filios Dei adoptivos.— At quæstio exsurgit num Christus, quatenus *homo*, filius Dei adoptivus denominari possit.

2° Id de Christo-homine prædicari posse, *Felix*, epus Urgellitanus, et *Elipandus*, archpus Toletanus, circa finem sæc. VIII contenderunt. Quæ opinio quum duplici sensu intelligi queat, scil. sensu Nestorii ponentis in Christo duas personas, et sensu altero servante unitatem personæ, probabilius, imo certum videtur (ut sentiunt *Petavius*, l. I, c. 22, *Suarez*, *Billuart*, etc.) Felicem et Elipandum docuisse adoptianismum veneno Nestoriano infectum.— *Durandus* vero aliique nonnulli opinati sunt posse, salva personali unitate Christi, admitti in eo rationem filii adoptivi secundum humanitatem. — Præterea, *Vasquez* et *Suarez*, etsi cuicumque adoptianismi formæ repugnarent, singularem tamen opinionem invexerunt circa filiationem Christi, dicendo Christum ut hominem esse filium Dei naturalem, non æterna generatione, sed *gratia unionis* naturaliter afferente sanctificationem humanitatis et jus ad hæreditatem cœlestem.

[1] — Vid. tract. nost. *de Gratia*, Disp. V, Q. I.

3° Subjiciam Adoptianismum, contra quem strenue pugnarunt *S. Paulinus* Aquileiensis, *Alcuinus* et *Agobardus*, pluribus in Synodis (juvante Carolo Magno) proscriptum fuisse, maxime in Synodo *Francofordiensi* (a. 749) quæ ab *Adriano I* confirmata est. Disputant quidem theologi de sensu proprio illius damnationis ; at communior veriorque sententia est, Patres Francof. *directe* et per se reprobasse adoptianismum Nestorianum quem in scriptis sibi subjectis serpentem prospiciebant, *indirecte* autem proscripsisse quodlibet adoptianismi genus. Hinc opinio Felicis et Elipandi *hæretica* censenda est, altera vero Durandi, sin hæretica, saltem indubitanter falsa.

Conclusio.— CHRISTUS, QUATENUS HOMO, NULLO MODO DICENDUS EST FILIUS DEI ADOPTIVUS, SED NATURALIS TANTUM SECUNDUM ÆTERNAM FILIATIONEM TEMPORALITER HUMANÆ NATURÆ COMMUNICATAM.

1ª *Pars*, directa contra *Adoptianos*, sancita est in *Conc. Franc.* (ep. ad Episc. Hisp.) hisce verbis : « Si Deus generatus est, *nequaquam adoptivus*, sed Filius ; quia alia persona est proprii Filii, alia adoptivi filii servi ; » etc.

1° Sane validum est *Scripturae* argumentum.— *a*) Imprimis hic congruit observatio *S. August.* (l. cont. Secundinum Manich. c. 5) : « Lege itaque Scripturas, nusquam invenies de Christo dictum, quod adoptione sit Filius Dei ».— *b*) Immo Christus, ut homo vel per humanitatem agens et patiens, nominatur Filius Dei *unigenitus* et *proprius ;* v. g. (Joan. I, 18) : *Deum nemo vidit unquam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et (Rom. VIII, 32) : *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* In quem locum ait *S. Thomas* (lect. 6) : « Cum autem supra de multis filiis mentionem fecisset (Apostolus), dicens : *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum*, ab omnibus illis hunc filium separat, dicens : *Proprio filio suo*, i. e. non adoptato, ut hæretici mentiuntur, sed naturali et coæterno (1 Joan. V, 20) : *Ut simus in vero Filio ejus Jesu Christo*, de quo Pater dicit (Matth. III, 17) : *Hic est Filius meus dilectus* ».

2° *Traditionis* voces seu testimonia magna eruditione contulit *Petavius* (l. VII, c. 2), « quæ dum in utraque natura unicum eumdemque verum esse Dei Filium asserunt Christum, nullum in eo locum *adoptivo* minimeque naturali reliquum faciunt, quædam etiam *adoptivum* nominatim dici haberique prohibent ». Sic inter Græcos loquitur *Cyrillus Alex.* (De rect. Fid. ad Theod. n. 26) : « *Unus* est *Filius*,

unus Dominus J. C., et ante carnem, et posteaquam homo apparuit. » Inter Latinos *S. Augustinus* (Tract. VII in Joan. n. 4) : « Oportebat ergo ut ille baptizaret, qui est Filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii, ministri sunt Unici. Jnicus habet potestatem, adoptati ministerium ».

3° Suppetunt *rationes* theologicæ.

a) Etenim Christus, etiam ut homo, est Filius Dei naturalis. Atqui Filius Dei *naturalis* nullo modo potest dici filius adoptivus : *ergo. Maj.* constat : quia filiatio proprie et immediate convenit hypostasi vel personæ ceu enti completo [1], non autem naturæ ; nusquam enim natura appellari potest filia. Atqui in Christo non est alia persona vel hypostasis quam increata, cui convenit esse Filium per naturam. Ergo. *Min. prob.* Filiatio adoptionis est participata quædam similitudo filiationis naturalis. Atqui quod dicitur aliquid *per se* et naturaliter, nequit esse id ipsum *participative*. Ergo Christus nullo modo vocari potest Filius Dei adoptivus.— Ne detur in proposito cavillationis ansa, *advertendum* est Christum, etiam *quatenus* est homo, dici filium Dei naturalem, non quidem *reduplicative*, quasi hoc ab humanitate habeat tanquam a causa, sed *specificative* seu prouti subsistit in humana natura personaliter Verbo unita.

b) Præterea, adoptatio duo necessario requirit, scil. quod persona adoptata (non natura tantum) sit adoptanti *extranea*, et quod ei desit *jus* ad optatam hæreditatem. Atqui Christus homo nec est secundum personam Deo extraneus, nec jure caret ad hæreditatem paternam. Ergo. Ad rem *D. Thomas* (3 S. D. X, Q. II, a. 2, sol. 3) : « Christus nullo modo dicendus est filius adoptionis : quia ei competit ex sua natura, secundum quam æternaliter a Patre nascitur, habere jus in hæreditate paterna ; quia omnia quæ habet Pater, sua sunt, ut dicitur Joan. XVI. Unde hoc jus non acquiritur ei per gratiam advenientem, ut possit dici filius adoptivus ».

2ª *Pars* concl. ferit sententiam supra recitatam *Vasquezii* et *Suarezii*.

Prob. cum *directe*, tum *indirecte*.

1° *Directe.*— Aliud est enim *conditio* requisita ad hoc ut filiatio naturalis homini-Christo conveniat, aliud *fundamentum* seu ratio propria qua filiatio illa intrinsece constituitur. Atqui gratia unionis, per quam adversarii vellent naturalem Christi filiationem, in quantum est homo, explicare, est quidem conditio omnino necessaria ut homo-Christus filius Dei naturalis dicatur ; sed ratio seu fundamentum hujus proprie-

[1] — 3 S. D. VIII, Q. I, a. 5 ad 1.

tatis personalis optime reponitur in æterna generatione Verbi temporaliter communicata humanæ naturæ secundum unionem hypostaticam. Ergo.— *Conf.* ex *D. Thoma* (Q. XXXII, a. 3) : « Ilud quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum de eo secundum rationem imperfectam... Christus autem est Filius Dei secundum *perfectam* rationem filiationis ; unde quamvis secundum humanam naturam sit creatus et justificatus, non tamen debet dici Filius Dei neque ratione creationis, neque ratione justificationis, sed *solum ratione generationis aeternae*, secundum quam est filius Patris solius. Et ideo nullo modo debet dici Christus filius Sp. Sancti, nec etiam totius Trinitatis ».

2° *Indirecte.*— *Hurter* (th. 149), vestigiis insistens celebriorum theologorum, e quibus *Gonet*, *Petavius*, *Franzelin*, paucis verbis complexus est præcipua inconvenientia oppositæ sententiæ. Ait enim : « His nonnulli theologi non contenti alias excogitarunt rationes, propter quas Christus, ut hic homo est, filius *naturalis* dici possit, sanctificationem scil. naturæ humanæ per substantivam cum Verbo unionem et jus inde obortum ad hæreditatem Dei. Contra quam opinionem advertimus 1. eam esse *praeter* Ecclesiæ doctrinam, quæ non novit aliud sui dogmatis fundamentum quam *personae unitatem ;* 2. in ea perverti filii *naturalis* notionem, cum *nova* quædam filiatio naturalis admittatur, quæ non fundatur in *generatione ;* 3. ex ea sequi Christum, ut hic homo est, quodam vero sensu filium esse non solius Patris, sed totius *Trinitatis ;* atqui a tali doctrina patres prorsus abhorrent. Denique 4. in ea theoria vix effugitur error, in Christo *duos* esse Filios, alterum *proprie* naturalem, alterum *analogice* naturalem, quod vix differt ab errore adoptianorum ».

Solv. obj.— Obj. 1.— *Hilarius*, de Christo loquens (l. II de Trin., n. 27), scribit : « Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas *adoptatur*[1] ». Alii nonnulli idem *adoptionis* nomen de Christo prædicant. Ergo.

Resp. *D. antec :...* et hæ sunt locutiones *propriae, N ; improprie* accipiendæ sunt pro unione humanæ naturæ ad personam Filii, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Iuxta *August.* (l. de Præd. Sanct. c. 15), « eâ gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, quâ gratia homo ille ab initio factus est Christus ». Atqui alii homines sunt Christiani per gratiam adoptionis. Ergo.

Resp. *D. M :...* et similitudo valet quantum ad principium, *C ;* quantum ad terminum, *N.*— *D. m :...* quæ adoptio est

[1] — Quidam tamen legunt « adoratur ».

effectus formalis primarius gratiæ habitualis, *N ;* effectus secundarius in eo qui non sit jam filius Dei naturalis, *C.*— *Neg. conseq.*

Duo attendantur.— 1° Comparatio S. Augustini intelligenda est *ex parte principii*, quia scil. sicut sine meritis quilibet homo fit Christianus, ita homo (qui Deus est) sine meritis habuit ut esset Christus ; non vero *ex parte termini*, quippe Christus est Filius Dei naturalis, quicumque autem alius filius adoptivus.— 2° Nec mirum est *gratiam habitualem* facere filium adoptivum in aliis, non in Christo. Hic enim effectus formalis gratiæ non est primarius, sed *secundarius* tantum et dependens a *conditione :* dummodo suppositum gratia ornatum sit capax filiationis adoptivæ ; quod excluditur per naturalem Christi filiationem, a qua gratia debito quodam procedit.

Obj. 3.— Christus, secundum quod homo, est servus. Atque dignius est esse filium adoptivum quam servum. Ergo.

Resp. *D. M :*... ratione suppositi, *N ;* ratione naturæ, *C.* — *D. m :*... cæteris paribus, *C ;* dignius est esse filium adoptivum quam filium naturalem in natura serva, *N.*— *Neg. conseq.*[1].

ARTICULUS II.

Utrum Christo conveniat praedestinatum esse.

(Q. XXIV, aa. 1-2).

Quæstio de prædestinatione Christi ortum sumpsisse videtur ex loco Ap. (Rom. I, 4), ubi (juxta Vulgatam) Christus dicitur *praedestinatus* esse Filius Dei ; licet textus græcus ansam quibusdam præbuerit legendi quod Christus fuerit *demonstratus* vel *destinatus* filius Dei (Franzelin, th. 38).— Duo sub præs. articulo concludemus : *unum* de veritate prædestinationis Christi ; *alterum* de ratione qua prædestinatio ipsi convenit.

Conclusio 1ª. — Christo proprie convenit esse prædestinatum.— Ut notat *Cajetanus* (in art. 1), prædestinatio hic accipitur absolute et *simpliciter*, prout respicit summam gratiam quæ in nobis quidem est beatitudo, in Christo vero *unio* personalis, quam reliqua dona supernaturalia ceu proprietates consequuntur.

1° Theologis omnibus annuentibus, *Incarnationis opus sub aeterna Dei praedestinatione* utcumque cadere censendum

[1] — Plures objectiones reperiuntur solutæ apud Gonet, Billuart, Knoll, etc.

est.— Etenim, prædestinatio proprie intelligitur « divina quædam præordinatio ab æterno de his quæ per Dei gratiam futura sunt in tempore ». Atqui id in tempore per gratiam unionis divinitus factum est ut homo esset Deus et Deus homo ; nec contendi potest, tantum opus divinæ æternæque præordinationis consilia effugisse. Ergo.

2° Quoad *modum* quo prædestinatio Christi in specie verificetur, lis est inter theologos, diversis diverse[1] exponentibus verba Paulina (Rom. I, 3-4) : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem ; qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum J. C. D. N.*— Hæc nobis (ad mentem D. Thomæ) amplectenda probabiliter videntur.

a) *Primo, improprie* tantum prædestinatio Filii Dei a nonnullis tribuitur *naturae* humanæ : tum quia suppositi est (non naturæ) communiter prædestinari seu in finem salutis dirigi; tum quia filiatio divina nequit humanitati convenire nisi per extortam expositionem istam : prædestinatum est ut humana natura uniretur Filio Dei in persona.— *b*) *Secundo,* prædestinatio magis tribuenda est *personae* Christi, non quidem quatenus Deus est, sed quatenus *homo* seu subsistens in humana natura : nimirum in sententia S. Pauli, *subjectum* prædestinationis describitur *qui factus est ex semine* etc., *terminus* vero *Filius Dei in virtute* seu Filius naturalis, utpote exercens ipsam virtutem Patris in opere sanctificationis et resurrectionis (*Comm.* S. Th. in h. loc.)[2] — *c*) *Tertio* salvatur duplex *antecessio* seu prioritas requisita ad prædestinationem. Nam 1° planum est *praedestinationem* ipsam antecedere *praedestinato ;* quippe, licet persona Christi ab æterno fuerit Filius Dei, id tamen non semper fuit quod subsistens in natura humana esset Filius Dei. 2° Nec deest prioritas (saltem intelligendi modo) *praedestinati respectu gratiae* sibi collatæ : siquidem (ut sentit Cajetanus in h. art.) prius concipitur Verbum habens carnem quam Verbum *sic* carni personaliter conjunctum ut sit Filius Dei. Aut, si mavis, (cum *Joan. a S. Th.* et *Billuart*) dicatur Christum ut exercentem munus *subsistentiae* in natura humana esse subjectum prædestinationis ad filiationem sub munere *relationis* posterius conceptam.

Duo ex dictis *colligemus.*— 1° Christus ut homo prædestinatus est *principaliter* ad filiationem Dei naturalem, et

[1] — Cf. Joan. a S. Thoma, Disp. XX.

[2] — Fateor cl. Cornely (*Comm.* in Rom. I) huic explicationi non favere, aliterque verba D. Pauli interpretari.

secundario tantum seu consequenter ad visionem beatificam cæteraque dona supernaturalia.— 2° Magis est vera hæc prop : « Christus est prædestinatus Filius Dei » quam altera : « Christus est factus Filius Dei ». Ratio discriminis est, quia verbum *factus* imponitur ab eo quod est in re ; secundum rem vero non convenit personæ Christi ut incœperit *esse* Filius Dei. At verbum *praedestinatus* imponitur ab actu intellectus, in quo potest suppositum Christi prius accipi vage et *indeterminate*, postea vero *determinate* pro Filio Dei.

Conclusio 2ª. — VERA EST PROPOSITIO : « CHRISTUS, SECUNDUM QUOD HOMO, EST PRÆDESTINATUS ESSE FILIUS DEI ».

Prob.— Hoc dicimus convenire alicui, secundum quod homo, quod ei convenit ratione humanæ naturæ. Atqui prædestinatio Christo attribuitur *ratione humanae naturae*. Ergo. *Min. decl.*— Et *primo* aliquid potest convenire alicui ratione humanæ naturæ dupliciter : uno modo *causaliter* seu quatenus humana natura sit causa illius, et hic non est sensus præsentis argumenti ; alio modo *specificative* tantum seu quatenus secundum humanam naturam aliquid suscipitur, et sic Christum dicimus prædestinatum ratione humanæ naturæ.— *Secundo*, *a*) etenim *antecessio* prædestinationis respectu Verbi incarnati accipitur ex parte naturæ humanæ, quatenus hæc non semper fuit Verbo unita. *b*) *Gratuitum* etiam *donum* a Deo prædestinante in tempore collatum ad eamdem humanitatem pertinet, in quantum hoc ei per gratiam largitum est ut Filio Dei personaliter conjungeretur. Ergo.

Cum Auctore *advertimus* (art. 2, resp. ad 3) : — *a*) utrumque posse concedi, scil. quod et filius hominis prædestinatus est esse Flius Dei, et Filius Dei prædestinatus sit esse homo. — *b*) Quia tamen Incarnatio in *gratiam* naturæ nostræ Deo uniendæ contigit, prædestinatio adeo gratuita magis proprie sub primo sensu quam sub altero prædicatur.

ARTICULUS III.

Utrum praedestinatio Christi sit nostrae praedestinationis exemplar et causa.

(Art. 3-4)

Considerata Christi prædestinatione *absolute*, proximum est ut eam *relative* inspiciamus, scil. quoad causalitatis nexum quem habet cum prædestinatione nostra, sive per modum

causæ *exemplaris*, sive per modum causæ *finalis*, sive per modum causæ *efficientis*.— At *notandum* est prædestinationem hic sumi, non secundum prædestinantis *actum*, siquidem uno eodemque actu simplicissimo prædestinavit Deus nos et Christum, sed secundum prædestinationis *terminum* et habitudinem objectivam.

Conclusio.— PRÆDESTINATIO CHRISTI AD NOSTRAM SE HABET TANQUAM CAUSA EXEMPLARIS, FINALIS ET MORALIS.

1ª *Pars* : — 1° fundatur in verbis Ap. (Rom. VII, 29) : *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* ; ubi conformitas exemplati ad exemplar homogenea quidem censenda est respectu termini secundarii prædestinationis Christi (i. e. gratiæ et gloriæ), non tamen respectu termini primarii et singularissimi qui est filiatio naturalis.— Consonant verba *August.* (de Præd. Sanct. c. 15, n. 30) : « Est præclarissimum lumen (quasi exemplar directivum) prædestinationis et gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus ».

2° Duo in prædestinatione nostra attendenda sunt, nempe *bonum* ad quod prædestinamur et *modus* illud consequendi. Atqui utroque ex capite elucet exemplaritas prædestinationis Christi : siquidem *a*) ipse prædestinatus est ad hoc ut esset Filius Dei naturalis, nos autem prædestinamur ad filiationem adoptionis veluti participatam naturalis filiationis similitudinem ; *b*) in Christo quoque natura humana nullis suis præcedentibus meritis Verbo copulata est, atque haud dispari lege nos citra operum merita de plenitudine Christi gratiam salutis accepimus. Ergo.

2ª *Pars* est de causa *finali*, quam plane indigitat *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 7) inquiens : « Hujus justificationis causæ sunt, *finalis* quidem, gloria Dei et *Christi* », etc.

1° Eo pertinent verba Ap. (1 Cor. III, 22-23) : *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Unde *S. Thomas* (3 S. D. X, Q. III, sol. 3) diserte agnoscit in prædestinatione Christi causam finalem prædestinationis nostræ, « in quantum nostra salus in ejus (Christi) gloriam redundat ».— 2° *Ratio* est, quia congruit omnino ut inferiora ordinentur ad superiora tanquam ad finem. Atqui Christus prædestinatus est velut caput et Rex omnium prædestinatorum sibi multipliciter subjectorum. Ergo licet humanum genus, ut redimendum, prius Christo in mente Dei fuerit secundum rationem finis *cui* seu subjecti perficiendi, Christus tamen est prædestinatus tanquam finis simpliciter seu *cujus gratiâ* reliqui prædestinati sunt.

3ª *Pars* additur de causalitate *morali* quæ aliqualiter reducitur ad causam *efficientem* (licet reapse magis se teneat ex parte causæ *finalis*) : — 1° Hoc causalitatis genus innuitur (Eph. I, 5) : *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum ;* ubi Christus exhibetur tanquam « mediator alliciens » (S. Th. in h. l.) seu meritis inducens Deum ad prædestinandos filios adoptivos.— 2° Sane id merito censeri debet causa moralis prædestinationis nostræ, *per quod* Deus præordinavit complendam nostram salutem. Atqui Deus ab æterno disposuit ut salus nostra per Christum compleretur : siquidem sub æterna prædestinatione cadit non solum futurus effectus, sed et effectionis modus et ordo. Ergo.— 3° Porro influxus ille intelligendus videtur non solum de prædestinatione justorum *in communi*, sed etiam *in individuo*, prouti dignitas Christi-Regis exposcit et ipsa Scriptura non obscure docet (Eph. I, 3-4) : *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* etc. Unde ipse Christus, alloquens discipulos, ait (Joan. XV, 16) : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

QUÆSTIO TERTIA

DE ADORATIONE CHRISTI

Progredimur ad considerandum *habitudinem Christi ad nos*, secundum quod cultu honoreque debito prosequendus est.— Christus autem spectari potest vel *in se*, vel in *sanctis suis :* unde duo inquisitionis capita.

Præsens quætio instituitur de cultu seu adoratione Christi, atque quatuor sequentibus articulis absolvi poterit. Nam cultus ille theologicæ subest disceptationi aut quoad *Christum ipsum* (art. 1). aut quoad *res* Christo conjunctas : quæ res sunt humanitas cum suis partibus (art. 2), imagines (art. 3), ac instrumenta (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi et ejus humanitas.

1° Agitur (ut monet *Cajetanus*) de *unitate* aut *diversitate* adorationis homini-Deo deferendæ ; nam Christum, ut *Deum*, cultu latreutico honorandum esse, nemo unus e christiana sobole inficiabitur.

2° Ad definiendum *adorationis* nomen lucemque universæ huic disquisitioni afferendam, nonnulla animadversu digna præstituemus.

a) Adoratio est religionis actus. Porro religio[1] (quæ et *pietas* respectu Dei-patris et *latria* respectu Dei-Domini nominatur), sub genere justitiæ existens, describi potest « virtus inclinans ad exhibendum Deo, in ejus excellentiæ reverentiam, cultum seu honorem[2] debitum ». Ex quo comperitur religionem distingui a virtutibus *theologicis*, in quantum non ipsum Deum, ultimum finem, pro objecto immediato habet, sed ea quæ ad finem illum sub specie cultus divini conducunt ; quia vero, directe conferendo in Dei honorem, propinquius ad Deum accedit quam reliquæ virtutes *morales*, istis præeminere merito æstimatur.— *Actus* religionis duplicis sunt generis : alii *interni* quasi principales et per se ad religionem spectantens, cujusmodi sunt devotio et oratio (saltem mentalis) ; alii *externi* veluti secundarii, inter quos numerant imprimis adorationem, dein sacrificium, oblationem et votum, juramentum et adjurationem, orationem vocalem et laudes divinas.— *Adoratio* præsupponit quidem intelligendi actum quo Dei excellentia apprehendatur, sed secundum essentialem suum conceptum constat primario *actu voluntatis* se Deo subjicientis, consequenter vero quibusdam corporalibus humilitatis signis.

b) Atque, quemadmodum perfectio seu excellentia rite dispescitur in increatam et creatam, ita et honor excellentiæ congruens. Quam ob rem sub religione et in eodem justitiæ genere reperitur *dulia* (communiter sumpta) cujus est reverentiam cuicumque homini ratione cujuscumque præstantiæ exhibere, quæque sub se continet quasi species *pietatem* erga parentes ac patriam, *observantiam* erga personas in dignitate constitutas, et quamcumque hujusmodi virtutem honoriferam. Duliæ communis potissma species est *hyperdulia*, præstantiori creaturæ reservata.— *Observantia* vero, pro diverso genere excellentiæ creatæ, dividitur in *sacram* et *civilem*.

c) Denique, quod ad *usum nominum* attinet, notare est *adorationis* vocem (maxime penes linguas originarias) ambiguam esse[3], ipsisque in Scripturis usurpari ad significandum

[1] — Cf. II-IIæ, Q. LXXXI et sqq.

[2] — *Honor*, ad quem concurrunt quæcumque exteriora signa, distinguitur a *laude*, in solis verbis posita. *Gloria* autem est effectus honoris et laudis, quia ex hoc quod testificamur de bonitate alicujus, ejus excellentia in notitia plurium clarescit : unde gloria dicitur « clara cum laude notitia » (II-IIæ, Q. CIII, a. 1 ad 3).

[3] — Cf. II-IIæ, Q. LXXXIV, a. 1 ad 1. — Ipsi etiam exteriores actus, puta genuflexiones, communes sunt cultui Dei et hominum ; « sed aliquid est quod soli Deo exhibetur, scil. sacrificium » (*ibid.*).

honorem externum sive Deo, sive Angelis, hominibusque exhibitum. Attamen, tum apud Græcos, tum apud Latinos Patres[1], ex antiquo deinceps mos obtinuit, magis magisque invalescens, ut nomen illud ad solam Dei Majestatem honorandam restringeretur.— Idem ferme notandum est de vocibus græcis *latria* et *dulia* quæ originative non multum ab invicem in significanda servitute discreparunt, at postmodum ita a Patribus theologisque definitæ sunt ut *latria* cultum Dei, *dulia* cultum sanctorum, *hyperdulia* cultum B. V. Mariæ designaret.

3° De Christi adoratione perperam senserunt hæretici diversarum ætatum (Perrone, P. II, c. IV, a. 2). *Apollinaristæ* enim et *Eutychiani* docuerunt unam Christi adorationem fundatam in confusione naturarum ; *Nestoriani* vero e principio duarum in Christo personarum duas intulerunt adorationes seorsim Verbo hominique adhibendas. *Wicleffus* Christum hominem etiam a Verbo sejunctum eadem, qua Verbum, adoratione colendum esse autumabat. Tandem *Sociniani* (qui negabant Christi divinitatem) divisi sunt in *adorantes* et *non adorantes*, prout vel affirmarent vel negarent cultu latriæ Christum honorandum.

Conclusio.— UNA SIMPLICITER EST HOMINIS-DEI ADORATIO SUB DUPLICI HONORIS CAUSA ; quod *de fide* est juxta *Conc. Ephes.* (can. 8) et *Conc. Cnptanum II* (can. 9) cujus hæc verba sunt : « Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duæ adorationes introducuntur semotim Deo Verbo et semotim homini... sed non *una adoratione* Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit[2].»

1° Revera testatur *Scriptura* quod Magi Christum puerum *procidentes adoraverunt* (Matth. II, 11). Cæcus quoque natus interrogatus a Christo (Joan. IX, 35) : *Tu credis in Filium Dei ?* respondit (v. 38) : *Credo, Domine. Et procidens adoravit eum*[3]. Pariter Ap. (Heb. I, 6) scribit : *Cum iterum introducit*

[1] — Cf. Petavium, l. XV, c. 2 ; — Knabenbauer in Matth. II, 11.

[2] — In Bulla *Auctorem fidei* damnata est prop. 61a Pistoriensium his verbis : « Propositio quæ asserit, *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae,* quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsa et caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur, falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus præstito ac præstando detrahens et injuriosa.»

[3] — Cfr. Maldonatum, *Comm. in quatuor Evang.*, ad cit. loca.

primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei.

2° Inter plures de ea re *traditionis* præcones (quos refert Petavius, l. XV, c. 3) audiamus *S. Athanasium* dicentem (epist. ad Adelphium) : « Cum sciamus Verbum carnem factum esse, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit ut Domino dicat : Recede a corpore tuo, ut te adorem ?» Et *S. Epiphanium* (in Ancorato) : « Nemo sic insanit ut cum adorare velit Imperatorem in ipsius augustali, dicere huic audeat : Exi ab illo tuo augustali, ut te adorem. Sic igitur nemo Unigenito dixerit : Depone corpus ut adorem te. Quin potius ipsum adorat cum corpore Unigenitum, increatum cum templo sancto, quod veniens assumpsit.»

3° *Ratio* Auctoris sic proponitur.— Proprie et simpliciter honor exhibetur personæ seu toti rei subsistenti ita ut ab ea unitatem recipiat, licet plures esse possint honoris causæ. Atqui in Christo una est tantum persona divina latreutico cultu digna, subsistens tamen in duabus naturis inæqualis excellentiæ. Ergo. *Maj. decl. a*) Et primum in eo qui honoratur duo possumus considerare, scil. *personam* honoratam et *causam* honoris. *b*) Porro *proprie* et *simpliciter* honor defertur *personæ* quæ, quasi totum subsistens, *secundum se* honoratur, dum partes, puta manus vel pes, non secundum se, sed secundum *aliud in se* honorantur : in istis enim totum honoratur, sicut et aliquis honorari potest in veste, in imagine vel in nuntio. *c*) *Causa* autem honoris est excellentia, propter quam reverentia alicui exhibetur : quæ excellentia multiplex esse potest, puta prælatio, scientia, virtus. *d*) Sed, non obstante hac multiplicitate, unus præstatur honor pro una persona secundum id quod potius est in illa : non enim causa honoris, sed persona veneranda colitur uno cultu æquivalente omnibus titulis quibus honorabilis est. ***Min.*** constat ex toto tractatu de Incarnatione. Unde concludendum superest, Christo deberi unum simpliciter cultum latriæ correspondentem *primario* et formaliter increatæ ejus excellentiæ, *secundario* vero et virtualiter dignitati ejus creatæ.

Solv. obj.— Obj. 1.— Divinitas Christi adoranda est cultu communi Patri et Filio, juxta illud (Joan. V, 23) : *Omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Atqui humanitas Christi non est communis Filio et Patri. Ergo.

Resp. *D. M :...* quantum ad causam *principalem* honoris, *C ;* quantum ad causam *secundariam*, *N.— C. m.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Honor præmium est virtutis et bonæ operationis. Atqui in Christo duplex est operatio, divina et humana. Ergo.

Resp. *D. M* :... quatenus virtus vel operatio est *ratio* honoris, *C* ; quasi sit id *quod* honoratur, *N*.— *C. m*.— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Anima Christi, extra Verbi unionem, veneranda foret cultu proprio. Atqui nihil dignitatis ei per Unionem subtractum est. Ergo.

Resp. *C. M*.— *D. m* :... nec quidpiam ei accrevit, *N* ; per hoc quod facta est anima personæ divinæ, obtinuit ut coadoraretur in illa seu ut evaderet *objectum materiale partiale* ipsius adorationis Verbi cujus divinitas est objectum *formale*, *C*.— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum humanitas Christi adoranda sit adoratione latriæ :— de cultu SS. Cordis Jesu.

In hoc art. doctrina præc. art. amplius evolvenda suscipitur, maxime secundum quod attinet *speciem* venerationis humanitati Christi debitæ ; ex quo prono gressu, devotique animi illectu, ducemur ad vindicandum cultum hodiernis temporibus maxime efflorescentem *SS. Cordis Jesu*. — Duo ergo concludenda proponemus.

Conclusio 1ª. — Humanitas Christi, ut res honorata, adoranda est cultu latriæ ; sed ut ratio honoris, cultu hyperduliæ.

1ª *Pars* constat ; quia humanitatem Christi, ut rem, venerari nihil aliud est quam Verbum incarnatum seu humanatum adorare, sicut honorare vestem regis est ipsum regem vestitum honorare.— Unde *Joan. Damasc.* (l. IV de Orth. Fid. c. 3) : « Caro... cum incarnato Verbo adoratur, non quidem propter seipsam, sed propter Deum Verbum quod secundum hypostasim ipsi copulatum est.»

2ª *Pars* ostend. (contra paucos).— Quælibet excellentia potest esse ratio ob quam cultus proportionatus præstetur. Atqui in humanitate Christi, præter divinitatem ei conjunctam, reperitur excellentia inferior orta ex diverso gratiarum munere ; nec inconveniens est ut mente quis secernat humanum a divino. Ergo sub hoc sensu, seu præeunte *mentali* hac divisione, absolute non repugnat quod uni personæ Christi deferatur cultus latriæ propter divinitatem et cultus *hyperduliæ* (hyperdulia debetur superiori excellentiæ) propter

perfectionem humanitatis.— Attamen *de facto* cultus iste reapse non exhibetur, ne vergat in detrimentum alterius potioris in quo eminenter clauditur ; nimirum eum « Ecclesia in mente retinet, non in usu, ad evitandos errores » (*Cajet.* in h. loc.).

Conclusio 2ª. — CULTUS SS. CORDIS JESU CUM VERUS TUM CONVENIENS AFFIRMANDUS EST[1].

Prænotanda.— 1° Cultus ille (prout nunc obtinet) vim præcipuam[2] duxit a triplici revelatione facta (1673-75) *B. Margaritæ Mariæ Alacoque*, cui « ante augustissimum Eucharistiæ Sacramentum fervidius oranti significatum est a Christo Domino, gratissimum sibi fore si cultus institueretur SS. sui Cordis humanum erga genus charitatis igne flagrantis, ac velle se hujus rei curam ipsi demandatam » (Decr. Beatif. 1864).— Cultum hunc, mox in pluribus monasteriis et per plures præsertim Galliarum diœceses vulgatum[3], S. Sedes maturo post examine orantibus Poloniæ episcopis et Archiconfraternitati Romanæ concessit publice constitui (1765); quem cum Syn. Pistoriensis prop. 62a et 63a tanquam illegitimum traduxisset, Pius VI propositiones illas una cum aliis damnavit (1794)[4] ; tandem Pius IX cultum eumdem ad universam Ecclesiam extendit.

[1] — Historiam hujus cultus documentis fretam et veluti classicam reperire est penes Nic. Nilles, S. J., in opere : *De rationibus festorum sacratissimi Cordis Jesu et purissimi cordis Mariae libri IV* (ed. 5, 1885).

[2] — Dico *vim praecipuam ;* nam negandum non est *P. Eudes* eidem cultui præivisse, tum directe, tum quoque indirecte per religionem erga purissimum Cor Mariæ, cujus apostolus fuit, quæque quasi aurora cultus Cordis Jesu præfulsit : cf. *Les Sacrés Coeurs et le Vén. Jean Eudes*, par le R. P. Ange Le Doré, Sup. de la Cong. de Jésus et Marie.— P. Nilles (*op. cit.* t. I, p. 170), loquens de *Congr. Eudistarum* et *Societate Jesu*, notat utramque fuisse singulari ratione in partem propagationis cultus Smi Cordis Jesu vocatam.

[3] — Festum SS. Cordis Jesu, acquiescente Rmo Epo de Saint Vallier, Quebeci apud Ursulinas celebrari cœpit an. 1700.

[4] — « Doctrina, quæ devotionem erga SS. Cor Jesu rejicit inter devotiones quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas ; intellecta de hac devotione, qualis est ab Ap. Sede probata ; *falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Ap. Sedem injuriosa.*— Item, in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant ss. carnem Christi aut ejus partem aliquam aut etiam humanitatem totam cum separatione aut præcisione a divinitate adorari non posse cultu latriæ ; quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione a divinitate, dum illud adorant ut est Cor Jesu, *Cor* nempe *personae Verbi*, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro ; *captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa* » (Const. *Auctorem Fidei*).

2° Ad naturam hujus devotionis rite intelligendam, juvat advertere Cor Jesu nobis ad colendum proponi, non solum quatenus est *symbolum* caritatis Christi, sed etiam et proprie quatenus est cor *carneum* personæ Verbi : id constat tum ex petitione Episcoporum Poloniæ quorum precibus S. R. Congregatio annuendum censuit (vid. *Franzelin*, th. 45), tum ex verbis Pii VI damnantis Pistorienses.— Ecclesiæ autem sensus est ipsum honorem *latriæ*, quem Verbo incarnato adhibemus, SS. Cordi Jesu esse deferendum : quo in cultu Cor physice sumptum, seu secundum physicas *aptitudines* organicas vel symbolicas, se habet quasi objectum *materiale* (profecto *secundarium* et *partiale*[1]) honoris, divinitas autem Verbi cui conjunctum est quasi motivum *formale generale* quo cultus ille in genere latriæ *verus* ac legitimus constituitur. Hoc autem motivum formale fundamentale excipiunt et circumambiunt motiva *specialia* ac secundaria, nempe summa Christi caritas, debita ei reparatio, fovendi amoris nostri necessitas, etc., quibus cultus cordis, præ caeteris partibus humanitatis Domini, *conveniens* efficitur.

3° In proposito nobis adversantur tum *Jansenistæ* qui cultum Cordis Jesu ceu erroneum aut periculosum acriter impugnarunt, tum *Rationalistae* qui, calumniis, injuriis, irrisionibus, catholicos quasi *cardiolatras* et superstitionis reos lacessere adamant.

1ª *Pars* concl., scil. *verum* esse præfatum cultum, ostenditur.

1° *Scripturaé* (missis iis quæ prophetice de *corde* Christi prolata habentur Ps. XXI, 15 ; XXXIX, 11, 17 ; LXVIII, 24 etc.) aliquale fundamentum præbent. Nam *a*) Christus sæpe discipulos ad sui dilectionem provocavit, v. g. (Joan. XIV, 21) : *Qui diliget me, diligetur a Patre meo ;* dilectio autem maxime respicit ad cor tanquam ad amoris fontem vel symbolum.— *b*) Itidem Christus cor suum veluti virtutis exemplar colendum ac imitandum exhibuit (Matth. XI, 29) : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*— *c*) Honoris erga Cor Jesu præsensio forte videbitur, quando Christus, corde motus ex morte Lazari ploratuque parentum et amicorum, (Joan. XI, 34-36) quæsivisse refertur: *Ubi posuistis eum ?... et lacrymatus est ;* unde *dixerunt Judaei : Ecce quomodo amabat eum.* Nimirum (ut ait S. Th. *Comm.* in h. l.) Evangelista inducit judæos *admirantes* cordis affectum quem Christus

[1] — Persona enim Christi est objectum *primarium* et *totale*.— De imagine repræsentante Christi *cor tantum*, sine reliquis corporis partibus, decrevit S. Officium (26 aug. 1891), eam « privata ex devotione permitti, dummodo in altaribus publicæ venerationi colenda non exponatur.»

et verbis et lacrymis compatiens demonstravit.— *d*) Nec sine speciali consilio factum videtur quod legimus de Joanne (*ibid.* XIII, 23 sqq.) : *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus... Cum recubuisset ille supra pectus Jesu*, etc. Ibi enim præfigurabatur futurus Cordis Christi cultus, ad quem mens divinorum, puritatis munditia et fervor affectus (quae in Joanne eminebant) animam disponunt.— *e*) Tandem, ut narratur (*ibid.* XIX, 34), *unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua ;* videlicet Christus ex alto crucis ligno Cor suum hominibus colendum reseravit.

2° Inter veteres non defuere qui devotioni Cordis Jesu præluderent.— *Implicite* saltem cultum illum agnoverunt quotquot Salvatoris *humanitatem* (cujus cor est optima pars) adoratione dignam professi sunt, vel *latus* ejus lancea perfossum, de quo scaturiere gratiæ salutis, vel flagrantissimum ejus *amorem* erga homines celebrarunt.— *Explicita* vero suffragia plura sunt ; nonnulla colligam (ex cl. Nilles, *op. cit.*). *S. Joan. Chrysostomus*, exponens verba D. Pauli : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. II, 20), subdit (Hom. 32 in Ep. Rom.) : « *Cor* itaque Christi erat cor Pauli.» *S. Petr. Dam.* (Serm. 1 de S. Joan. Ap. et Evang.) pectus Christi nominat « cœleste gazophylacium et ærarium.» *S. Bernardus* (l. de Amore Dei, c. 1) : « Totus intrem usque ad ipsum *Cor* Jesu, in Sanctum Sanctorum, in Arcam Testamenti, ad urnam auream animæ nostræ humanitatis continentem intra se manna Divinitatis.» Cf. Serm 61 in Cant. Luculentius adhuc auctor Tract.[1] *de Passione Domini*, c. 3 : « Ego inveni Cor regis, fratris et amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo?... Ad hoc enim perforatum est latus tuum ut nobis patescat introïtus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum ut in illo et in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus... Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amans non redamet?» Prætermitto testimonia *S. Bonaventuræ*, *S. Bernard. Senensis*, necnon servarum Dei *S. Gertrudis*, *S. Brigidæ*, *S. Mechtildis*, etc., ut traditionis argumentum absolvam verbis *D. Thomæ* (Opusc. 57 de Venerab. Sacram. altaris, c. 28) : « Fudit sanguinem de vulnere lateris et *cordis*, ut discipulos in fide dubios et alios multos in fide et bonæ vitæ stabilitate tentatos, et ideo frigidos, quasi mortuos calefaceret et revivificaret ; » unde, adductis exemplis pellicani rostro latus fodentis et cervæ vulneratæ, sic *Angelicus* Christum advocat : « Curre coram

[1] — Hic tractatus reperitur ad opera S. Bernardi (Patrol. *Migne*).

nobis, ut fera *corde* vulnerata, et sanguine tuo cœlestem semitam nobis ostende.»

3° Generica cultus hujus *ratio* ex principiis jam constitutis eruitur.— *Humanitas* enim Christi, ut res, adorari debet cultu latriæ, eo quod per unionem hypostaticam ipsius est Christi natura. Atqui unio illa hypostatica, sicuti totam humanitatem ,ita et singulas ejus partes dignificat. Ergo. *Min.* patet ; siquidem partes, cum essentiales, tum integrales humanitatis Christi, non quomodocumque Verbo copulantur, sed intime et secundum substantivam unionem, qua et subsistendi et existendi actum divinum sortiuntur.— *Conf.* arg : conceditur et probatur cultus latreuticus *quinque Vulnerum* et *pretiossimi Sanguinis* Christi Domini. Ergo non est cur SS. ejus Cordis, pro nobis physice mysticeque vulnerati, cultum rejiciamus.

4° Summum subit ejusdem devotionis momentum, scil. expressa *vox Christi :* prima enim vice, cor suum flammeum, saucium, spinisque coronatum revelans, B. Margaritæ Mariæ significavit se velle *sui amoris ignem* ad salvandos homines manifestius pandere.— Altera vice, rursus se beatissimæ suæ famulæ demonstrans petiit ut sibi *reparationis* cultus pro peccatis ingratorum hominum exhiberetur.— Tandem in tertia revelatione *festum* sui SS. Cordis (stata die qua nunc agitur)*publice institui* rogavit, promissâ suis cultoribus magna gratiarum copiâ.[1]

2ª *Pars* concl. est de cultûs illius *convenientia ;* quæ accipi debet tum absolute seu considerato corde in se, tum relative seu per respectum ad reliquas humanitatis partes [2] necnon ad tempus quo laudata devotio prodiit.

Prob. ex multiplici medio.

1° *Physiologice.*— Physiologia cum antiqua tum moderna[3] docet cor esse nobilissimum corporis musculum ; qui, quum per sui compressionem ac dilatationem distribuendo in viventibus sanguini immediate deserviat, sanguinei seu irrigatorii systematis centrum atque veluti vitæ principium exi-

[1] — Paulo post (1689) Christus eidem B. Marg. Mariæ revelavit suum esse desiderium, ut Galliarum præses se gentemque suam SS. suo Cordi peculiari consecratione devoveret.

[2] — Ex decreto S. Off. 4 maii 1892 notare juverit concedi quidem cultum erga venerandam vultus Christi patientis *imaginem* ejusque exempla quibus « passionum Christi magis in dies memoria succrescat », prohiberi vero, tanquam inconsuetam devotionem et fugiendam novitatem, specialem cultum *vûltus ipsius* divini Redemptoris (Acta S. Sedis, XXV,749).— Item damnata est devotio erga ssmam *Animam* D. N. J. C. (cf. dec. S. Off. 1 maii 1 [illegible] Act. S. Sedis, XXXIII, 758-59).

[3] — Cf. Claude Bernard, Conf. *sur la Physiologie du coeur* (1865).

stit. Ad rem *S. Thomas* (1 S. D. VIII, Q. V, a. 3 ad 3) qui, loquens de operatione vitali, ait : « Talem vitam influit (anima) primo in cor et postea in omnes alias partes. Et inde est quod læso corde perit operatio animæ in omnibus partibus corporis, et per consequens esse ipsarum partium quod conservatur per operationem animæ.» Quam ob rem cor, quietis nescium, solet a physiologis (post Aristolelem) describi : *Primum vivens et ultimum moriens*[1]. Jamvero nonne apprime congruit ut principium vitæ specialiter colamus in eo qui nobilem suam vitam sponte pro nobis Patri obtulit?— Eo magis quia sic totam humanitatem colere censemur : cor enim « est quasi quoddam animal separatum, in quantum est principium vitæ ; principium autem est *virtute* totum » (I-IIæ, Q. XVII, a. 9 ad 3).

2° *Psychologice :* qua sub ratione cor spectari potest tum realiter tum symbolice.— *a*) *Realiter* spectatum cor intime connectitur cum affectionibus et passionibus humanis, imprimis cum passione amoris quæ est cæterarum radix ; adeo ut plures etiam nunc[2] (juxta veterum doctrinam) reponant in corde sensibilium affectionum sedem et organum. Ait *S. Thomas* (I-IIæ, Q. XXIV, a. 2 ad 2) : « In omni passione animæ additur aliquid vel diminuitur a naturali motu cordis, in quantum cor intensius vel remissius movetur secundum systolen aut diastolen ; et secundum hoc habet passionis rationem[3].» Sane in Scripturis pleræque passiones nomine cordis significantur, v. g. gaudium[4], tristitia[5], timor[6] etc. Ergo cor fuit in Christo instrumentum amoris, sicut et compassionis erga hominem, juxta illud (Marc. VIII, 2) : *Misereor super turbam.* Atqui passiones illæ salutiferæ honoris, gratitudinis, ac reparationis cultum postulant. Ergo.

b) *Symbolice* quoque cor Christi sumendum est, quatenus significat tum increatum tum præcipue creatum Dei hominis

[1] — Id., *loc. cit.*

[2] — Ita, inter alios, Perrone, *de Incarn.* P. II, c. IV, a. 2, prop. 2 ; — Vallet, *La tête et le coeur ;* — Urràburu, S. J., *Inst. phil., Psych.* Disp. VI. c. II, a. 2 (1898). Hic auctor, relatis variis opinionibus expensisque recentiorum physiologorum plerumque adversantium dictis, probabilius adhuc habet quod cor sit præcipuum organum elicitivum appetitus sensitivi, idque fuse pertractat : num recte, alii viderint.

[3] — Notatum volo catholicos cultum SS. Cordis Jesu tueri independenter a quæstione physiologica de organo *proprio* passionum. Omnes enim, etiam ii qui organum illud ponunt formaliter in *cerebro,* concedere tenentur cor esse *primum* quod recipit sensitivæ affectionis impulsionem ideoque passiones esse *in corde* saltem *executive* seu manifestative (cf. Cl. Bernard, *l. cit.*).

[4] — *Laetatum est cor meum* (Ps. XV, 9).

[5] — *A verbis tuis formidavit cor meum* (Ps. CXVIII, 161).

[6] — *Multi gemitus mei et cor meum moerens* (Thren. I, 22).

spiritualem affectum :[1] siquidem communis invaluit usus ut ipse voluntatis actus ex caritate, pietate, liberalitate, cordis symbolo exprimeretur ; quo sensu dicitur (Ps. LXXXIII, 3) : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Porro id connaturale homini est ut signo quodam sensibili[2] se ad recolendam personæ caræ memoriam eamque venerandam excitet. Ergo conveniens erat ut cultus institueretur quo possemus recolere, venerari, celebrare immensum illum Dei in nos amorem, omnium perfectissimum, tenerrimum, constantissimum, cujus tria memoranda admirandaque sunt monumenta perennia, videlicet *Præsepe*, *Calvarium* et *Altare*.

3° *Moraliter.*— Nihil quippe efficacius videtur ad fovendum in nobis Dei virtutumque cultum et amorem quam bonitatis Christi recordatio. « Hunc charitatis ignem ut magis incenderet, SS. sui Cordis venerationem cultumque institui in Ecclesia voluit ac promoveri. Ecquis enim tam durus ac ferreus sit, quin moveatur ad redamandum Cor illud suavissimum idcirco transfixum ac vulneratum lancea, ut animus ibi noster quoddam quasi latibulum ac perfugium habeat, quo se ab hostium incursione insidiisque recipiat ac tueatur?» (Decr. Beatif. V. Marg. Mar.). Certe, ex hac parte commemorandæ Christi bonitatis nostrique in eum amoris excitandi, maxima existit analogia inter cultum sacratissimi Cordis Jesu et cultum pretiossissimi ejus sanguinis, nec cæteris humanitatis Domini partibus eadem vis moralis, æqua saltem ratione, competit.

4° *Historice.*— Ut enim scite observat *Hurter* (th. 152, coroll.), « divinæ Providentiæ nutu factum est ut cultus ss. cordis Jesu speciali modo per Ecclesiam diffunderetur. Sicut enim impietas hæreticorum negantium realem Christi in Eucharistia præsentiam occasio exstitit ut refloresceret et multiplici modo se proderet pietas et gratitudo fideliun erga hoc tam insigne divinæ bonitatis pignus ; ita cum *Janseniani*

[1] — Proprium cultûs Ss. Cordis objectum ita concipimus ut integrari dicatur materialiter ex corde physice sumpto, formaliter ex Christi amore *remote* quidem et finaliter divino, *proxime* vero et principaliter humano (cf. *Etudes*, art. *L'objet propre de la dévotion au Sacré-Coeur*, jan.-févr. 1906).

[2] — Apposite *D. Thomas* (II-IIæ, Q. LXXXII, a. 3 ad 2) : « Ea quæ sunt Divinitatis sunt secundum se maxime excitantia dilectionem, et per consequens devotionem, quia Deus est super omnia diligendus ; sed ex debilitate mentis humanæ est quod sicut indiget manuductione ad cognitionem divinorum, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota ; inter quæ præcipuum est humanitas Christi... Et ideo *ea quae pertinent ad humanitatem* Christi, per modum cujusdam manuductionis, maxime devotionem excitant ; cum tamen devotio principaliter circa ea quæ sunt Divinitatis consistat.»

suis erroribus impeterent Christi præsertim *bonitatem* et *amorem*, et cum jam instet tempus quo refrigescet caritas multorum, nil opportunius hoc cultu quo infinitam Christi prosequimur bonitatem, et quidem, quia homines sumus sensibilibus immersi iisque assueti, sub *visibili forma cordis*, ut hac via plana nobisque accommoda ignem divini amoris in nostris accendamus cordibus.»

Solv. obj. (cont. 2am concl.). — Obj. 1. — Una est adoratio Christo debita. Atqui cultus Cordis Jesu dividit et multiplicat Christi adorationem. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... ex parte motivi *formalis* saltem primarii, *N* ; ex parte objecti *materialis*, *S. d* : quatenus adoratio explicite dirigitur ad cor tantum Christi, *C* ; quasi nec *implicite* totum Christum includat, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Cavendum est a novis devotionibus. Atqui cultus Cordis Jesu recens prorsus est. Ergo.

Resp, *D. M* :... a devotionibus quæ in *nova doctrina* religiosa fundantur, *C* ; quæ veritati traditionali innixæ sunt, novamque tantum *pietatis formam*, novis necessitatibus occurrentem, inducunt, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*[1]

Obj. 3.— Devotio prædicta ter a S. Rituum Congregatione rejecta est. Ergo etc.

Resp. *D. antec* :... i. e. improbata fuit *secundum se*, *N* ; dilata est in tempus *concessio festi* auctoritativa, donec, re maturius perpensa, opportuna solemnisque approbatio promulgaretur, *C.*— *Neg. conseq.*[2]

ARTICULUS III.

Utrum imago Christi sit adoranda adoratione latriæ.

De cultu imaginum Christi mox tractaturi (nam de sanctorum imaginibus infra), nonnulla *præmittemus.*— Et 1°

[1] — A cultu SS. Cordis Jesu substantialiter non differt cultus Christi *Cordis eucharistici* per quem specialis manifestatio divini amoris celebratur. Immo specifica identitas agnoscenda est inter cultum SS. Cordis et cultum SS. Eucharistiæ, cujus ille prior pars quaedam seu modificatio accidentalis existit (cf. decr. S. Off. 3 jun. 1891 ; deer. S. C. Rit. 3 jul. 1896 ; *Etudes*, art. cit. ; litt. Card. Merry del Val, 3 apr. 1915). Licet ergo devotio erga SS. Cor Jesu eucharisticum non sit a S.Sede improbata, sed potius positive recognita, tamen ex prudentiæ motivo nova circa eam emblemata, imagines, tituli ac festivitates liturgicæ vetantur (S. C. Rit., 28 mart. et 15 jul. 1914).

[2] — Leg. Bougaud, *Hist. de la bienh. Marg. Marie* et des origines de la dévotion au Cœur de Jésus ; — Monsabré, 39e Conf : *Le Cœur de Jésus-Christ ;* etc., etc.

quantum ad *nominis* significationem, advertere opus est contra hæreticos (ut docte tradit *Bellarminus*, de Eccl. triumph. l. II, c. 5) discrimen interesse imaginem inter et idolum. *Imago* enim, dicta ab imitando, vera est rei similitudo ; quo sensu Filius Dei vocatur in Scriptura imago Patris. *Idolum* vero, quasi forma inanis, est falsa similitudo, repræsentans id quod non est, juxta illud (1 Cor. VIII, 4) : *Scimus quia nihil est idolum in mundo ;* cui voci fere æquivalet *simulacrum*, dictum a simulando.

2° Magna olim exarsit adversus imagines concertatio, *Iconomachiæ* nomine appellata ; quæ, ab Hebræis et Mahumedanis profecta, auctore dein imp. *Leone Isaurico*, tum Orientalem tum Occidentalem Ecclesiam vehementer diuque exercuit (726-842). Scriptis vero suis præcipue *Joan. Damascenus* cultum sacrarum imaginum tuitus est. Quæ res, ad Conc. œcum. VII (Nicænum II, 787) delata, occasionem præbuit solemnis in imaginum favorem definitionis, quam et Conc. œcum. VIII (Cptanum IV) confirmavit.— Sopita jam controversia rursus excitata est operâ præsertim *Wicleffitarum* (sæc. XIV), *Hussitarum* (sæc. XV) et *Protestantium* (sæc. XVI), quorum stolida convicia contra catholicos ubique percrebuere ! Recentiori tamen tempore e Protestantibus multi sunt qui quamdam imaginibus, maxime Christi, reverentiam exhibendam admittunt.

3° Aliud est pingi haberique, aliud coli imaginem.— Etsi quidam catholici, Calvino consentientes, opinati sint nefas esse *Dei imagines* depingere, contrarium tamen pro certo tenendum est, dummodo (ut scite distinguit Cajetanus in h. art.) imagines fiant, non ad figurandum Deum ut in se est, sed vel ad exprimendas historicas Dei apparitiones, vel ad quamdam ejus notitiam metaphorice promendam. Sane *a*) non solum Ecclesiæ usus tolerantiave id suadet, sed verba *Conc. Trid.* (Sess. XXV) sat clare praxim illam confirmant. *b*) Nec inconveniens esse potest, Deum repræsentari sub iis speciebus corporeis in quibus apparuisse refertur, v. g. Patrem sub specie senis seu *antiqui dierum* (Dan. VII, 9)[1], Sp. Sanctum sub specie *columbæ* (Matth. III, 16), etc. *c*) Verum cavendum est ne pictores audeant proprio marte novas Dei aut Trinitatis imagines confingere, puta unum hominem cum tribus faciebus. *d*) Quæ autem *S. Thomas* hic habet (ad 1), scil. quod « Deo, cum sit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni » in V. Lege, accipienda sunt de imagine qua Dei natura figuraretur ; cui periculo obnoxii erant Hebræi ad

[1] — Cf. Catech. Trid. P. III, I. Praec. Dec. n. 36.

idololatriam proni (3 S. D. IX, Q. I, a. 2, quæstiunc. 2 ad 1). *e*) At quia in N. L. Deus factus est homo, idem periculum metuendum non est[1].— De hujus *Hominis-Dei* imaginibus nunc præsertim quæritur, an et quomodo coli possint.

4° Itaque duo adstruenda sunt : unum de *liceitate* cultus imaginum maxime Christi ; aliud de *specie* honoris imaginibus illis debiti.

Conclusio 1ª. — Licitus est cultus imaginum in genere, et in specie imaginum Christi : — quod sancitum est verbis *Conc. œcum. VII :* « Si quis ergo non adorat iconam Salvatoris Christi, non videat formam ejus, quando veniet in gloria paterna glorificari et glorificare sanctos suos.» His consonat *Conc. Trid.* (Sess. XXV.)

1° Revera in V. L. jussit Deus *fieri duos Cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi* (Ex. XXV, 18), et erigi *serpentem aeneum... quem cum percussi aspicerent, sanabantur* (Num. XXI, 9). Porro « *venerabantur* quondam Judæi sancta sanctorum, quia ibi erant cherubim et propitiatorium et arca testamenti » etc., (Epist. Paulæ et Eustoch. sub directione *S. Hieronymi* ad Marcellam) ; serpens quoque æneus, quo Christus in cruce pendens figurabatur (Joan. III, 14), profecto colebatur aspectu quærentium salutem.— Perperam ergo *Protestantes* contendunt prohibitum absolute fuisse apud Judæos cultum imaginum.

2° Præsto sunt *antiquitatis monumenta.*— *a*) Et primum, neglectis iis quæ minus authentice probata videntur, ceu vera referenda est *imago* Christi linteo *S. Veronicæ* impressa quæ Romæ in Basilica S. Petri asservatur et inde ab ipso ordiente Christianismo in veneratione fuit[2]. Nec præterire licet alias ejusdem Salvatoris effigies in *catacumbis* repertas, quæ pariter cultum olim imaginibus adhibitum demonstrant.— *b*) Symbola autem Christi, primorum fidelium venerationi proposita, multa fuisse Archæologia sacra testatur[3] ; modo enim ut Bonus *Pastor* (quem in calicibus depictum *Tertullianus* in l. de Pudicitia, c. 10, refert), modo ut *Agnus* seu sacra victima, modo ut *Piscis* græcis litteris Salvatorem innuens, modo ut *Vitis* cujus palmites sumus, modo quoque

[1] — Vid. plura ap. Bellarminum, *op. cit.* l. II, c. 8.

[2] — Cf. F. R. Salmon, *Hist. de l'Art Chrétien aux dix premiers siècles* (1891), ch. 4.

[3] — Id. *op. cit.*, ch. 2 ; — Cte Desbassayns de Richemont, *Nour. étud. sur les catac. rom., L'Art chrétien pendant les trois premiers siècles ;* quo in opere summa quaedam inventorum cl. *de Rossi,* ipso approbante, vulgatur.— Marucchi, *Eléments d'archéologie chrétienne.*

ut *Orphæus* i. e. mysticus gentium domator, Christus figurabatur.

3° E *Patribus*, inter multa quæ recitat *Bellarminus* (l. II, c. 9 et 12), pauca proferam.— *S. Joan Chrysost.* in Liturgia ait : « Sacerdos ad imaginem Christi caput inclinat.» *S. Ambrosius* (l. de Inc. Dom. sacram. c. 7) : « Numquid, cum in Christo imaginem Dei crucemque veneramur, dividimus eum ? » *S. Hieronymus* (in vita Paulæ) : « Prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. » — Addam verba *S. Paulini Nol.* (Ep. 32 ad Severum) sic describentis imaginem Trinitatis in basilica expressam : « Pleno coruscat Trinitas mysterio. Stat Christus agno ; vox Patris cœlo tonat ; et per columbam Sp. Sanctus fluit.»

4° *Rationis* confirmatio peti potest triplici ex capite.— *a*) Ex *naturæ* voce. Sicuti imago in phantasia vel mente formata ordinatur ad objectum, puta Christum, repræsentandum, ita et imago vel simulacrum exterius perfectum. Atqui, natura ipsa docente, Christum pie debiteque veneramur secundum quod interius nobis apparet seu in imagine mentis oculis obversante. Ergo etiam etc. — *b*) *A simili.* Siquidem imago Christi eo modo (servata proportione) tractanda est, quo solet apud homines imago regis vel principis cujuscumque tractari. Atqui regias imagines frequenter pingi et honorifice tractari, inficiabitur nemo. Ergo.—*c*) Ex *effectibus ;* ait enim *S. Thomas* (3 S. D. IX, Q. 1, a. 2, quæstiunc. 2 ad 3) : «Fuit triplex ratio institutionis imaginum in Ecclesia. *Primo* ad *instructionem* rudium, qui eis quasi quibusdam libris edocentur. *Secundo* ut Incarnationis mysterium et sanctorum exempla magis *in memoria* essent, dum quotidie oculis repræsentantur. *Tertio* ad excitandum *devotionis* affectum qui ex visis efficacius excitatur quam ex auditis. » Eosdem effectus indicat *Conc. Trid.* (Sess. XXV).

Conclusio 2ª. — IMAGO CHRISTI, UT RES QUÆDAM, NULLA VENERATIONE EST DIGNA ; UT RES SACRA ET IN ACTU PRIMO IMAGINIS, HONOREM, LATRIA TAMEN INFERIOREM, SIBI VINDICAT; FORMALISSIME UT IMAGO SEU IN ACTU EXERCITO, CULTU RELATIVO LATRIÆ HONORANDA EST.— Agitur, ut patet, de determinanda *specie* cultus imaginibus Christi debiti.— Circa quod non levis *controversia* in scholis orta est, forsan ob conceptuum confusionem.— Hanc ergo ut caveamus, advertemus Christi imaginem spectari posse vel ut est *res* quædam, qualis in pinacotheca oculis objicitur, vel ut est *imago* in templo exposita : in qua duo accipere est, *deputationem* quamdam ad cultum divinum, et actum exercitum *repræsentationis.*

1ª *Pars* concl. probatione non eget ; liquet enim imaginem, ut est res, neque quoad *materiam* qua constat, neque

quoad *formam* artis qua refulget, venerabilem esse, quamvis esse possit admiratione digna.

2ª *Pars* est de imagine, secundum quod *consecratione* quadam cultui divino deputatur ; quo sensu *D. Thomas* (II-IIæ, Q. XCIX, a. 3) imagines inter *res sacras* recenset.

1° Itaque contra *Durandum* aliosque tenemus imagines illas *proprie* et in se colendas esse, non improprie et abusive tantum quasi mera signa ad honorandum exemplar provocantia *a*) Ratio est, quia secus non salvaretur vis verborum *CC. Nicæn II* et *Trid.*, ubi definitur ipsis imaginibus debitum honorem et venerationem impertiendam esse. *b*) Nec repugnat, imo conveniens est res inanimatas in se coli, non propter se, sed propter personam quæ sit honoris ratio.

2° Tamen spectatis Christi imaginibus modo prædicto, scil. quatenus sunt fini religioso addictæ, sic eis debetur duntaxat honor quem rebus sacris impendimus, quique (juxta *Bellarminum*, l. II, c. 25) latriâ inferior est ad eamque *analogiâ* attributionis reducitur.— Huc pertinent plura argumenta eo adducta ut cultus latriæ imaginibus Christi abjudicetur.

3ª *Pars* respicit imaginem *formalissime* seu secundum quod *exercet* actum repræsentationis ; et sensus est imagini Christi sic acceptæ competere *latriam*, non quidem *absolutam* quæ solius Dei est, sed ***relativam***, quatenus exemplar adoretur propter se, imago propter exemplar : unde ex imagine et exemplari (inæquali tamen ratione) integratur unum objectum totale adorationis.— Hæc est vera *D. Thomae* sententia, quam *Cajetanus*, *Billuart*, *Contenson.* aliique plures sequuntur.

1° Fundatur hæc sententia in dictis *Conc. Nic. II* (act. 4.) : « Hoc sane rerum natura docet, quod honor imagini exhibitus ad ipsum fontem primum referatur, quomodo etiam contumelia » ; necnon in *Conc. Trid.* (Sess. XXV) : « Honor qui eis (imaginibus) exhibetur *refertur ad prototypa* quæ illæ repræsentant ; ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum *adoremus*, et sanctos... *veneremur*.» Ubi adoratio, distincta a simplici veneratione, imaginibus Christi tribuitur.

2° Inter *Patres* plura suppeditat *S. Joan. Damascenus* quæ in doctrinam nostram conferri possunt : ait enim (de Imag. Orat. III, n. 41, Migne) : « Sic itaque imagines adoremus, ut non materiæ, sed illis quos repræsentant adorationem afferamus. Nam divinus *Basilius*[1] dicit imagini habitum honorem ad ipsum exemplar archetypum transire.» Et infe-

[1] — De Sp. Sancto, c. 18.

rius subdit de Christo verba *S. Anastasii* a S. Monte Sina (in 9 Dom. et in Th. Apost.) : « Si divinam ejus pictura tantummodo deformatam effigiem conspiciamus, tanquam *ipse nos e cælo intueatur* arbitramur, atque procidentes adoramus.» — Quando autem S. Doctor latriam soli Deo deditam affirmat, procul dubio intelligit latriam *absolutam*, ut ipse insinuat (Orat. III, n. 40).

3° Efficax subit *D. Thomæ ratio.*— Motus animæ in imaginem, qua imago est seu actu repræsentat exemplar, idem est specifice, imo et numerice cum motu in rem repræsentatam. Atqui Christus adorandus est adoratione latriæ. Ergo.— Ad cujus *arg. evidentiam* notetur *a*) imaginem, qua imago est, formaliter et *univoce* repræsentare suum exemplar. *b*) Hinc qui movetur in imaginem formaliter sumptam nequit eam attingere, quin simul exemplar ipsum attingat. *c*) Quapropter una est, tum *specie*, tum *numero*, adoratio qua imaginem Christi et Christum in imagine prosequimur. *d*) Nec discrimen est inter hanc latriam *respectivam* et latriam *absolute* sumptam, nisi penes *modum :* in prima enim cultus transit per imaginem quasi per *conditionem*, qua honoretur exemplar. *e*) Igitur cultus relativus imaginum Christi dicendus est minor cultu absoluto, non specifice, sed modaliter, eo modo scil. quo res in esse repræsentativo seu intelligibili differt a seipsa in esse naturali[1].

4° Consequitur *a*) verba *Conc. Nic. II*,act. 7 (sicut et quorumdam Patrum), quibus negatur cultum imaginum Christi esse latreuticum, accipienda esse de latria *absoluta* tantum (ne Concilium sibi contradicere videatur).— *b*) Quando vero eadem S. Synodus, act. 10, cultum imaginum Christi comparat honori quem vasis sacris impertimur, loqui censenda est de similitudine *generica* in cultu *relativo :* qui cultus aut *analogice* tantum (prout spectat ad vasa sacra et ipsas imagines modo rerum sacrarum acceptas), aut *univoce* (prout respicit easdem imagines propriissime) ad latriam pertinet[2].

Solv. obj. — Obj. 1.— Præceptum est (Ex. XX, 4) : *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* Ergo[3].

Resp. *D. antec :*... et per hoc prohibetur facere *quamcumque* sculpturam vel similitudinem, *N ;* vetantur imagines deo-

[1] — Ipse Leibnitzius veritatem thomisticae doctrinae hac de re agnovit in *Syst. theolog.* p. 142 et sqq. (ap. Perrone, *De cultu Sanct.* c. V).

[2] — Cfr. Cajetanum, in h. l ; — Suarez, Disp. LIV, S. 3-5 ; — Billuart, Diss. XXIII, a. 3, etc.

[3] — Arg. hoc usque ad nauseam replicant Protestantes ; ita Ch. Hodge, *Systematic Theology*, P. III, c. 19.

rum quos *idololatrae* venerabantur, ut patet ex contextu, *C.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Abstinendum est ab operibus gentilium. Atqui gentiles in hoc præcipue culpantur quod *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis* (Rom. I, 23). Ergo.

Resp. *D. M :*... ab operibus quibuscumque, *N;* ab operibus infructuosis et noxiis, *C.— D. m :*... quod adoraverint *verum* Deum in imagine, *N ;* quod adoraverint imagines ob *numina* quæ eis inesse putabant, vel *creaturas* quibus effigies illas statuebant, *C.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Nihil videtur in cultu divino admittendum nisi quod a Deo institutum est. Atqui nulla invenitur traditio divina de adorandis Christi imaginibus. Ergo.

Resp. *Trans. M.— D. m :*... in ipsis Sacris Litteris, *C ;* in praxi Ecclesiæ ab Apostolis statuta et per successionem fidelium servata, juxta illud (2 Thess. II, 15) : *Tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram, N.— Neg. conseq.*[1].

ARTICULUS IV.

Utrum crux Christi sit adoranda adoratione latriae.

Titulus est de sola *cruce*, sed simul intentio fertur ad reliqua *instrumenta* nostræ salutis.— Crucis honori adversati sunt *Claudius Taurinensis*, *Pauliciani*, *Bogomili*, *Petrobrusiani*, *Waldenses*, *Cathari*, *Wicleffitae*, *Lutherani* et *Calvinistae*[2].

Conclusio.— Christi veræ cruci crucique effigiatæ necnon reliquis salutis nostræ instrumentis debetur honor ; qui quomodo ad latriam pertinere possit, ostenditur.

1ª *Pars* certitudine *fidei* constat ex *Conc. Nic. II* (act. 7) et *Conc. Trid.* (Sess. XXV).

1° De *vera cruce.*— Crucis lignum venerandum esse demonstrant *a*) *Scripturae*, per quas edocemur Christum sponte crucem elegisse quasi instrumentum liberationis humanæ, aram in qua ipse immolaretur, tropæum et scalam triumphi. — *b*) *Traditionis* præco audiatur *S. Ambrosius* qui (Orat.

[1] — Kraus, *Hist. de l'Eglise*, t. I, 1e Ep., 1 Pér., ch. 1, censet Christi imaginem, quam tribuunt B. Lucae, eo posteriorem esse.

[2] — Bellarm., *de Eccl. triumph.*, l. II, c. 26 ; — Petavius, *de Incarn.* l. XV, c. 7.

in Theod. n. 48), loquens de clavo inserto ab Helena galeae imperatoris, ait : «Sapienter Helena, quæ Crucem (particulam scil. crucis seu unum clavum) in capite regum locavit, ut crux Christi in regibus adoretur.» Consentit *S. Chrysostomus* (Hom. 2, de cruce et latr. n. 1) : « Crux prius condemnationis et supplicii nomen erat ; nunc res est venerabilis et desiderabilis. Crux antea dedecoris et pœnæ argumentum erat ; nunc gloriæ et honoris occasio.» — *c*) Hinc divina providentiâ contigit ut veram crucem, quæ per tria sæcula latuerat, *S. Helena*, mater Constantini, divinis admonita visionibus tunc quæreret et inveniret, cum primum eam colere fas esset : cujus crucis veritatem et dignitatem illustria *miracula* attestata sunt.

2° De *verae crucis effigie*.— Quantum imago hæc honorem sibi vindicet, *a*) *Scriptura* indicat (Matth. XXIV, 30) : *Tunc parebit signum Filii hominis in coelo ;* quibus verbis Crux, quasi gloriosum Christi vexillum, designatur.— *b*) Primi *Apologetae* venerationem cruci a christianis impensam contra ethnicorum calumnias defensarunt ; quod hujus cultus antiquitatem convincit.— *c*) Idem ostendit venerabundus usus *signi crucis*, de quo celebre est testimonium *Tertulliani* (l. de Corona, c. 3) : « Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.» Similia habet *S. Joan. Chrysost.* (cont. Jud. et Gent : *Quod Ch. sit Deus*, n. 9).— *d*) Inter *miracula* quæ crucis imaginem honestarunt, eminet illud jure celebratum de *Constantino ;* cui plane vigilanti crux apparuit cum verbis : *In hoc signo vinces ;* unde *labarum*, nobilissimum victoriæ pignus, Imperatorem et in prœliis præcessit et efficaci præsidio munivit. — *e*) Cæterum, crucis imago, in qua Redemptionis mysterium refulget, oculis objicit veluti *fidei* summam vitæque christianæ ac *virtutum*, quibus Christus claruit, memoriam et exemplar.

3° De reliquis *instrumentis* quæ Christo servierunt in operanda nostra salute, dubium non est quin honorem mereantur, sicut arma liberatoris patriæ honorifica admiratione coluntur : sensu communi id patet.— Hinc *Joan. Damascenus* (de Fid. Orth. l. IV, c. 11) : « Hoc pretiosum ac venerabile lignum, in quo se Christus pro nobis hostiam obtulit, uti sanctissimi corporis atque sanguinis tactu sanctificatum, jure debet adorari ; clavique item, et lancea, et indumenta, et sacræ ejus mansiones, hoc est, præsepe, specus, salutaris Golgotha, vivificum sepulchrum.» — Reapse pleraque *festa* ab Ecclesia instituta sunt ad honorandas sacras illas Christi reliquias.

2ª *Pars* est de *specie* cultus Cruci aliisque Redemptionis instrumentis debiti.

1° *a*) Cum honor seu reverentia non conveniat nisi intellectuali naturæ, creaturam insensibilem honorari contingit, non ratione sui, sed ratione naturæ intelligentis, sive quod eam *repraesentet*, sive quod ei quocumque modo conjungatur ; unde et imaginem et vestimentum regis homines venerantur *eadem veneratione* quam regi ipsi impertiuntur. Atqui *vera crux* Christi duplici illo venerabilitatis titulo commendatur : siquidem et Christi crucifixi figuram nobis repræsentat, et contactu ejus membrorum ac pretiosissimo sanguine sanctificata est. Ergo veræ cruci debetur cultus *relativus* latriæ qua Christum ipsum honoramus.

b) Si vero loquamur de *effigie* crucis Christi in quacumque materia, lapidis vel ligni, argenti vel auri, hæc **effigies** unum tantum honorabilitatis titulum præsefert, scil. rationem *imaginis*, quæ, si formalissime spectetur, exposcit (ut dictum est in art. præc.) adorationem *latriae :* — Id persuadetur *sensu* Ecclesiæ et fidelium ; quippe, Ecclesia ipsa invitante, crucem effigiatam alloquimur et deprecamur quasi ipsum Crucifixum ; unde, ut habet hymnus Passionis, in ea ponimus spem salutis cantantes : *O crux, ave, spes unica* !— Accedit quod feria sexta Parasceves lignum crucis triplici prostratione cernui adoramus.

c) Licet autem crucem Christi veneremur in quacumque materia, non tamen imaginem aliorum passionis *instrumentorum*, quæ nequeunt Christi figuram repræsentare. Ea vero honoramus, etiam *latriâ respectiva*, in illa materia quæ contactu membrorum Salvatoris sacrata est.

2° Si Christi reliquiæ considerentur velut *res sacrae* et præcisione facta ab ipso Christo (uti supra de imaginibus diximus), tunc fatendum est eis non deberi nisi cultum speciei inferioris qui analogice tantum ad latriam reducitur[1].

QUÆSTIO QUARTA

DE CULTU SANCTORUM

Cum Christus in sanctis suis ceu in templo hospitetur, honor Christo debitus indagandus remanet sub eo respectu quo ad sanctos multiplici venerationis ratione defertur.— De his quæstionem movebimus, inquirentes de cultu *sancto-*

[1] — Vide plura apud Petavium, l. XV, c. 7-10, necnon apud Bellarminum, l. II, c. 26-30, qui adversariorum objectiones refellit.

rum in genere (art. 1), de cultu speciali *invocationis* (art. 2), de cultu *reliquiarum* (art. 3), et de cultu *imaginum* (art. 4) ; quæ quidem breviori stylo expediemus, lectorem remittentes ad auctores theologiæ polemicæ.

ARTICULUS I.

De cultu sanctorum in genere.

1° Prænotandum est ab honore *civili religiosum* honorem sive cultum secerni, prout unus naturales, alter vero supernaturales dotes respicit ;— præterea, cultum religiosum alium esse *supremum* solique Deo proprium, alium *inferiorem* sanctisque exhibendum qui *duliae* ac *hyperduliae* vocibus usu ecclesiastico exprimi consuevit.

2° Cultus duliæ (haud secus ac latriæ) merito distinguitur in *absolutum* et *relativum*, quatenus aut personis dignitate sibi insita fruentibus aut rebus respectum dicentibus ad illas personas impenditur. Agitur nunc de sanctorum cultu *absoluto ;* quem *internum* ac *externum* esse multisque se modis in medium producere, scil. festis, templis ac altaribus[1], hymnis, invocationibus, processionibus etc., probe novimus. Propositum præsentis articuli est cultum illum *in genere* contra hæreticos vindicare.

3° Fuit, teste *Bellarmino*, de Eccl. triumph. l. I, c. 11, antiqua hæresis *Eustachii* (apud Socratem), *Ennomii* et *Vigilantii* (apud Hieronymum), *Claudii Taurinensis* et *Wicleffi*, sanctos non esse colendos : qui error recruduit operâ *Calvinistarum* et *Lutheranorum* tenentium juxta suum systema de justificatione mere externa nihil honore dignum in sanctis reperiri.— Semper tamen fuerunt aliqui Protestantes moderatiores qui sanctis beatæque Virgini M. debitum cultum profiterentur[2] ; quorum numerus ætate nostra, maxime in Anglicanorum cœtu, excrevit[3].— Alii recentiores, ut *C. Hodge*[4], cum doctrinam catholicam refutare seu falsi-

[1] — Commemoranda sunt verba *Conc. Trid.* (Sess. XXII, c. 3) : « Quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, *non* tamen *illis sacrificium offerri* docet, sed Deo soli, qui illos coronavit ; unde nec sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificium, Petre vel Paule ; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis quorum memoriam facimus in terris. »

[2] — Perrone, *Le Protest. et la Règle de Foi*, t. III, ch. XI, 1.

[3] — Delisle, *L'Anglicanisme et les Sectes dissidentes* en 1892, ch. IV, 1.

[4] — *Systematic Theology*, P. III, c. XIX, 5.

tatis arguere nequeant, catholicos saltem reprehendunt de praxi idololatrica ; quasi contradictio theoriam inter et praxim catholicam habeatur !

Conclusio.—LEGITIME SANCTIS UNA CUM CHRISTO REGNANTIBUS CULTUS DULIÆ EXHIBETUR.— Id *fide* constat ex *Conc. Trid.* (Sess. XXII et XXV).

1° Suffragatur *Scriptura* verbis et exemplis :— *a) verbis* quidem ; nam legitur (1 Reg. II, 30) : *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* (Eccli. XLIV, 1) : *Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua ;* unde in sequentibus paginis celebrantur laudes illustriorum Dei servorum V. T. Et (Joan. XII, 26) : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.*— *b)* Accedunt *exempla* cultus religiosi exhibiti tum Angelis tum hominibus sanctioribus. Sic narratur de Josue (Jos. V, 13-15) quod, cum vidisset virum stantem evaginato gladio, dixit : *Noster es, an adversariorum ? Qui respondit : Nequaquam ; sed sum princeps exercitus Domini... unde cecidit Josue pronus in terram* ut eum honoraret. Item, quum Elisæus (4 Reg. II, 12-15), translato Elia, hujus pallio aquas percussisset ac divisisset, *filii prophetarum... dixerunt : Requievit spiritus Eliæ super Elisaeum. Et venientes in occursum ejus adoraverunt eum proni in terram.*

2° Suppetit Ecclesiæ *praxis* perantiqua, quam *Petavius* (de Inc. l. XIV, c. 12) ad hæc capita redegit : « Sunt, ait, præcipua cultus illius (sanctorum) et honoris approbandi capita et indicia ista : primum, quod post illorum obitum, veteris instituto Ecclesiæ, et a majoribus accepta et perpetua traditione, *memoria* est illorum insigni honore celebrata ; necnon eorum *sepulchris* idem religiosæ observantiæ impensum est officium. Deinde, quod *altaria* super eorum reliquias erecta ; necnon *basilicae* sive *templa* magnifico sumptu et apparatu in eorumdem memoriam ac nomen Deo consecrata. Tertium, quod ad illos honorandos *festi* dies et conventus hilaritatesque ex antiquo christianis populis institutæ. Quartum, quod *sacrificia* Deo in eumdem oblata sunt finem, ut illis ipsis honor haberetur. Postremum denique, quod eorum ad sepulcra, et utique interventoribus ac sequestribus iis, multa divinitus et ingentia *miracula* facta sunt.»— Inter vetustiora traditionis monumenta citantur *acta martyrii S. Ignatii*[1] a fidis comitibus conscripta, ubi (prope finem) dicitur : « Deum datorem bonorum laudavimus et Sanctum

[1] — Apud Ruinart, *Acta primorum martyrum sincera.*

beatum diximus vobisque diem et tempus indicavimus ut, tempore ejus martyrii convenientes, athletæ et generoso Christi martyri communicemus, qui diabolum conculcavit » etc. His consonat ep. *Ecclesiae Smyrnensis*[1] de martyrio *S. Polycarpi*, ubi legitur (2 loc. n. 18) : « In exultatione et gaudio præbebit Dominus natalem martyrii ejus diem celebrare, tum in memoriam eorum qui certamina pertulerunt, tum in venturorum hominum exercitationem et alacritatem. » Testimonia Patrum legantur apud *Bellarminum* et *Petavium*.

3° *Ratio* in promptu est.— Etenim, ut docet *S. Thomas* (II-IIæ, Q. CIII, a. 2), « *honor* semper debetur alicui propter aliquam excellentiam vel superioritatem, » civilis propter civilem et naturalem, religiosus propter religiosam et supernaturalem : qui honor si cum submissione honorantis fiat, *cultus* nuncupatur. Atqui sancti ad cœlum progressi excellunt omnino virtute, sapientia, nobilitate, imo et potentia, juxta illud (Apoc. III, 21) : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Ergo. — Hoc argumentum, in ipsa *naturae humanæ inclinatione* fundatum, opportune urget *Perrone* (l. cit.) contra Protestantes et adversarios qui illustriorum virorum suorum et memoriam et sepulcrum honore afficiunt.— Accedit *analogia* inter cultum profanum ministris terreni regis, et cultum sacrum ministris amicisque Regis supremi convenientem.

Solv. obj. (Calvini).— Obj. 1.— Si quis honor sanctis deberetur, esset religionis cultus. Atqui cultus religionis soli Deo debetur ; nam *soli Deo honor et gloria* (1 Tim. I, 17). Ergo.

Resp. *D. M* :... cultus religionis primarius seu *latria, N ;* cultus secundarius seu *dulia, C.— C. d. m.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Dulia græce idem sonat ac servitus, unde plus dicit quam latria seu cultus. Atqui sancti non sunt latreutice honorandi. Ergo multo minus etc.

Resp. *D. M :* Reapse usu *profano* dulia plus dicit quam latria, *N ;* idem significat, ita ut tamen secundum usum *ecclesiasticum* summa et *perfecta servitus* conveniat cultui latriæ, *imperfecta* vero cultui duliæ qua quis utcumque dominanti obsequitur, *C.— C. m.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Cum Cornelius centurio se ad pedes B. Petri prostravisset, prohibuit Petrus dicens : *Surge, et ego ipse homo sum* (Act. X, 25-26). Ergo.

Resp. *D. antec* :... et hoc egit Petrus ex modestia vel ad corrigendum Cornelium existimantem divinum quidpiam in

[1] — Ibid.

Petro inesse, *C ;* ad negandum omnem honorem sanctis viris debitum, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

De invocatione sanctorum.

Potissima cultus sanctorum forma est *invocatio.*— Hanc 1° post *Vigilantium* oppugnarunt *Petrobrusiani* et *Henriciani*, *Waldenses*, *Cathari*, necnon *Wicleffus* et *Thaboritae ;* quibus accesserunt *Lutherus*, *Melanchton* et *Calvinus* docentes sanctos aut pro vivis non orare, aut si orant, nonnisi in genere orare, inutileque, imo illicitum esse ad eos preces dirigere. Hinc orta est magna illa Protestantium adversus cultum sanctorum concertatio quæ nondum sopita est : quamvis haud pauci jam antiqua præjudicia excutere videantur.

2° Cum *Bellarmino* (de Eccl. triumph. l. I, c. 17) notabimus non ita a nobis sanctos invocari, quasi ipsi *per se* gratiæ auctores existant : id enim per calumniam catholicis exprobratur.— Nec putandum est sanctos esse apud Deum intercessores nostros *immediatos* ; quippe per Christum, ceu per primum et necessarium Mediatorem, quidquid nobis a Deo impetrant, impetrare censendi sunt, juxta illud (Joan. XVI, 23) : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*— At sancti ex meritis, quæ sibi in terris compararunt, id præmii consecuti sunt ut jam in cœlis Christo conviventes possent orationibus suis vivos juvare tum eorum preces ad Christum deferendo, tum Christi merita eis applicentur rogando (II-IIæ, Q. LXXXIII, a. 11 ad 1).

3° Claritudinis causâ, duo distinctim discutiemus, *unum* de intercessione sanctorum apud Deum, *alterum* de sanctorum invocatione ex parte hominum.

Conclusio 1ª. — SANCTI PRO NOBIS ORANT CUM IN GENERE TUM IN SPECIE, SUMMA INTERCESSIONIS EFFICACIA.

1ª *Pars* firma *fide* asseritur ex *Conc. Trid.* (Sess. XXV)[1], nec perperam.

1° Nam aperte favet *Scriptura.*— Judas Mach. (2 Mach. XV, 11-16) narrat se in *digno fide somnio* vidisse Oniam pontificem et Jeremiam prophetam, qui jam obierant, orantes

[1] — Decretum est « sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus J. C. D. N., qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxilium confugere » etc.

pro populo Judæorum ; quo testimonio pressus Calvinus negavit librum hunc esse canonicum. Legitur quoque (Apoc. V, 8) : *Vigenti quatuor seniores* (i. e. sancti utriusque Test.) *ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum.* — Sanctos pro nobis orare etiam *in particulari*, ex eo colligitur, quia Angeli, teste Scriptura (cf. tract. *de Creatione*), singulorum hominum curam gerunt. Porro animæ beatæ conjunctiores nobis sunt quam Angeli ; neque carent directiva quadam in vivos potestate, secundum illud (Apoc. II, 26) : *Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes*, etc. Ergo.

2° Traditionem æque attestatur *archaeologia* et *patrologia*. Speciminis gratiâ esto inter plures veteres inscriptiones Romæ repertas hæc invocatio : « Vincentia in Christo, petas pro Phœbe et pro Virginio ejus[1].» Quibus verbis ostenditur persuasio quod sancti sint advocati nostri penes Deum.— Pulchre *S. Joan. Chrys.* (Serm. de Juventino et Maximino, n. 3) : « Sicut milites vulnera in prœliis sibi inflicta regi monstrantes fidenter loquuntur, ita et illi absecta capita gestantes et in medium afferentes, quæcumque voluerint apud Regem cœlorum impetrare possunt. » Id ipsum sentiunt *Origenes*, *Cyprianus*, *Greg. Naz.*, *Hieronymus*, *Augustinus*, etc.

3° *Ratio* duplex afferri potest.— *a*) In systemate christiano vera intimaque admittenda est conjunctio Ecclesiæ militantis et triumphantis sub uno capite Christo ; quippe eo pertinet *communio sanctorum* in Scripturis fundata, a Patribus celebrata[2], jugique fidelium sensu in Symbolo professa. Atqui communio ista exigit ut sociata membra pro invicem sollicita sint et invicem se juvent. Ergo.— *b*) Præterea « habet hoc *divinus ordo* ut ex superiorum excellentia in inferiora effundatur, sicut ex claritate solis in aërem » (II-IIæ, Q. LXXXIII, a. 11). Atqui sancti qui sunt in patria, viatoribus excellunt perfectione caritatis ex qua oratio pro aliis facta radicem et vim desumit. Ergo concludamus cum *Hieronymo* (cont. Vigilantium, n. 6) : « Si apostoli et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias et triumphos.»

2ª *Pars* de *efficacia* intercessionis sanctorum optime declaratur a *D. Thoma* (Suppl. Q. LXXII, a. 3) : « Sancti, ait, dicuntur dupliciter orare pro nobis : uno modo oratione *ex-*

[1] — Ap. Desbassayns de Richemont, *op. cit.*, p. 367.
[2] — Cf. Hurter, *de Deo consumm.*, Sect. III.

pressa, dum votis suis aures divinæ clementiæ pro nobis pulsant ; alio modo oratione *interpretativa*, scil. per eorum merita quæ in conspectu Dei existentia non solum eis cedunt ad gloriam, sed sunt nobis etiam suffragia et orationes quædam, sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus dicitur veniam petere. Utroque autem modo sanctorum orationes sunt, *quantum est in eis*, *efficaces* ad impetrandum quod petunt.— Sed *ex parte nostra* potest esse *defectus* quod non consequamur fructum orationum ipsorum, secundum quod pro nobis orare dicuntur ex hoc quod merita eorum nobis proficiunt.— Sed secundum quod orant pro nobis, votis suis aliquid nobis postulando, *semper exaudiuntur*, quia non volunt nisi quod Deus vult, nec petunt nisi quod volunt fieri. Quod autem Deus vult, semper impletur ; nisi loquamur de voluntate *antecedente*, secundum quam *vult omnes homines salvos fieri*, quæ non semper impletur. Unde nec est mirum, si etiam quod sancti volunt per hunc modum voluntatis interdum non impleatur.»

Conclusio 2ª. — PIA AC UTILIS EST SANCTORUM INVOCATIO ; QUAM IPSI PROCUL DUBIO DEPREHENDUNT.

1ª *Pars*, asserta olim a pluribus Conciliis, novum *fidei* robur accepit ex *Conc. Trid.* (Sess. XXV) : sic probatur.

1° Ex *Scriptura*.— Dicitur (Job. V, 1) ; *Voca, si est qui tibi respondeat et ad aliquem sanctorum* (Angelorum) *convertere ;* quæ verba Eliphaz, amici Job, indicant tunc fuisse morem beatos spiritus invocandi : sancti enim homines nondum cœlum ingressi erant.— Insuper, sancti patriæ acceptiores Deo sunt quam in statu viæ. At sanctos viæ debemus intercessores pro nobis ad Deum constituere, exemplo Apost. (Rom. XV, 30) : *Obsecro vos... ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Ergo multo magis recurrendum est ad cœlitum orationes.

2° Ex *traditione*. — *a*) Sanctorum invocationem inde saltem a sæc. IV per totam Ecclesiam in usu fuisse, res est indubia (Bellarm. *op. cit.* l. I, c. 19), idque ipsi Protestantes fassi sunt. At vero isti, ut defectionem suam tegerent, impudenter contenderunt praxim illam ex privatis monachorum devotionibus et vulgi persuasionibus, per quorumdam Episcoporum sermones panegyricos, præfato circiter tempore invectam fuisse : quod gratis asseritur falsumque est. Quomodo enim Christi Ecclesia, in petra divinarum promissionum fundata, potuisset universim a fide deflectere? *b*) Verum nec desiderantur testimonia ætatis antecedentis ; *Origines* enim scribit (l. de Oratione, n. 14) : « Obsecratio et postulatio et

gratiarum actio non absurde potest et sanctis offerri... ut adjuvent nos » etc. Testatur *Greg. Nazianz.* (Orat. XXIV, n. 9-11) *S. Justinam V.* quæ floruit sub fine sæc. III, tentatam a Cypriano pagano, Virginem Mariam suppliciter obsecrasse « ut periclitanti virgini suppetias ferret.» Etiam *Eusebius Caesar.* sæc IV loquitur de sanctis invocandis tanquam de re in Ecclesia consueta ; ait enim (de Præp. evang. l. XIII, c. 11): « Eorum sepulcra celebrare, et preces ibi votaque nuncupare, et beatas illorum animas venerari *consuevimus.*»— *c*) Amplius, certo constat ex *actis martyrum* (ap. *Perrone*, de Cult. Sanct. c. III) sub ipsis Ecclesiæ primordiis fidem viguisse de intercessione sanctorum pro nobis ; at intercessioni ex parte sanctorum æqua vice respondet invocatio ex parte nostra.— *d*) Item, recole argumentum paulo superius indicatum, planeque irrefragabile, desumptum ex sepulcralibus *inscriptionibus* quas eruditi in catacumbis reperiere, quæque communem sæc. II et III praxim de invocatione sanctorum, una cum suasione de eorum vi intercessiva, lapideo stylo traducunt[1].— *e*) Hos addiderim *liturgiarum* auctoritatem, quæ, etsi sæc. tantum IV exaratæ sint, publicam tamen de ea re Ecclesiæ fidem anterius vigentem exhibent, cum ex primo traditionis fonte quasi rivuli dimanaverint (Perrone, *loc. cit.*)

3° *Ratione*, quam sic ex *D. Thoma* (Suppl. Q. LXXII, a. 2) conficimus.— Iste ordo divinitus est in rebus institutus ut extrema per media in Deum reducantur ; ex quo fit ut sancti, qui propinquissime Dei throno assistunt, *mediatione* quadam fungantur inter Deum et homines. Atqui cœlestium illorum mediatorum dignitas et officium postulat ut eis vota, desideria, necessitates nostras obsequenti animo significemus, prout fieri solet in mediationibus hujus mundi. Ergo, quamvis nihil prohibeat immediate Deum invocari, omnino tamen congruit ut divina beneficia per sanctos petamus.— Hoc postremo confirmat consuetudo Ecclesiæ *litanias sanctorum* adhibentis fidelibusque recitandas proponentis.

2ª *Pars* subjicitur ad occurrendum objectioni Protestantium ; verba proferam *S. Thomae* (*l. cit.* a. 1) qui, postquam notaverat sanctos Dei essentiam non comprehendre, subdit : « Unusquisque beatus tantum de aliis rebus necessarium est ut in essentia divina videat, quantum perfectio suæ beatitudinis requirit. Hoc enim ad perfectionem beatitudinis requiritur ut homo habeat quidquid velit, nec aliquid inordinate velit. Hoc autem recta voluntate quilibet vult, ut ea

[1] — Vid. Mgr Gerbet, *Esquisse de Rome chrétienne*, c. IX, n. 6, aliosve plures rerum archaeologicarum tractatores.

quæ ad ipsum pertinent cognoscat. Unde cum nulla rectitudo sanctis desit, volunt cognoscere ea *quae ad ipsos pertinent ;* et ideo oportet quod illa in Verbo cognoscant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinet quod auxilium indigentibus præstent ad salutem ; sic enim Dei cooperatores efficiuntur, quo nihil divinius... Unde patet quod sancti habent cognitionem eorum quæ ad hoc requiruntur. Et sic manifestum est quod *in Verbo cognoscunt vota*, et devotiones, et orationes hominum qui ad eorum auxilium confugiunt.»

Notanda.— 1° « Quamvis sancti superiores sint magis Deo accepti quam inferiores, utile tamen est etiam *minores sanctos* interdum orare. Et hoc propter quinque rationes : *primo*, ex hoc quod quandoque aliquis habet majorem devotionem ad minorem sanctum quam ad sanctum majorem ; ex devotione autem maxime dependet orationis effectus. *Secundo*, propter fastidium tollendum, quia assiduitas unius rei fastidium parit ; per hoc autem quod diversos sanctos oramus, quasi in singulis novus fervor devotionis excitatur. *Tertio*, quia quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipue patrocinari... *Quarto*, ut omnibus honor debitus exhibeatur a nobis. *Quinto*, quia plurium orationibus quandoque impetratur quod unius oratione non impetraretur » (Suppl. *Q. cit.* a. 2 ad 2).

2° « Animæ sanctorum habent voluntatem plenarie conformem divinæ voluntati etiam in volito. Et ideo quamvis affectum charitatis ad proximum retineant, non tamen eis aliter auxilium ferunt quam secundum divinam justitiam vident esse dispositum. Et tamen credendum est quod *multum proximos juvent* pro eis apud Deum intercedendo » (*ibid.* **a.** 1 ad 3).

Solv. obj. — Plura quidem a Protestantibus tum antiquis tum modernis[1] objiciuntur, quorum nos præcipua tantum hic attingemus[2].

Obj. 1.— Quod dignitati Christi Mediatoris derogat rejiciendum est. Atqui hujusmodi est invocatio sanctorum quasi mediatorum, nam est *unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (1 Tim. II, 5). Ergo.

Resp. *C. M.— N. m.— D. prob :* Unus est Mediator perfectus et *simpliciter, C ;* ad exclusionem mediatorum imperfectorum et *secundum quid, N.— Neg. conseq.*

[1] — Specimen habes in alias citato Hodge, *Systematic Theology*, P. III, c. 10.

[2] — Quoad reliqua cfr. Bellarminum, *de Eccl. triumph.* l. I, c. 22 ; — Petavium, *de Inc.* l. XIV, cc. 15-18 ;— Perrone, *l. cit.*

Christus unus est perfectus Mediator noster, *a*) tum ratione *naturae*, quippe est Deus -homo ; *b*) tum ratione *officii*, quatenus *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (1 Tim. II, 6) et morte sua humanum genus Deo reconciliavit ; *c*) tum ratione *independentiae*, qua fit ut ipse nullo mediatore indigeat : quæ tria soli Christo conveniunt.— « Nihil tamen prohibet aliquos *secundum quid* dici mediatores inter Deum et homines, prout scil. cooperantur ad unionem hominum cum Deo *dispositive* vel *ministerialiter* » (III, Q. XXVI, a. 1).

Obj. 2.— Nullus amicos alicujus interpellat ad orandum pro se, nisi quia credit se facilius apud eos gratiam obtinere posse. Atqui Deus est longe misericordior et liberalior quolibet sancto. Ergo.

Resp. *C. M.—D. m* :... ea misericordia et liberalitate quæ omnem imperfectionem abhorret, *C ;* quæ nullo mediante exercetur, *N.— Neg. conseq.*

« Sicut non est propter defectum divinæ potentiæ quod mediantibus secundis causis agentibus operatur, sed est ad complementum ordinis universi, ut ejus bonitas multiplicius diffundatur in res, dum res ab eo non solum suscipiunt bonitates proprias, sed insuper quod aliis causa bonitatis existant ; ita etiam *non est propter defectum misericordiae* ipsius quod oporteat ejus clementiam per orationes sanctorum pulsare, sed est ad hoc ut *ordo* prædictus servetur in rebus » (Suppl. Q. LXXII, a. 2 ad 1).

Obj. 3. — Plures veteres prohibuere invocationem sanctorum, puta Clemens Alex. et Irenæus, Origenes, patres Syn. Laodicenæ, S. Joan. Chrysostomus. Ergo.

Resp : 1° *Clementem Alex.* et *Irenaeum* prohibuisse recursum ad inanes gentilium deos, scil. ad dæmones et æones ; — 2° *Origenem* ac *Syn. Laodicenam* soli Deo vindicasse, ad exclusionem aliorum, *supremam* invocationem quæ Auctori omnium bonorum reservanda est ;— 3° *Joan. Chrysostomum* id tantum asseruisse, quod verissimum est, non ita absolute ac præfracte tuendam esse sanctorum implorationem quasi ea sola confidendum sit aut quisque non possit sine interprete Deum adire.

ARTICULUS III.

De cultu reliquiarum.

(III, Q. XXV, a. 6)

An quove modo sanctorum *personae* honorandæ sint, definivimus ; nunc dicendum de honore impertiendo *rebus* ad

sanctos spectantibus.—Et 1° sit sermo de *reliquiarum* cultu ; quarum nomine intelligimus strictius quidem sanctorum corpora horumque partes, latius vero quidquid ipsi, dum vivebant, usu ac contactu sacraverint.

2° Cultui ss. reliquiarum repugnarunt *Eunomius* et *Vigilantius* (hic reliquiarum cultores *cinerarios* appellabat), *Constantinus Copronymus*, *Claudius Taurinensis*, *Albigenses ;* quibus *Protestantes*, quum negarent sanctis intrinsecam præstantiam et sanctitatem, sui cohærentia systematis assentiri suadebat.

3° *a*) Ut cuique patet, reliquiarum veneratio *relativa* est, scil. ad sanctos, quorum reliquiæ sunt, refertur potestque per *analogiam* reduci ad genus *cultûs* quo sancti ipsi honorantur.— *b*) Quod vero ad praxim pertinet, *Conc. Trid.* (Sess. XXV) decrevit non esse « novas reliquias recipiendas, nisi recognoscente et approbante episcopo « etc.— *c*) Tametsi vero maxima Ecclesiæ sollicitudo in secernendis veris reliquiis a falsis decipi quandoque possit, id certe rarius et accidentaliter tantum evenit, nec veritati cultus illius absolute et *formaliter* sumpti præjudicat.

Conclusio.— Reliquiis Sanctorum jure meritoque cultus religiosus defertur ;— quod, in pluribus jam anteactis Synodis decretum, a *Conc. Trid.* (Sess. XXV)[1] confirmatum est.

1° Revera favent *exempla Scripturarum*.— In V.T. Moyses, discessurus cum populo ex Ægypto, ossa *S. Joseph* honorifice secum tulit in terram promissam (Exod. XIII, 19). Item *corpus Moysis* Deus ipse honoravit operâ Angelorum sepeliendo ; cujus tamen sepulchrum occultatum est, ne Judæi ad idololatriam proclives divino cultu illud prosequerentur (Deut. XXXIV, 6). Rursus, *ossa Elisaei*, cum mortuum quemdam hominem tetigissent, continuo illum ad vitam revocarunt (4 Reg. XIII, 21).— In N. T. mulier Hæmorrhoissa, tacta fimbriâ vestimenti Salvatoris, illico sanata est (Matth. IX, 20-22). Narratur populos certatim ad *S. Petrum* occurrisse *ut saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum et liberarentur ab infirmitatibus suis* (Act. V, 15) ; pariter, *B. Pauli sudaria et semicinctia* ad ægrotos delata esse, *et recedebant ab eis languores* (*ibid.* XIX, 12).

1 — Statuit Concilium « sanctorum quoque martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, et templum Sp. Sancti (1 Cor. III et VI), ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse : per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur. »

2° *Traditio* testimoniis abundat.— *a*) Cum *S. Ignatius M.* scripisset ad Romanos : « Frumentum sum Dei et per ferarum dentes molar ut mihi sepulchrum fiant,» eo emortuo, desiderium ejus impletum est ; unde « solæ duriores sanctarum ejus reliquiarum partes relictæ sunt, quæ Antiochiam delatæ sunt et in sudario depositæ, thesaurus sane inæstimabilis » etc. (*Act. martyrii*[1] *S. Ign.* n. 5). Plura ad rem depromi possent ex actis *aliorum martyrum* et Patrum panegyricis.— *b*) Eloquenter *Hieronymus* (l. cont. Vigilantium, n. 5) *praxim* Ecclesiæ vindicat : « Ergo sacrilegi sumus, quando *Apostolorum* basilicas ingredimur ? Sacrilegus fuit Constantinus Imp., qui sanctas reliquias *Andreae*, *Lucae* et *Timothei* transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur ? Sacrilegus dicendus est et nunc Augustus Arcadius, qui ossa *B. Samuelis* longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam[2] ? »

3° Validissimum argumentum præbent ***miracula***, quæ opera Dei sunt, nec nisi veram doctrinam comprobare possunt. Porro innumera facta ejusmodi evenisse narratur[3], tum quæ ad sanctorum reliquias earumque contactu patrata sunt, tum quæ in ipsis mortuis corporibus apparuerunt, puta quod corpora diu post mortem conspicerentur integra, incorrupta, odoribus fragrantia.

4° *Ratione* sic proceditur.— Qui habet affectum ad aliquem, etiam ea quæ de ipso post mortem relinquuntur, tum corpus corporisque partes, tum quoque alia exteriora, ut vestes, intimo ultroneoque sensu veneratur : morem hunc universæ hominum generationes sacrarunt. Atqui Dei sanctos in veneratione habendos esse manifestum est, quatenus sunt membra Christi, Dei filii et amici, nostrique intercessores. Ergo eorum reliquias qualescumque honore congruo afficere debemus.— Id vero præcipuo quodam jure de ss. *corporibus* accipiendum est : siquidem *a*) fuerunt templa Sp. Sancti ; *b*) organa et instrumenta Dei animæque operantis ; *c*) pignora sunt patronorum ; *d*) exuviæ carissimorum ; *e*) tropæa triumphantium ; *f*) eaque demum corpori Christi gloriosa resurrectione configurabuntur.— Omittinus *utilitates* illius cultus, quo vigente vividissima virtutum omnium recordatio

[1] — Apud Ruinart, *op. cit.*

[2] —Alia quam plurima Patrum effata habentur apud Bellarminum, *op. cit.* l. II, c. 3, et Petavium, *de Inc.* l. XIV, cc. 11-13.

[3] — Bellarm., *l. cit.*— Apud nos in sanctuario *S. Annae* (*de Beaupré*) plura prodiere portenta, quibus veritas cultus reliquiarum et sanctorum invicte demonstratur.

supernæque gloriæ repræsentatio animum efficaciter movent ad sanctos imitandos.

Solv. obj. — Obj. 1. — Non est aliquid faciendum quod possit esse occasio erroris. Atqui venerari mortuorum reliquias videtur ad errorem gentilium pertinere qui mortuos quasi Deos colebant. Ergo.

Resp. *D. M.*: occasio erroris *ex se*, *C.*; *per accidens* tantum, *N.* — *D. m.*: venerari reliquias per modum latreuticæ *adorationis*, *C.*; *honorem* quemdam servis impendere qui redundet ad Dominum, *N.* — *Neg. conseq.*

Obj. 2. — Stultum videtur rem insensibilem venerari. Atqui ss. reliquiæ sunt insensibilia corpora. Ergo.

Resp. *D. M.*: venerari *absolute* et propter seipsam, *C.*; *relative* seu propter aliud in se honorabile, *N.* — *C. d. m.*: et honorantur propter se ipsa, *N.*; ob relationem ad animas beatas et ad Deum, *C.* — *Neg. conseq.*

Obj. 3. — Reliquiarum cultus supponit identitatem corporis vivi et mortui. Atqui corpus mortuum idem non est ac vivum. Ergo.

Resp. *D. M.*: identitatem *simpliciter*, *N.*; identitatem *materiæ*, quæ iterum est suæ formæ unienda, *C.* — *C. d. m.* — *Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

De imaginibus Sanctorum.

1° Jam supra (Q. præc. a. 3) legitimitatem cultus imaginum *in genere* tetigimus, pluraque protulimus quæ in præsentem materiam conferri queunt; modo expresse, etsi breviter, de *sanctorum* imaginibus agendum est. — 2° Quinam *adversarii* ss. imagines impugnaverint ac etiam nunc impugnent, ibidem accepimus. Doctrina protestantica a nonnullis derelicta est; plures tamen adhuc eadem præjudiciorum caligine tenet[1]. — 3° Cum imagines sanctorum considerari possint vel ut res sacræ vel quatenus actum repræsentandi exercent, contendimus eis deberi sub primo respectu duliam *analogice* dictam tantum, sub altero autem respectu duliam *univoce* acceptam cum solo discrimine secundum modum.

[1] — Scribit Hodge, *op. cit.* P. III, c. 19, n. 6: « As the Bible pronounces and denounces idolatry not only the worship of false gods, but also the worship of images, the bowing down to them and serving them, it is clear hat the Roman Church is as wholly given to idolatry as was Athens when sited by Paul. »

Conclusio.— SANCTORUM IMAGINES JURE OPTIMO A CATHOLICIS HABENTUR VENERANTERQUE COLUNTUR ;— id explicite sancitum est tum a *Conc. oecum. VII* et *VIII*, tum a *Conc. Trid.* (Sess. XXV) cujus decretum præclaris verbis totius doctrinæ catholicæ veluti compendium ea de re exhibet.

1° In V. T. constat nec usum nec cultum imaginum, saltem Angelorum, defuisse (Ex. XXV, 18) et (3 Reg. VI, 32) ; vetabat tamen Judæorum ad idololatriam pronitas quominus praxis illa vulgari sineretur.— Libri N. T., qui de forma cultus externi generatim silent, nihil de imaginibus præscribunt : at quemadmodum Scripturæ nuncupantur Litteræ *sacrae* (2 Tim. III, 15) non solum quia sunt a Deo, sed etiam quia res sacras significant, unde eas venerari consuevimus ; ita imagines, sanctorum repræsentativæ, velut sacræ venerabilesque habendæ sunt.

2° *a*) Idololatriæ periculum, quod ethnicis recens conversis timebatur, causa fuit cur initio ss. imagines non tam frequenti usu, saltem publico, a Christianis colerentur.— *b*) Nihilominus *archaeologiae* inventa demonstrant perantiquum fuisse morem, inde a prima Ecclesiæ ætate, imagines sanctorum, præsertim B. M. Virginis et Apostolorum Petri et Pauli, in subterraneis Catacumbarum oratoriis pingere vel etiam sculpere, imo iconibus illis sanctiora loca, quibus divina mysteria celebrabantur, exornare[1] ; quod argumentum est religiosæ venerationis.— *c*) Cæterum traditionis hac super re testes theoretici existunt, e quibus fratres illi tum sanguine tum doctrina cognati, scil. *SS. Basilius* et *Gregorius Nyss.* Hæc scribit *Basilius* (Ep. 360) : « Characteres sacrarum imaginum honoro et exosculor eximie, cum *hae traditae sint a S. Apostolis* nec sint prohibitæ, imo in omnibus ecclesiis nostris depictæ. » *Greg. Nyssenus* idem docet (in S. Theodor. M.) ; ubi, descriptis initio templi christiani magnificentiis, subdit : « Solet etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse. »

3° *Ratio* efficax colendis ss. imaginibus adhiberi potest. — Etenim homo sic anima corporeque constitutus est, ut in exercenda fovendaque vita sua intellectuali et morali multiplici indigeat sensuum ministerio rerumque sensibilium ope ; qua de causa externus cultus cultui interno legitima institutione associatur[2]. Jamvero *a*) ad hanc explendam naturæ humanæ veluti exigentiam ac necessitatem ss. imagines, documentis plenæ exemplisque fecundæ, aptissimæ sunt. *b*) Ex

[1] — Cf. auctores Archæol. sacræ, quos citant Perrone, *de Cult. SS.*, c. V, prop. 2, et Kraus, *Hist. de l'Egl.* t. I, Prolég., 4, *Sciences théol.* E.

[2] — « Est duplex *cultus Dei, interior* et *exterior*. Cum enim homo sit compositus ex anima et corpore, utrumque debet applicari ad colendum Deum ; ut scil. anima colat interiori cultu, et corpus exteriori ; unde dicitur (Ps.

quo fit ut non una tantum vel altera, sed cunctæ hominis vires tum spirituales tum sensitivæ, proprio cujusque motu ac impulsu, in bonum ac profectum humanum conspirent. *c*) Inde etiam colligitur religionem catholicam (contra ac mentiuntur increduli) apprime favere liberalium artium culturæ, quibus quasi instrumentis utitur ad finem humanæ salutis promovendum[1].

Solv. obj.— Obj. 1.[2]— Legitur in *Conc. Illiberitano* (a. 300) can. 26 : « Placuit picturas in ecclesia esse non debere, ne quod colitur et adoratur in parietibus depingatur.» Ergo.

Resp. *D. antec :* Vetuit Synodus picturas fieri in ecclesiis *pro temporum illorum ratione*, cum nempe sæviret dirissima persecutio, *C ;* quasi picturas *per se* illicitas esse judicaverit, *N.* — *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Concilio Nicæco II seu œcum. VII decernenti imaginum cultum restitit *Synodus Francofordiensis* (a. 794) ex toto ferme Occidente congregata. Ergo.

Resp. *D. antec :*... ex errore facti, *C ;* ex mente cuicumque imaginum cultui opposita, *N.*— *Neg. conseq.*

Error in eo fuit quod, definitionis œcumenicæ mala versione accepta, Synodus putaverit Nicænos Patres decrevisse cultum *latreuticum*, unique Deo proprium, imaginibus esse impertiendum : quo errore detecto, galli germanique Nicænam fidem admiserunt[3].

Obj. 3.—Cultus, quo una imago præ aliis, etiam suscepta peregrinatione, frequentatur, superstitione laborat. Atqui hujus generis est cultus imaginum apud catholicos. Ergo.

Resp. *D. M :*... quo una imago præ aliis frequentatur ob *vim intimam* quæ ipsi imagini inesse existimetur, *C ;* ob causas quasdam *extrinsecas*, præsertim ob miracula quæ Deus occulto consilio penes unam imaginem potius quam penes aliam patraverit, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*[4]

LXXXIII, 3) : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Et sicut corpus ordinatur in Deum per animam, ita cultus exterior ordinatur ad interiorem cultum » (I-IIæ, Q. CI, a. 2).

[1] — Sapienter *Conc. Trid.* (Sess. XXV) præscripsit tollendos a cultu imaginum *abusus*, ita ut 1° nullæ falsi dogmatis imagines et rudibus erroris occasionem præbentes statuantur ; 2° nec procaci venustate, ad lasciviam provocante, pingantur ; 3° amplius nemini licere ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit. (Cf. const. Leonis XIII, *Officiorum et munerum*, 1897).

[2] — Pauca tantum Protestantium argumenta solvenda proponimus : reliqua videre est ap. cl. Bellarminum, *op. cit.* l. II, cc. 13-19 ; Perrone, *de Cult. Sanct.* c. V ; Knoll, P. V, S. II, c. III, a. 6 ; etc.

[3] — De hac quæstione vid. plura ap. historicos et controversistas.

[4] — Circa cultum Sanctorum legatur egregium opus theologi nostratis, ***Le culte catholique***, par l'abbé L. Naz. Bégin.

[illegible] ut non tantum vel altera, sed quaelibet hominis vitae [illegible] sensitivae, propria cujusque motu ac impulsu, in bonum ac profectum humanum conspirent. c) Jure etiam colligitur religionem catholicam (contra ac [illegible] [illegible] [illegible]

PARS SECUNDA

DE CHRISTI MATRE EJUSQUE VITÆ MYSTERIIS

DISPUTATIO SEXTA

MARIALOGIA

Expleta Incarnationis tractatione sub adspectu stricte dogmatico et ut jam partem alteram *dogmatico-historicam* ab initiis ordiamur, suave nobis gratumque admodum incumbit officium sermocinandi de beata illa muliere quæ, sicuti in Redemptionis opere, ita et in theologorum laude sejungi a Christo nequaquam potest, scil. de Deipara Virgine Maria. Auspicabimur a *Suarezii* verbis (Præf. in III, Q. XXVII, n. 2) : « Ego post ipsius Dei et Christi cognitionem nullam aut utiliorem aut viro theologo digniorem esse existimo » ; quippe nihil præstantia, nobilitate, sanctitate, propinquius ad Deum accessit aut accedere potest quam ipsa Dei genitrix. Huic sane creaturæ augustissimæ, per tot sæculorum spatia tam altis encomiis celebratæ, accommodare congruit quæ regius Psaltes de Christi Ecclesia gestienti ore cecinit (Ps. LXXXVI, 2) : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*

Permulta equidem de Beata Virgine Maria disputanda se objiciunt ; quæ apologetæ, mystici, oratores fuse eloqui solent.[1] Nos juxta morem, et ne præsentis operis limites ultra modum dilatentur, pleraque Scripturarum, Patrum scriptorumque catholicorum effata in compendium redigere conabimur, prout ipse *D. Thomas* exemplum præbuit[2].— Propositum est ea

[1] — Utiliter consuli poterit recens opus egregii scriptoris J. B. Terrien : *La mère de Dieu* (2 vol.) *et la mère des hommes* (2 vol.).

[2] — Inter modernos scholasticos amplissime de hoc argumento scripsit cl. A. M. Lépicier, in opere cui titulus : *Tractatus de Beatissima Virgine Maria matre Dei.*

cuncta ad Mariam spectantia, quæ Redemptionem humanam sive præcesserunt sive subsecuta sunt, sub uno doctrinarum capite colligere, unde lectori præsto sit quasi in tabula quadam integra de Virgine Matre tractatio.

Octo poterunt institui quæstiones eoque pacto distribui ut dignitas *maternitatis* divinæ media præemineat tanquam summa ratio gratiarum et privilegiorum quæ Mariam ad tantam celsitudinem disposuerunt, necnon gloriæ et munerum quæ inde quasi consectaria fluxerunt. Hoc itaque ordine procedemus, successive agentes de B. V. M. sanctificatione (Q. I), de ejus Virginitate et Desponsatione (Q. II), de Annuntiatione (Q. III), de Maternitate divina (Q. IV), de perfectione B. M. V. (Q. V), de ejus Assumptione et gloria (Q. VI), de ejus Mediatione (Q. VII), de cultu ei debito (Q. VIII).

QUÆSTIO PRIMA

DE B. V. MARIÆ SANCTIFICATIONE

Cœlestia munera, quibus B. Virgo ditata fuit mirumque in modum sanctificata, duo summatim important, scil. immunitatem *a peccato* (art. 1-2) et plenitudinem gratiæ ex qua *boni* perfectio dependet (art. 3). Peccatum vero a Virgine removendum tum *originale*, tum *actuale* est : en materia trium articulorum.

ARTICULUS I.

Utrum B. Virgo fuerit sanctificata in conceptione sua.

(Q. XXVII, aa. 1-2)

Plura *praemittere* juverit.— Et 1° supponimus quod infra (Q. IV) secundum executionis ordinem reapse contigisse probabitur, B. Virg. Mariam fuisse prima Dei intentione in *Christi matrem* singulariter electam, ideoque (vi illius intentionis) *praedestinatam* in tantum gratiæ gradum quantum sublimis illa dignitas requireret. Quæ electio ac prædestinatio « uno eodemque decreto cum divinæ Sapientiæ incarnatione præstituta » (Const. *Ineffabilis Deus*)[1], ex eo amplius commendatur, quod Maria prima exstiterit inter prædestinatas creaturas, omniumque justorum electioni nobili influxu fuerit æternaliter associata.

[1] — Cf Aug. Nicolas, *La Vierge Marie et le Plan divin*

2° *a*) Certum est lectissimam illam virginem humano more de carnali parentum commercio procreatam fuisse ; quamvis, ob senescentis Annæ sterilitatem, *non sine miraculo* optatæ sobolis conceptio evenerit, nec sine Dei revelatione factum esse credatur ut nomen *Maria* (hebraïce et syriace *domina* necnon *stella maris*[1] juxta Patrum interpretationem) ei imponeretur[2].— *b*) Quanta vero fuerit Mariæ *naturalis* perfectio animæ et corporis, evidenter colligitur tum ex traditionis voce, tum ex tantæ Matris cognatione cum perfectissimo pulcherrimoque Filio[3]. At pulchritudo Mariæ singulari castitatis gratia referta erat, unde « quamvis esset pulchra corpore, a nullo unquam concupisci potuit » (3 S. D. III, Q. I, a. 2, quæstiunc. 2 ad 4).

3° Omnium ab antiquis temporibus persuasio fuit, B. V. Mariam *in utero* matris suæ sanctificatam fuisse[4] ; quod *D. Thomas* (art. 1) verum esse dupliciter demonstrat : *a*) primo, quia Ecclesia jamdudum celebrat nativitatem B. Virginis ; non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto. *b*) *Secundo*, quia « rationabiliter creditur quod illa quæ genuit *Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis*, præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit » (S. Th. *l. cit.*). Porro compertum est privilegium sanctificationis in utero quibusdam aliis fuisse concessum, scil. Jeremiæ (Jerem. I, 5) et Joan. Baptistæ (Luc. I, 15). Ergo a fortiori etc. — Verum dubitatum est num sanctificatio B. Mariæ in ipso *conceptionis instanti* contigerit.

4° Prioribus Ecclesiæ sæculis, fides in immaculatum B. M. Virg. conceptum, tametsi *vera* et realis, implicita tantum vel *confusa* ratione fidelium mentibus communiter inerat.— Sæc. XII, instituto a Canonicis Lugdun. Conceptionis Mariæ festo, *S. Bernardus* id reprobavit ; ex quo magna cœpit controversia agitari, adeo ut sæc. XIII non pauci theologi in sententiam privilegio Virg. Deiparæ oppositam declinarent. At mox Doctor subtilis, *J. Duns Scotus*, privilegium illud exitu tam felici propugnavit ut ejus sententiam academia Parisiensis cæteræque dein academiæ amplexarentur. — Pia illa abhinc sententia, non obstante *Novatorum* contradictione, magis magisque invaluit, accedente præsertim a Sixto IV (sæc. XV)

[1] — « Convenit ei nomen *Maria*, quæ intrepretatur stella maris ; quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita christiani diriguntur per Mariam ad gloriam » (S. Th., *Exp. in Sal. Ang.* Opusc. VIII, ed. Vivès).

[2] — Suarez, *de Mysteriis Christi*, Disp. II, S. I.

[3] — Id., *l. cit.*

[4] — Cf. Passaglia, *De Immaculato Deiparae semper Virginis conceptu*, S. VII, c. I, a. 4.

deinceps RR. PP. favore qui variis decretis sese per singulas ætates explicuit usque ad definitionem dogmaticam[1] (1854) tam opportune ævo nostro voluptario reservatam[2].

Jam ad conclusionem intentam pergimus.

Conclusio.— Fide tenendum est « beatissimam Virg. Mariam in primo instanti suæ conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem» (Const. Pii IX *Ineffabilis Deus*).

Thesis decl.— *a*) In primis agitur non de *conceptione activa* seu ex parte parentum, sed de conceptione *passiva* seu ex parte prolis ; quæ quidem accipitur non *inchoative* tantum secundum initia corporeæ organizationis, sed *adaequate* secundum animæ rationalis infusionem. Unde simul tempore seu eodem *primo temporis instanti* Deus censendus est *creasse*, corpori *infudisse* et *sanctificasse* animam B. M. V.— *b*) Id autem factum est singulari *privilegio*, vi cujus Deipara, communi *debito* in Adam subdita, universalem ruinam effugit ; in quo ejus sanctitas a sanctitate Christi veluti naturali plane discriminatur.— *c*) Additur *intuiti meritorum Christi* (cujus gratia non redempti, sed Redemptoris fuit) privilegium illibatæ conceptionis Mariæ obtigisse ; facileque comperitur redemptionem hanc fuisse *praeservativam* a culpa imminente, non *reparativam* cu'pæ existentis.— *d*) Tandem, cum peccatum originis formaliter consistat in privatione gratiæ et justitiæ, præservatio *ab omni originalis culpae labe* nec debet nec potest sine gratia sanctificante intelligi.

Thesis prob :— 1° ex *Scriptura.*

a) Ea primum referam quæ *sensu litterali* ad rem pertinent. Legitur (Gen. III, 15) : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Quo in textu (qui *protoevangelium* dictus est, utpote annuntians futuræ reparationis opus destructionis operi oppositum) quinque notare est[3] : scil. sub serpentis nomine *diabolus*, Evæ deceptor, minis a

[1] — Anthimius VII, patriarcha Cptanus, in responso Ecclesiæ schismaticæ ad Leonem XIII (*Litt. encycl. patriarch. et Synod.*, 1895) hanc definitionem reprehendit, quasi Ecclesia Romana «novum dogma, veteribus ignotum, et a spectatissimis Papatûs theologis vehementer oppugnatum » ediderit.

[2] — Cf. Malou, *L'Imm. Conception de la B. V. Marie considérée comme dogme de foi*, c. III.

[3] — Cf. Mazzella, *de Deo creante*, Disp. V, a. 9

Deo premitur ; *diaboli semen* peccatum peccantiumve turmam exprimit ; *semen mulieris* aliud non est quam Christus de Virgine natus et Satanæ debellator ; unde ipsa *mulier* Maria Virgo agnoscenda est ; demum *inimicitiae*, de quibus est sermo, sitæ sunt in aversione a diabolo, i. e. peccato. Jamvero utraque pars recitati textus immaculatum B. M. V. conceptum ostendit. 1ª *pars* quidem ; nam iis verbis significantur inimicitiæ Virginis contra diabolum ejusque semen pares inimicitiis Christi, ideoque absolutæ, perpetuæ, peccato originali, quod est peccatorum fons, quam maxime adversæ. 2ª *pars* vim habet, sive legatur *ipsa* ut in Vulgata latina, sive *ipsum*, aut *ipse* ut in plerisque vetustioribus textibus [1] : si enim *ipsa*, sensus est mulierem virtute sui seminis, seu Christi, plene de diabolo triumphaturam ; sin vero *ipse* aut *ipsum*, triumphus ille ad Christum referendus est, non tamen sine participatione matris æque diabolo infensæ. In utroque casu, plenitudo triumphi consistere nequit cum hypothesi quod Maria, vel uno instanti, servituti diabolicæ subjacuisset[2].— Alterum suppetit propheticum oraculum (Is. XI, 1) : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet ;* ubi vocabulo *virgae* (auctoribus multis Patribus ac interpretibus) accipienda est virgo Maria, e qua, velut flos divinus, Christus effloruit. Porro indigna fuisset divino illo fœtu virga vitiata ; unde hanc christiana ac liturgica interpretatio multis in locis talem intellexit atque expressit quæ ab omni nævo immunis foret[3].— Succedit illud in N. T. pernotum (Luc. I, 28) : *Ave, gratia plena ; Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus ;* quæ salutatio, nova ac inaudita, tria præsertim notatu digna ad mentem Patrum continet. Videlicet Maria salutatur *plena simpliciter* thesauris gratiæ ; *Domino* arctissime *conjuncta* ab eoque veluti indissociabilis ; *benedicta* inter mulieres benedictione opposita maledicto primæ Evæ. Hæc autem tria culpæ originali repugnant[4].

b) Vi sensus *mystici* argumentum probabile duci potest ex lib. Esther. Etenim, juxta principium Ap. (1 Cor. X, 11) : *Omnia*

[1] — Dogma catholicum de Imm. Conc. non esse essentialiter innixum versioni *ipsa*, argute eruditeque contra doctorem anglicanum Kingdom nuper probavit R. F. Quigley (St John, N. B.) in egregio opere : *Mary, the Mother of Christ, in prophecy and its fulfilment.*

[2] — Cf. Patrizi, *De imm. Mariae orig. a Deo praed. disquisitio ;* — Passaglia, *op. cit.*, S. V, c. 1.

[3] — Passaglia, *op. cit.*, S. V, c. 2.— Hoc argumentum, ut patet, mediate tantum biblicum est ; et insuper sola probabilitate gaudet ; nam (teste Knabenbauer, *Curs. Scrip. sac., Comm.* in Is.) plures præsertim e recentioribus *virgam* Christum esse censent.

[4] — Cf. Passaglia, *op. cit.*, S. V, c. 4.

in figura contingebant illis, historia liberatæ per Mardochæum gentis Hebræorum legitime existimatur imago Christianæ liberationis, ita ut sibi respondeant Aman et serpens, Mardochæus et Christus, Esther et Maria. Unde sicut Esther a reliquo discreta populo nunquam Assueri inimicitiam experta est, ita B. Virgo nunquam Deo non placuit ; quod est, communi damnatione soluta semper fuit secundum illud (Esth. XV, 13) : *Non morieris ; non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est*[1].—Huc etiam spectant verba (Cant. IV, 7) : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te ;* quæ de Ecclesia Christi allegorice prolata, sensu *fecundo* optime ad Mariam, Ecclesiæ decus, extenduntur (*S. Thom.* hic, a. 4.)— Pleraque tamen [2] ex libris sacris desumpta potius sensu *accommodato* Mariæ immaculatæ conveniunt, ideoque probandi vim non tam ex se quam ex ecclesiastico usu seu consensu obtinent[3].

2° Ex *traditione* ecclesiastica.

a) *Liturgia* imprimis merito advocatur.— Constat enim *festum* Conceptionis B. Virginis in Occidente non minus quam in Oriente sæc. XII fuisse universale ; ejusdem autem primordia in Oriente ad sæc. V, in Occidente vero ad sæc. usque VII tuto revocari posse :[4] porro nihil nisi sanctum ab Ecclesia celebratur.— Antiquissimæ *liturgiae*, quales sunt *S. Jacobi*, *S. Marci*, *S. Basilii*, titulis « immaculatæ,» « intemeratæ,» « modis omnibus irreprehensibilis » Virginem Deiparam condecorant.— Maxime huc pertinet *hymnologia graeca*, quæ saltem ad sæc. V ascendit ; ubi Virgo præconiis effertur veluti « purissima,» « immunis ab omni corrup-

[1] — Id., *op. cit.*, S. V, c. 3, a. 3.

[2] — Hujusmodi esse videntur quæ legimus (Const. *Ineffabilis Deus*) : « Virginis... ab omni peccati labe integritatem... Patres viderunt tum in *arca* illa *Noe*, quæ divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit ; tum in *scala* illa, quam de terra ad cœlum usque pertingere vidit Jacob, cujus gradibus Angeli Dei ascendebant et descendebant, cujusque vertici ipse innitebatur Dominus ; tum in *rubo* illo, quem in loco sancto Moyses undique ardere, ac inter crepitantes ignis flammas non jam comburi aut jacturam vel minimam pati, sed pulchre virescere ac florescere conspexit ; tum in illa inexpugnabili *turri* a facie inimici, ex qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium ; tum in *horto* illo concluso qui nescit violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus ; tum in corusca illa *Dei civitate*, cujus fundamenta in montibus sanctis ; tum in augustissimo illo *Dei templo*, quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloriâ Domini.»

[3] — Passaglia, *op. cit.*, S. III-IV.

[4] — Id., *op. cit.*, S. VII, c. 1.— Ab ipsis Ecclesiæ Canadensis initiis viguit fides in Imm. B. V. M. Conceptionem (vid. *Mandements des Ev. de Québec*, Vol. I, pp. 66-67).

tione,» « omni puritate referta ; » imo ejus Conceptio *immaculata* inibi nominatur[1].

b) Cæterum de *Patrum* ac majorum mente dubium esse nequit.— Sunt enim qui *expressis* quasi verbis Imm. Deiparæ Conceptum prædicant, puta *S. Ephrem* (Or. ad SS. Dei Genitricem) a quo B. V. dicitur « ab *omni* sorde ac labe peccati alienissima », *S. Maximus Taurin.* (Hom. 5 ante Nat. Dom.) a quo appellatur « idoneum plane habitaculum, non pro habitu corporis, sed pro gratia originali », *S. Augustinus* (de Nat. et Gr. c. 36) qui ait : « Excepta S. V. Maria, de qua propter honorem Domini *nullam* prorsus, cum de peccato agitur, haberi volo quæstionem ; inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum *omni ex parte* peccatum, quæ concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum.[2] » — Alii plures *aequivalentibus* sententiis loquuntur : apud quos B. Virgo nuncupatur « sacratissima » (Modest. Hieros.), « speciosissima » (Hildeph.), « penitus immaculata » (Andreas, Cret.), « penitus inculpata » (German. Cptan.), « penitus incorrupta » (Theod. Stud.), « penitus intemerata » (Theophan.), « supercœlestis » (Petr. Venerab.), « superinnocens », « omni puritate purior », « sola sine macula » (Joan. Damasc.), «omni ex parte sancta » (Method.), « Angelis sanctior » (Joseph. Conf.), « vas intactum » (Cyrill. Alex.), « impollutum tabernaculum » (Sophron. Hieros), « purissimum lilium » (Philot. patriarch.), « lilium inter medias spinas germinans » (Theod. Ancyr.), etc., etc. Hæc, præsertim si collective sumantur, haud spernendum argumentum subministrant.[3]

c) Traditionis vim infringere non valent quæ ex S. Bernardo et medii ævi doctoribus oggeruntur.— Quod enim ad *S. Bernardum* attinet, ipse (si reapse sit auctor ep. ad Canon. Lugdun.) festum Conceptionis Mariæ ideo improbavit, quod *inconsulta sede Apost.* adoptatum fuisset. Ibi vero (ut plerique explicant et contextus suadet) sanctam fuisse conceptionem negat, non passivam adæquatam, sed *activam* et *passivam inchoatam*. Alio loco (Serm. 2 in Assumpt.) *hypothetice* tantum maculam originalem in Maria supponit. Tandem nec admittere pigeat, forte S. Doctorem haud plene firmoque assensu germanam catholici dogmatis rationem (de quo nihil

[1] —Cf. *De Imm. Deiparae Conc. hymnologia Graecorum*, auctoribus Toscani et Cozza, 1862.

[2] — Cf. Perrone, *De Imm. B. V. M. Conc. disquis. theol.*, P. I, c. 10-11 ; P. II, c. 6, n. 4 ; — Palmieri, *de Deo creante et elevante*, th. 85.

[3] — Vid. plura fereque innumera quæ eruditissimus Passaglia e veterum scriptis collegit, *op. cit.*, S. II.

hactenus ab Ecclesia statutum erat) esse assecutum.— Ab ætate S. Bernardi ad Conc. usque Tridentinum non pauci theologi, faventibus ambiguis priscorum scholasticorum sententiis, in opinionem Imm. Conceptioni adversam abire visi sunt. At ii cuncti tanquam *doctores privati* locuti sunt. non quasi traditionis testes, nec etiam quasi universæ Scholæ sensûs interpretes : siquidem singulis illis sæculis docti plures Mariæ privilegium nobiliter defensarunt.

3° De *D. Thoma* quid opinabimur?— Hæc consideranti non solum verba, sed et sensum verborum S. Doctoris, probanda aut certe non improbanda videbuntur.

Primo, Angelicus *explicite* nonnusquam docuit Imm. B. V. Conceptionem, puta (1 S. D. XLIV, Q. I, a. 3 ad 3) : « Puritas intenditur per recessum a contrario ; et ideo potest aliquid creatum inveniri quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si *nulla* contagione peccati inquinatum sit ; et talis fuit puritas B. Virginis, quæ a peccato *originali* et actuali *immunis* fuit[1].»— *Secundo*, principia asseruit Angelicus quæ *implicite* præfatum dogma continent ; sic ait (hic, Q. XXVII, a. 2 ad 2): « Sub Christo. . *maxima fuit* B. Virginis *puritas*.» Et (4 S. D. XXX, Q. II, a. 1, sol. 1): « In B. Virgine debuit apparere *omne* illud quod *perfectionis* fuit[2].» — *Tertio*, textibus qui objiciuntur, v. g. « B. Virgo in peccato originali fuit concepta » (3 S. D. III, Q. I, a. 1, sol. 1) et hic (a. 2) passim, nonnulli tum antiqui tum moderni occurrunt contendendo loca illa fuisse corrupta.— *Quarto*, quidquid sit de hac opinione, ea non indigemus ad salvandam thomisticæ doctrinæ conformitatem cum definitione dogmatica Ecclesiæ. Sane *a*) in objectis locis vox *conceptio* accipienda est eo sensu qui apud veteres scholasticos obtinebat, scil. *active* vel *passive-inchoate ;* quod eruitur ex ipsis verbis *D. Thomae* (hic, a. 2 ad 4) : « B. Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam ex commixtione maris et feminæ[3]. » *b*) Qua in sententia, sicuti in aliis similibus, peccatum sumitur non formaliter, sed *virtualiter* tantum seu ea ratione qua carni embryonis nondum spiritu rationali informatæ inesse intelligitur. *c*) Nec nos commovere debet quod Auctor (a. 2) dicat B. Virginem

[1] — Cf. 1 S. D. XVII, Q. II, a. 4 ad fin ; *Exp. in Orat. Dom.* pet. 5, et *in Ps.* XVIII, 6 ; necnon *Exp. in Sal. Ang.* (juxta quosdam codices) et *Comm.* in Ep. ad Gal. III, l. 6.

[2] — Cf. I-IIæ, Q. LXXXII, a. 5 ad 3 ; III, Q. XXVII, a. 4 ; etc.

[3] — Hinc supra (Q. XIV, a. 3 ad 1) dicitur : « *Caro* Virginis concepta fuit in originali peccato.» — Quo posito conceptionis intellectu, mirum non est quod S. Doctor festo Conceptionis haud faverit (Q. XXVII, a. 2 ad 3).

sanctificatam fuisse « post animationem ». Propositum enim est ostendere, sanctificationem Mariæ non fuisse animationi præviam, tum quia ante infusionem anima rationalis nondum exstabat gratiæ subjectum, tum quia secus B. Virgo non contraxisset peccati originalis *debitum* nec redemptione proprie sumpta indiguisset. Ex quo logica fluit conclusio, sanctificationem contigisse *post* animationem ordine, non temporis, sed *naturæ*[1]. *d*) Eadem videtur solutio adhibenda loco difficiliori (3 S. D. III, Q. I, a. 1, sol. 2) ; ubi sanctificatio «in ipso instanti infusionis» animæ eatenus fieri potuisse negatur quatenus retroactione quadam debitum peccati delere censeretur, quod absurdum est ; non tamen collatio gratiæ tunc primum justificantis excluditur. *e*) Demum, quando *S. Thomas* dicit : «B.Virgo in originali est concepta, sed non nata » (Exp. in Salut. Ang.), verba ejus merito accipiuntur, per oppositionem ad conceptionem initialem, de nativitate intrauterina seu de animationis rationalis ortu, juxta illud (Matth. I, 20) : *Quod in ea natum est, de Sp. Sancto est*.[2]

4° *Rationibus* modo arguere licebit.

a) Primo, ex *relatione Mariae ad Trinitatem*. «Decebat omnino ut... ab ipsa originalis culpæ labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater, cui Deus *Pater* unicum Filium suum... ita dare disposuit ut naturaliter esset unus idemque communis et Patris et Virginis Filius, et quam ipse *Filius* substantialiter fabere sibi matrem elegit, et de qua *Sp. Sanctus* voluit et operatus est ut conciperetur et nasceretur ille de quo ipse procedit », (Const. *Ineffabilis Deus*). — *b*) *Secundo*, ex *Redemptionis perfectione*. Sanctificatio Mariæ, tam singulariter Deo conjunctæ, ita præcellens fuisse credenda est, ut Mediatoris perfectissimi, scil. Christi, actus perfectissimus extiterit. Atqui perfectissimus actus mediationis Christi seu Redemptionis is est qui non solum intensivam, sed et *extensivam* sanctitatis perfectionem adducit præservando alicujus animam ab *omni* culpa. Ergo.— *c*) *Tertio*, ex *Mariae ad Evam comparatione*. Mirus viget parallelismus inter ordinem humanæ ruinæ humanæque reparationis processum, quatenus angelo tenebrarum angelus lucis Gabriel, primæ Evæ altera

[1] — Ipse Cajetanus (in h. loc.) concedit explicationem hanc probabiliter consonare menti S. Thomæ.

[2] — De toto argumento vid. plura ap. F. Morgott, *Mariologie des S. Thomas d'Aquin*, chap. IV, a. 2 ; ubi etiam referuntur plerique alii D. Thomæ defensores.— Haud tamen diffitemur egregios quosdam thomistas, qualis est P. Lépicier (cfr. *op. cit.*), in oppositam sententiam circa Angelici mentem declinare.

Eva Maria, Adamo Christus, funestæ arboris pomo fructus Crucis e regione opponitur. Itaque utraque Eva in ordine spirituali se habent quasi duo contraria principia, ad perniciem una, ad salutem influente altera. Atqui principia inter se contrarie opposita, qua talia, omnino sunt ab invicem independentia. Ergo repugnat ut Mariam, vel uno momento, filiarum Evæ corruptio attigerit.— *d) Quarto*, ex *sensu fidelium*, qui omnium rationum effectus et summa est. Quod est communis hominum sensus in ordine naturæ, id secundum analogiam quamdam in re supernaturali esse dicitur sensus fidelium generalis, firmus, privatus ac publicus. Porro sensum hujusmodi, obstantibus licet quibusdam theologis, in Ecclesia tum Orientali tum Occidentali, penes doctos et indoctos, pastores et oves, de Imm. Virginis Conceptione prævaluisse, compertissimum est. Ergo efficax inde veritatis criterium depromitur.

Demonstationem nostram ipsa concludat B. Virgo ea voce quam (a. 1858) prope oppidum *Lourdes*, acclamante mox universo orbe catholico, cœlesti ore effata est : « Nominor *Conceptio Immaculata* ! »

Solv. obj.— Obj. 1.— Legitur (Rom. III, 23) : *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei ;* cf. *ibid.* V, 12 et 18 ; 1 Cor. XV, 22 ; 2 Cor. V, 14-15. Ergo.

Resp. *D. antec :*... et hæc intelligenda sunt de peccati *debito* per originem ex Adam contracto, *C ;* de *macula* ipsa peccati formalis, *S. d :* secundum communitatem legis, cui omnes, scil. tum Judaei tum Gentiles, subjiciuntur, *C* ; absque facta exceptione pro Virgine illa quæ sub Christo singularissimum locum tenuit totque privilegiis ornata fuit, *N.* — *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Antiqui Patres de Imm. Conceptione siluerunt, imo plerique posteriores (ap. Perrone, *op. cit.* P. I, c. 6) expresse docuerunt carnem B. Virginis fuisse *carnem peccati.* Ergo.

Resp. ad 1[m]. Silentium veterum nequit legitime contra nos invocari, tum quia fides posteriorum ætatum priorum fidem theologice supponit ; tum quia nec desunt trium primorum sæculorum scripta quæ *implicite* saltem immaculatam Matris Dei conceptionem significent[1]. — Ad 2[m] dicendum, *a)* Patrum illorum effata nihil aliud significare nisi quod B. Virgo carnem traxerit de corrupto Adami fonte ex quo peccatum transit in posteros. *b)* Unde *vi conceptionis* et *pro-*

[1] — Cf. Passaglia, *op. cit.* passim.

xime (non remote tantum, ut quidam distinguunt)[1] debitum originalis peccati contraxit velut servitutis prænuntium, a qua, redemptione præveniente, in instanti infusionis animæ custodita fuit. *c*) Cæterum, quid concedere vetat unum alterumve Patrem paululum a vero deflexisse?

Obj. 3.— Qui pœnalitates sustinet, peccati reus censeri debet. Atqui B. Virgo obnoxia fuit pœnalitatibus naturæ lapsæ, v. g. siti, dolori, imo et morti. Ergo.

Resp. *D. M :* Qui pœnalitates sustinet expiationis causâ.. *Trans ;* perfectionis spiritualis gratiâ, *N.*— *D. m :*... obnoxia fuit *omnibus* naturæ lapsæ pœnalitatibus, *N ;* miseriis pure physicis ac turpitudine carentibus, per quas patienti morientique Christo conformaretur, *C.*— *Neg. conseq*[2].

Obj. 4.— In religione christiana, doctrinæ novitas signum erroris est. Atqui dogma Imm. Conceptionis novum est in Ecclesia. Ergo.

Resp. *D. M :*... novitas *inventionis*... *C ;* novitas *explicationis* ac *propositionis*, *N.*— *C. d. m :*... noviter inventum est neque *actu*, licet minus expresse, in revelationis deposito continetur, *N ;* datis circumstantiis, et quibusdam contradicentibus, noviter explicatum est donec solemni promulgatione sanciretur, eo ferme modo quo serenum cœlum coalescentibus nubibus partim obtenebratur, at mox agente sole lucidius splendescit, *C.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum per santificationem Maria consecuta sit immunitatem a fomite peccati et a quovis peccato.

(Art. 3-4)

Etsi nota a B. Virgine originis macula, proximum est ut ab ea removerit etiam alium nævum, sive *peccatum* ipsum, sive *ad peccandum pronitatem*, pio animi studio arceamus.— Statum hunc singularissimum, quem Deiparæ vindicandum suscipimus, confundat nemo cum statu *originalis justitiae* primorum parentum ; cui etsi in pluribus ac præcipuis consonet, certe tamen dissonat in aliis, puta quod Maria caruerit

[1] — Cf. Palmieri, *de Deo creante et elevante*, th. 89.

[2] — Damnata est seq. Baii prop. 73a : « Nemo præter Christum est absque peccato originali ; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.»

impassibilitate ac immortalitate. — Duo distinctim, pro ratione propositi tituli, concludendo enucleabimus.

Conclusio 1ª. — B. VIRGINI IN ORIGINALI SUA SANCTIFICATIONE PECCATI FOMES SUBLATUS EST NON SOLUM PER LIGATIONEM, SED (probabilius) PER EXTINCTIONEM.

1ª *Pars*, scil. quod B. Virgo fuerit immunis saltem per ligationem ab *actu* fomitis, *certa* voce ab omnibus conceditur.

1° Sane exploratum omnibus est nullam in Maria maculam fuisse, sed puritatem « qua major sub Deo nequit intelligi » (S. Anselm.). Atqui peccati fomes, nempe inordinata concupiscentia sensibilis appetitus, *ad maculam pertinet*, saltem carnis. Ergo. — Hinc *S. Leo M.* (Serm. 22 in Nat. Dom. II) : « Inviolata virginitas concupiscentiam nescivit[1]. »

2° Concupiscentiæ motus *ad peccatum ducunt*, ita ut eorum sit miserias istas perpeti qui humanæ fragilitati succumbunt. Atqui mox ostensuri sumus Virginem Deiparam nec tenuissimam peccati labem in sé admisisse. Ergo. — Objicientibus verba Ap. (2 Cor. XII, 9) : *Virtus in infirmitate perficitur*, apte respondet Angelicus (a. 3 ad 2) : « Infirmitas carnis ad fomitem pertinens est quidem in sanctis viris perfectæ virtutis *occasio*, *non* tamen *causa sine qua* perfectio haberi non possit. Sufficit autem in B. Virgine ponere perfectam virtutem ex abundantia gratiæ ; nec oportet in ea ponere omnem occasionem perfectionis. »

3° Concludamus augustissimam Mariæ personam tanta puritate fuisse refertam ut et ipsa expers concupiscentiæ foret et *alios* suæ munditiæ participes quodammodo efficeret ; quod expresse docet *D. Thomas* (3 S. D. III, Q. I, a. 2 ad 4) : « Gratia sanctificationis non tantum repressit in ipsa motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit. »

2ª *Pars* versatur circa *modum* quo fomes ab actu prohibitus fuerit ; quidam enim cum Auctore tenent illum initio *ligatum* tantum, postmodum vero in conceptione Christi totaliter sublatum fuisse ; alii, quod *communius* et *probabilius* docetur, totalem *extinctionem* a prima Mariæ sanctificatione repetunt.

Re quidem vera, donum hoc integritatis etiam habitualis a principio collatum esse *proloparentibus*, res est indubitata : quorsum futura Dei Mater non eodem privilegio donata fuisset ? — Num ad salvandam Christi præeminentiam ? Hæc profecto optime salvatur ex eo quod omnis gratia, Mariæ largita, intuitu *meritorum Christi* ei obtigerit. — Accedit *Sua-*

[1] — Vid. plura Patrum suffragia ap. Passaglia, *op. cit.* S. VI, c. 6, a. 3.

rezii argumentum (in h. loc.), quia magis consentaneum est Providentiæ divinæ ut rationis imperium supra vires inferiores confirmet non tam externis præsidiis quam *internis* gratiæ virtutumque infusarum auxiliis : ex quo jam extinctio fomitis consequitur.

Conclusio 2ª. — ALTERA MARIÆ PRÆROGATIVA (FUIT, QUOD A QUOVIS PECCATO, MORTALI AC VENIALI, JUGITER IMMUNIS EXTITERIT.[1] — Ubi notatum velim B. Virgini *impeccantiam* tribui, non quæ absolutam peccandi possibilitatem sustulerit sicuti in Christo, sed quæ tum ex carentia fomitis, tum ex inclinatione gratiæ, tum ex custodia divinæ Providentiæ, ab omni peccato infallibiliter præservabat.[2] — Concl. innititur *Conc. Trid.* (Sess. VI, c. 23) : « Si quis hominem semel justificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare nisi ex speciali privilegio, *quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*, A. S.»

1° In promptu sunt pleraque ex Scripturis Patribusque adducta (art. præc.), quibus immaculatam Mariæ innocentiam probavimus.— Subjicere libet, quasi traditionis epilogum, verba *D. Thomæ* (Opusc. LX, *De dilect. Dei et proximi*, c. 27, in fin.) : « Fecit summus artifex in ostentationem pleniorem artis suæ speculum unum clarissimo clarius, Seraphim tersius et purius, et tantæ puritatis ut *purius intelligi non posset*, nisi Deus esset, personam scil. *gloriosissimæ* Virginis.»

2° Sic cum eodem Angelico arguimus.— Illos quos Deus ad aliquid eligit ita præparat et disponit ut muneri implendo idonei inveniantur, juxta illud (2 Cor. III, 6) : *Idoneos nos fecit ministros N. T.* Atqui B. Virgo electa divinitus ac prædestinata fuit ut esset mater Dei. Ergo dubitandum non est quin Deus per suam gratiam eam tantæ dignitati aptaverit, testificante Angelo (Luc. I, 30-31) : *Invenisti gratiam apud Deum : ecce concipies*, etc. Porro non apta, non idonea mater Dei fuisset, quæ vel minimum peccatum commisisset ; et hoc propter tria[3] : *a) primo*, quia sicuti honor parentum redundat in prolem secundum illud (Prov. XVII, 6) : *Gloria filiorum patres eorum*, ita per oppositum parentum ignominia filios dedecorat ; *b) secundo*, quia B. Virgo singulari affinitate Christo sociata est qui ab ea carnem sumpsit : porro *quæ conventio Christi ad Belial?* (2 Cor. VI, 15) ; *c) tertio*, quia

[1] — 3 S. D. III, Q. I, a. 2, sol. 2. — Cfr. cl. Lépicier (*op. cit.* h. loc.).

[2] — Nota quam mere hæc D. Thomæ argumenta Imm. Conceptionis dogma adstruant.

Dei Verbum et Sapientia tum in anima tum in utero Virginis quasi in tabernaculo habitavit ; sed *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (Sap. I, 4). Ergo.

3° Nonnulla e Patribus *objiciuntur*, quatenus vel ambitionis (Joan. Chrysost.) vel indebitæ dubitationis (Basil. et Cyr. Alex.) V. Mariam insimularunt (ap. Petavium, *de Incarn.* l. XIV, c. 1). At auctores isti procul dubio excesserunt. — Quæ enim leguntur (Joan. II,4) : *quid mihi et tibi est, mulier ?* et (Matth. XII, 48) : *quae est mater mea, et qui sunt fratres mei*, non reprehensionem Mariæ continent, sed utilem circumstantibus *instructionem*, ne existimarent divina Christi opera pro naturali affectu vel respectu disponenda aut intermittenda esse. Item, si quæ dubitatio mentem B. Virginis in morte Domini subierit, non fuit dubitatio infidelitatis, sed *admirationis* fluctuantis inter præsentia tam abjecta et præterita tam sublimia.

ARTICULUS III.

Utrum B. Virgo per primam sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum.

Gratiæ plenitudo hic accipienda est cum omnibus virtutibus et donis supernaturalibus quæ (uti constat ex tract. *de Gratia* et *Virtutibus*) gratiam indissolubili nexu concomitantur.— Duo breviter tractabimus : *unum* de usu liberi arbitrii per modum dispositionis in Virgine primo sanctificata ; *aliud* de gratiæ sanctificantis plenitudine hujusque plenitudinis distinctione.

Conclusio 1ª. — VALDE PROBABILE EST B. VIRGINEM AB IPSO CONCEPTIONIS ET SANCTIFICATIONIS INITIO HABUISSE LIBERI ARBITRII USUM SALTEM TRANSEUNTEM.— Dico *saltem transeuntem* ad gerendum morem quibusdam theologis negantibus Mariæ permanentem usum rationis in utero, quasi id speciale Christi privilegium habendum sit. Contradicunt tamen plerique moderni, ut *Suarez, S. Alph. de Ligorio*, etc.

1° Concl. *ratio* petitur ex eo quod privilegium gratiæ alicui puro homini concessum, verisimile non est B. Virgini fuisse negatum. Atqui probabilissimum videtur Joan. Baptistam tempore sanctificationis in utero divinitus accepisse rationis usum ; siquidem, audita salutatione Mariæ ad Elisabeth, *exsultavit infans in utero ejus* (Luc. I, 41) utique præ

gaudio rationali (cf. *Cajet.* in art. 6). Ergo.— 2° Recte creditur (*Suarez*, Disp. IV, S. 7) cognitionem illam, qua B. Virginem in prima sanctificatione donatam dicimus, præcipue circa Deum et Christum, salutis auctorem, versatam esse.— Unde 3° consequitur eam, Angelorum primorumque parentum ad instar, libero potuisse voluntatis usu gratiæ sanctificanti consentire seu ad gratiam immediate se disponere.

Conclusio 2ª. — B. Virgo majorem præ cæteris gratiæ plenitudinem, triplici præsertim progressione, consecuta est ;— quod sane intelligi debet non de plenitudine *absoluta*, Dei-hominis propria, sed de plenitudine *respectiva*, quam scil. Deiparæ dignitas exigebat.

Prob.— Quanto aliquid magis ad principium in aliquo genere accedit, tanto magis effectum illius principii participat. Atqui ex una parte Christus est principium gratiæ, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter ; ex altera parte B. Virgo propinquissima Christo fuit tum *physice* ob carnem quam ei subministravit, tum *moraliter* ob summam Deiparæ dignitatem sibi ab æterno præstitutam. Ergo omnes justos, etiam Angelos, in sua sanctificatione superasse censenda est.— *Evolv. arg.* ex *D. Th.* (Exp. in Sal. Ang., opusc. VIII) : « B. Virgo excessit angelos... in plenitudine gratiæ quæ magis est in B. Virgine quam in aliquo angelo, et ideo ad insinuandum hoc angelus ei reverentiam exhibuit dicens : *Gratia plena*, quasi diceret : Ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiæ. Dicitur autem B. Virgo plena gratia quantum ad tria. *Primo*, quantum ad animam, in qua habuit omnem plenitudinem gratiæ. Nam gratia Dei datur ad duo, sc. ad bonum operandum et ad vitandum malum, et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit b. Virgo. Nam ipsa *omne peccatum vitavit* magis quam aliquis sanctus post Christum... Ipsa etiam *omnium virtutum opera* exercuit, alii autem sancti specialia quædam, quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors, et ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum... Sed B. Virgo in exemplum omnium virtutum, quia in ea reperis exemplum humilitatis (Luc. I) : *Ecce ancilla*, et post : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Castitatis, *quoniam virum non cognosco*... *Secundo*, plena fuit gratia quantum ad redundantiam animæ ad carnem vel corpus. Nam magnum est in sanctis habere tantum de gratia quod sanctificet animam, sed anima B. Virginis ita fuit plena, quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ipsa conciperet Filium Dei... *Tertio*, quantum ad refusionem in omnes homines, etc. ».

Dixi in concl. *triplici progressione*. — Triplex namque in B. Virgine gratiæ perfectio distingui potest, una gratiæ *nascentis*, altera gratiæ *crescentis*, tertia gratiæ *consummatæ* (quod alii nominant plenitudinem *sufficientiæ*, *abundantiæ* et *singularis excellentiæ*). Ratio est, quia in naturalibus aliud est perfectio dispositionis ad formam, aliud perfectio ipsius formæ, aliud tandem perfectio finis quo res completur. Simili progressus lege perfectio gratiæ Marianæ dispertitur, prout eam accipimus vel in originali sanctificatione qua B. Virgo *disponenda* erat ad insigne maternitatis officium, vel in conceptione Filii Dei ex cujus præsentia fortius in bono *confirmata* est, vel tandem in glorificatione coelesti quæ *consummatam* beatitudinis gratiam ei suffecit (art. 5 resp. ad 2)[1].

QUÆSTIO SECUNDA

DE VIRGINITATE ET DESPONSATIONE B. MARIÆ

Spatium non est hic inquirendi in ea quæ ad pueritiam et adolescentiam B. V. M. pertinent, quæque, vel traditioni vel privatis revelationibus innixa, non omnia nec eadem certitudine constant. Sat esto cursim commemorare (quod ex festo *Præsentationis* patet) Mariam adhuc juvenem fuisse in templo præsentatam, ubi, mox emisso castitatis voto, se Deo dicavit, vitamque, orationi, meditationi, SS. Litterarum lectioni vacans, usque ad desponsationem suam transegit (cf. *Suarez*, Disp. VII).

Quæ *D. Thomas* (Qq. XXVIII-XXIX) pluribus distinctis articulis disputat, nos brevitatis studio ad tria reducemus, quærentes de B. M. *virginitate* (art. 1), de ejus virginitatis *voto* (art. 2), deque ejus *desponsatione* (art. 3).

ARTICULUS I.

Utrum B. Maria virgo extiterit ante partum, in partu et post partum.

(Q. XXVIII, aa. 1-3).

1° Inter privilegia, quibus Dei Genitrix insignita fuit, emicat quasi gemma perpetua ejus virginitas; quam adeo

[1] — Circa gratiæ quantitatem seu plenitudinem in Beata Virgine dignus est qui consulatur prælaudatus P. Lépicier, *op. cit.* et opusc. *De quantitate gratiæ B. M. Virginis theologica disquisitio*.

excellentem prætulit ut meruerit nuncupari atque invocari *Regina Virginum*[1].

2° Fatendum est fuisse hæreticos qui gemmam illam, auro nitidiorem, impia manu tentarent de Mariæ diademate eripere.— *a*) Etenim *Carpocrates*, *Ebionitæ* et *Cerinthus* Christum de utroque sexu natum olim fabulati sunt.— *b*) Sensit *Jovinianus* Christi matrem in partu virginitatem amisisse ; quem postea sequi non puduit *Lochardinos* (sæc. XIV) plurésque protestantium, inter quos *Buccerus* et *Molinæus*.— *c*) Tandem *Helvidius* (contra quem dimicavit S. Hieronymus) posuit B. Virginem, enato jam Christo, alios ex Joseph filios peperisse ; cui impietati consenserunt post *Wicleffum* multi e *Novatoribus* eorumque sequaces[2].

Conclusio 1ª. — CHRISTI MATER VIRGO FUIT ANTE PARTUM.— *Fide* id constat ex *Symbolis* et *Conciliis*.

1° *a*) Insignis est locus propheticus (Is. VII, 14) : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel ;* quo ex vaticinio sic argumentamur. Certum est textum illum esse *messianum ;* quod patet tum ex singulari ratione vocis *Emmanuel* (nobiscum Deus) et iis quæ (Is. VIII, 8 ; IX, 6) mirabilis illius filii propria prædicantur, tum ex universa traditione, tum quoque ex authentica interpretatione (Matth. I, 22-23) ubi descripta Christi conceptio sic confirmatur : *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Aqui in recitato vaticinio dubium non est quin *virgo* (hebraïce cum articulo, ideoque per eminentiam) significet, ex usu vocis necnon ex interpretum etiam protestantium[3] sensu, puellam innuptam omninoque a re uxoria alienam ; imo virginitas accipienda est in sensu *composito*, ut aiunt, seu pro ipsa Emmanuelis conceptione, in qua ideo *signum*[4] agnoscitur, quia virginea est. Ergo.— *b*) Prædictioni apprime respondit eventus, prout legitur apud

[1] — « B. Virgo fuit excellens in virginitate, imo Regina virginum ; et quia excellenter habuit de virore virginitatis, ideo fructum fecit mirabilem » (S. Thom. *Serm. de Nat. B. Virg.*, ed. Uccelli).

[2] — Triplicem hanc erroris formam perculit *Conc. Later.* sub *Martino I* a. 649 (can. 3) : « Si quis... non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semperque virginem immacalutam Mariam.. *absque semine concepisse* ex Sp. S. et *incorruptibiliter* eam *genuisse*, indissolubili permanente et *post partum* ejusdem virginitate, condemnatus sit.»

[3] — Cf. Knabenbauer, *Curs. Scrip. sac., Comm.* in Is. VII ; ubi totus locus eruditissime expenditur.

[4] — Cf. S. Thom. *Exp. in Is.* VII.

Matthæum et Lucam ; quorum unus expresse excludit a Christi conceptione maritalem operam : *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Sp. Sancto* (Matth. I, 18), alter eam his terminis Deo adscribit : *Sp. Sanctus superveniet in te et Virtus altissimi obumbrabit tibi* (Luc. I, 35). — *c*) Cogor silentio præterire Patrum eloquia, a cl. Petavio (l. XIV, c. 3-7) enarrata ; quibus fac conjungas veterem populorum etiam gentilium persuasionem de Liberatore e *Virgine* orituro[1].

2° *D. Thomas* plures affert *rationes congruentiae*, breviter assignandas :— nimirum *a*) *ex parte Dei Patris ;* cum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius, congruebat eum sic nasci ut unum cœlestem Patrem, excluso patre terrestri, haberet, ne paterna Dei dignitas ad creaturam transferre videretur : unde *S. Joseph* pater Christi dicitur *aestimatione* et *officio*, non generatione.— *b*) *Ex parte ipsius Filii ;* conveniens namque erat ut in ipsa generatione humana Verbi Dei aliqua proprietas divinæ ejus generationis reluceret. Atqui Verbum, secundum quod e paterno sinu procedit, nedum corruptionem, magis Patri dicenti affert perfectionis plenitudinem. Ergo congruebat ut Verbum illud, illæsa manente matris integritate, humanitus conciperetur.— *c*) *Ex parte humanitatis Christi :* hæc enim citra quemvis peccati nævum oriri debuit, per quam peccata mundi delenda erant. Porro fieri non poterat ut in natura jam corrupta caro ex concubitu nasceretur absque debito saltem peccati originalis. Ergo. — *d*) *Ex parte finis Incarnationis ;* eo enim fine Verbum incarnatum est ut homines in filios Dei renascerentur *neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*, sed *ex Deo*. Porro hujus conceptionis spiritualis certe decuit exemplar in ipsa Christi conceptione apparere.

Conclusio 2ª. — MATER DEI FUIT VIRGO IN PARTU ; prout sancitum est in *CC. Chalced.* et *Cptano III*.

1° Revera *a*) « propheta non solum dicit : *Ecce virgo concipiet ;* sed etiam addit : *et pariet filium*, Is. VII, 14 » (*S. Thom.* a. 2) ; scil. hæc verba sicuti quoad conceptionem (ut supra notatum est), ita et quoad partum sensu *composito* intelligi debent ac reapse a Patribus tum græcis tum latinis intellecta sunt (cf. *Suarez*, Disp. V, S. 2, n. 3).— *b*) Expendens de ea re Patrum sententias, observat *Franzelin* (de Verb. inc. th. 15) frequentissimam recurrere apud plerosque PP. comparationem cum resurrectione Christi : « Sicut obsignato sepulchro resurrexit, sicut per portas clausas ingressus est ad discipulos, ita nascendo inviolatis sigillis virginitatis

[1] — Cf. Aug. Nicolas, *Etud. phil. sur le Christ.*, P. I, l. 2, ch. 4, parag. 3.

et inconcussis foras prosiluit.» — *c*) Nec difficultatem facessit quod legitur apud quosdam (puta ap. Basilium et Ambrosium), Christum *aperuisse vulvam* matris : quippe post D. Thomam (resp. ad 1) scite monet *Petavius* (l. XIV, c. 5) voces illas sub eorum auctorum calamo nihil aliud significare quam nasci seu materno ex utero prodire ; a qua tamen benigna interpretatione excipit *Tertullianum* et *Origenem*.

2° Tria *rationum* momenta proferri possunt.— *a*) Primum ex *divinitate Christi ;* quam ut ipse una cum veritate sui corporis declararet, « permiscuit mira humilibus » (resp. ad 2). Unde, gratia demonstrandæ humanitatis, nascitur ex muliere (intellige ex femina) ; gratia vero ostendendæ Divinitatis, nascitur ex virgine.— *b*) *Secundum* ex *proprietate Verbi ;* quia enim Verbum non solum in corde illæso concipitur, sed etiam ex corde incorrupto progreditur, conveniebat ut Christi corpus, simili incorruptionis lege de virginis utero procedens, proprium Verbi Dei characterem quodammodo referret.— *c*) *Tertium* ex *effectu Incarnationis ;* ad hoc enim venit Christus ut corruptionem nostram tolleret, nos puritatem edoceret, nobis parentes honorandos præciperet, etc : quæ cuncta vetabant ne virginitatem matris nascendo defloraret.

3° Nonnulla *consectaria* subjiciam.— *a*) Et imprimis B. V. Mariæ partus, non doti corporum gloriorum, sed singulari adscribi debet *miraculo* quo factum est ut, præter communem claustri virginei reserationem, Christus de utero matris egrederetur. Quamvis enim impenetrabilitas sit *naturalis* proprietas corporum, divinitus tamen seu par miraculum effici non repugnat quod, suspensa quantitate *extrinseca* et distributiva partium in loco, duo corpora eumdem locum occupent et tamen distincta maneant secundum *intrinsecam* partium extensionem[1].—1° *b*) Hinc, cum Virgo-mater nullam

[1] — Cf. Suppl. Q. LXXXIII. a. 3 et Quodl. I, a. 22.— Cl. Lorenzelli (*Phil. theor. inst. ; Phil. nat. in comm.* P. III, l. 3) ita exponit doctrinam Angelici : « Impossibilitas naturalis hujus rei procedit ex hoc quod unumquodque conservatur in se unum, in quantum remanet *divisum* ab aliis, et omne corpus remanet divisum per hoc quod conservat *dimensiones suas* a dimensionibus aliorum *distinctas*. Distinctio autem dimensionum conservatur per distinctum *situm* aut per distinctam positionem *in loco*. Hinc sicuti omne corpus naturaliter tendit ad conservandum seipsum, ita naturaliter excludit aliud ab occupando simul eodem particulari loco per impenetrabilitatem. Sed prima ratio unitatis non consistit in *divisione ab aliis ;* divisio ab aliis consequitur potius *unitatem* quæ principaliter consistit in *indivisione in se*. Igitur per divinam omnipotentiam poterit salvari unitas respective propria duorum corporum, sine *divisione* utriusque quantum *ad locum*, seu remota etiam causa secunda conservativa hujus distinctionis, scil. remota distinctione quantum ad *situm ;* quia Deus, qui est *causa prima*, potest conservare effectus in esse sine causis proximis. »

pariendo violentiam experta sit, « in illo partu nullus fuit *dolor*, sicut nec aliqua corruptio ; sed fuit ibi maxima jucunditas ex hoc quod homo Deus est natus in mundum, secundum illud (Is. XXXV, 2) : *Germinans germinabit, et exultabit laetabunda et laudans* » (III, Q. XXXV, a. 6).— *c*) Itidem B. Virgo, immunditiæ expers, non erat (stricte loquendo) *purificationis* legi adstricta ; at vero sponte observantiam illam implevit tum ad præbendum humilitatis obedientiæque exemplum, tum ad approbandam legem et tollendam Judæis calumniæ occasionem (Q. XXXVII, a. 4).[1]

Conclusio 3ª. — MATER DEI VIRGO PERMANSIT POST PARTUM.— Hoc quoque *de fide* est juxta *CC. oecum. V, VI* et *VII.*

1° *a*) Non immerito invocatur hæc sententia (Ezech. XLIV, 2) : *Porta haec clausa erit ; non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam ;* quæ verba, litteraliter dicta de quadam porta templi, implicite saltem seu *sensu consequente*[2] ex paritate rationis (si non allegorice) ostendunt aulam virginalem matris Messiæ inviolatam manere debuisse. Unde hoc testimonio in re præsenti Patres scriptoresque ecclesiastici frequenter usi sunt.— *b*) Perpetuæ virginitatis Mariæ negatio, quam *Hieronymus* (l. cont. Helvidium) « scelus ac blasphemiam » appellat, teste eodem Doctore contrariatur toti antiquitati ; patet enim (*Franzelin*, th. 15) in symbolis fidei, in liturgiis, in prædicatione Patrum, proprium et insigne nomen Dei matris continuo fuisse nomen *virginis* et *semper virginis.*

2° Juverit doctrinam illam *rationibus* et verbis limpidissimis Angelici illustrare ; loquens de errore Helvidii (art. 3), ait : « *a*) Hoc *primo* derogat *Christi perfectioni ;* qui sicut secundum divinam naturam unigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia filius ejus, ita decuit ut esset unigenitus matris, tanquam perfectissimum germen ejus.— *b*) *Secundo*, hic error injuriam facit *Sp. Sancto*, cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit. Unde non decebat quod de cætero violaretur per commixtionem virilem.— *c*) *Tertio*, derogat dignitati et sanctitati *matris Dei*, quæ ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et si virginitatem quæ in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum.— *d*)

[1] — De materia hujus conclusionis cf. *Etudes* (20 fév. 1908), ubi articulus modernisticus refutatur.

[2] — Knabenbauer, *op. cit., Comm.* in Ezech. XLIV.

Quarto etiam *ipsi Joseph* esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam quam revelante angelo de Sp. Sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret ».

Solv. obj. — Obj. 1 (cont. 1am concl.). — Quæ sunt ejusdem speciei, eumdem generationis modum habent. Atqui Christus fuit ejusdem speciei cum aliis hominibus. Ergo.

Resp. *D. M* :... secundum quod procedunt in esse per viam naturæ, *C* ; quasi divina virtus, cui naturæ leges cunctaque creata obediunt, non possit illi processui supernaturaliter derogare, *N.* — *C. m.* — *Neg. conseq.*

Obj. 2 (cont. 3am concl.).— Legitur (Matth. I, 18) : *Antequam convenirent, inventa est in utero* etc. ; — ibid. (v. 20) : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam ;*— rursus (v. 25) : *Non cognoscebat eam, donec peperit* etc. Quæ tria, *antequam*, *conjux*, *donec*, carnalem copulam Mariam inter et Joseph subsecutam esse ostendunt. Ergo.

Resp. ad 1um, illud *antequam convenirent* ab Evangelista poni, non quia postea convenerint, sed quia, *dum viderentur conventuri*, prævenit conceptio per Sp. Sanctum prohibens ne ulterius convenirent. — Ad 2um dico *conjugem* vocari Mariam ex initi connubii veritate, non ex consummata carnaliter unione. — Ad 3um subnoto adverbium *donec* (et hanc explicationem confirmat usus) signare quod erat minus evidens, scil. matrem Dei non esse a viro cognitam ante partum, subaudito eo quod facilius intelligitur, nempe eam non fuisse cognitam post partum.

Obj. 3.— Christus (Matth. I, 25) nominatur filius Mariæ *primogenitus ;*— imo expresse dicitur habuisse *fratres* (Joan. II, 12) : *Descendit Capharnaum ipse, et mater ejus, et fratres ejus.* Ergo.

Resp :— 1° Apud Judæos vocabatur *primogenitus* non solum is quem fratres sequebantur, sed omnis filius *ante quem* nullus esset natus.— 2° De *fratribus* Domini *a*) difficultas a quibusdam Patribus solvitur, quatenus fratres illi censeantur filii S. Joseph, non ex B. Virgine, sed ex alia uxore oriundi. At hæc opinio adversarios nacta est penes plures alios Patres, præsertim penes Augustinum et Hieronymum, communique consensu rejicitur ; ad rem *S. Thomas* (*Comm.* in Gal. I, 19) : « Hoc est falsum, quia si Dominus matrem virginem noluit nisi virgini commendare custodiendam, quomodo sustinuisset sponsum ejus virginem non fuisse[1] ? » *b*) Itaque, ut aliam sententiam promamus, quotuor modis

[1] — Cf. Suarez, Disp. V, S. 4.

in Scripturis *fratres* appellantur, scil. natura, gente, cognatione et affectu. Hinc qui dicti sunt fratres Domini (Jacobus Min., Judas, Joseph et Simon) merito æstimantur *consobrini* Christi, tum quia eorum genitor Cleophas frater creditur S. Joseph ideoque patruus Domini eo titulo quo S. Joseph erat ejus pater, tum quia Maria, uxor Cleophæ, fuit B. M. Virginis soror (Joan. XIX, 25) aut germana aut consobrina.

ARTICULUS II.

Utrum mater Dei virginitatem voverit.

Hactenus de virginitate B. M. diximus quantum ad elementum materiale ; nunc inquirendum subit de eo quod *formale* est in ipsa, scil. de proposito et voto eam servandi. *Calvinus*, *Beza* aliique hæretici, quibus castitas præsertim voto nuncupata exosum quid visa fuit, non sunt veriti exquisitum illum Marianæ virginitatis florem detrectare ; at inani conatu.

Conclusio 1ª. — PRO CERTO HABENDUM EST B. V. MARIAM ANTE ANNUNTIATIONEM ABSOLUTE VIRGINITATEM VOVISSE. — Res, inquam, *certa* est ex theologorum sensu, etsi non de fide.

Prob :— 1° *Auctoritate ; Augustinus* enim (l. de S. Virg. c. 4), relato Mariæ ad Angelum annuntiantem responso : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco* (Luc. I, 34), subdit : « Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset.» Idem jam expresserat *Greg. Nyss.* (Or. de Nat. Dom.) ; quibus subscripserunt *Beda*, *Anselmus*, *Rupertus*, *Bernardus*.

2° *Ratione*.— *a*) Perfectionis opera laudabiliora sunt, si ex voto celebrentur : quandoquidem per votum homo altiori ex virtute operatur, majori sui abnegatione Deo subjicitur, et immobilius in bono firmatur[1]. Jamvero virginitas in matre Dei debuit præcipua quadam excellentia præfulgere, ita ut, nedum impar esset illius sublimitati, e contra decore suo Dei Verbum quodammodo attraheret. Ergo.— *b*) Præterea Maria, pro suæ dignitatis gradu sanctitatisque primatu, destinabatur purissimum omnium virginum exemplar et implendorum *consiliorum* veluti initiatrix, juxta illud (Ps. XLIV, 15) : *Adducentur Regi virgines post eam ;* unde *Ambrosius* (l. de Inst. Virg. c. 5) : « Egregia Maria, quæ signum sacræ virginitatis extulit, et intemeratæ virginitatis pium

[1] — II-IIæ, Q. LXXXVIII, a. 6.

Christo vexillum levavit.» Ergo aut prima tempore fuit quæ virginitatem Deo voveret (contrarium historiâ minime constat), aut saltem perfectione voti cunctas creaturas superavit[1].

Conclusio 2ª.— PROBABILE EST DEIPARAM INDE AB INITIO VIRGINITATEM VOVISSE SUB CONDITIONE, I. E. NISI DEUS ALIUD ORDINARET ; POSTQUAM VERO EI MOX DESPONSATÆ INNOTUIT HOC ESSE DEO ACCEPTUM, ABSOLUTE VOVIT.— Ita *D. Thomas*, quem plures sequuntur ; quamvis *alii* etiam magni nominis theologi opinentur B. Mariam votum absolutum emisisse ante matrimonium,imo a prima deliberatione (cf. *Suarez*, Disp. VI).

1° *a*) In B. Virgine apparere oportuit omne illud quod ejus perfectionem secundum temporis congruentiam commendaret. Atqui, quamvis virginitas in se esset optima, tamen *pro tempore illo* et ex mente Legis matrimonium ei **præferebatur :** tum quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur ; tum quia benedictum semen a Deo promissum per viam originis proventurum erat. Ergo « Virgo vovit virginitatem tanquam optimum et sibi acceptissimum, non tamen simpliciter, sed sub conditione honestissima hac, scil. *nisi Deus aliter ordinaret ;* nec istam conditionem apposuit ut dubitaret an vellet virgo permanere, sed an deberet » (4 S. D. XXX, Q. Q. II, a. 1, sol. 1).— *b*) Accedit quod « B. Virgo fuit confinium Veteris et Novæ Legis, sicut aurora diei et noctis ; et ideo votum ejus sapuit novam legem in quantum virginitatem vovit, et veterem, in quantum conditionem apposuit » (*ibid.* ad 1).— *c*) Tandem (juxta D. Thomam) absolutum continentiæ votum contrarium esset substantiæ matrimonii ; ait enim (*ibid.*, quæstiunc. 2 ad 2) : « Talis conditio, cum sit contra matrimonii bonum, scil. prolem procreandam, matrimonium tolleret.»

2° Accepto sponso prouti mores illius temporis exigebant, Mariæ mox per revelationem innotuit votum virginitatis *absolutum* fore Deo gratum ; quod ideo una cum S. Joseph, communi voluntatis assensione, emisit.— Ne vero desponsatio B. Virginis ægre cum proposito etiam conditionato servandæ virginitatis conciliari videatur, sequentibus attendas *D. Thomae* verbis (*loc. cit.*, ad 2 et 3) : « B. Virgo, antequam contraheret cum Joseph, fuit certificata divinitus quod *Joseph in simili proposito* erat ; et ideo non se commisit periculo nubens... Copula carnalis cecidit implicite sub con-

[1] — Cf. Suarez, Disp. VI, Sect. 3

sensu B. Virginis, sicut actus implicite continetur in potentia. *Potentia* autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius nisi ratione *actus ;* qui quidem nunquam fuit in proposito b. Virginis, sed erat jam certificata quod actus nunquam sequi deberet.»

ARTICULUS III.

De matris Dei desponsatione.

(Q. XXIX, aa. 1-2)

Doctrinam de virginitate B. Mariæ proxime excipit quæstio de ejus *desponsatione*, sub cujus velamine intacta manens Fructum salutis mundo edidit.— Duo post D. Thomam investiganda sunt, scil. num desponsatio illa fuerit *conveniens* (an sit), et utrum veram *matrimonii rationem* habuerit (quid sit).

Conclusio 1ª.— CONVENIENS FUIT CHRISTUM DE DESPONSATA VIRGINE NASCI.— Hanc desponsationem, quæcumque demum fuerit, attestantur *SS. Litterae* luculentissimo sermone ; unde sola nunc *convenientia* probanda est : quam probationem triplici ex capite ducemus.

1° *Ex parte Christi ;* quo sub respectu quatuor argumenta desponsationi Deiparæ suffragantur : *a*) *unum* nempe, ne Christus ab infidelibus tanquam illegitime natus abjiceretur ; *b*) *aliud*, ut consueto modo ejus genealogia per virum describeretur ; *c*) *tertium*, ut partus ejus (nondum instante tempore persecutionum quas pati disposuerat) sive diabolo sive diabolicis potestatibus celaretur sub hymenæi pallio : nec enim diabolus permittebatur modum divini illius partus scrutari; *d*) *quartum*, ut a Joseph sustentaretur, qui propterea pater ejus *nutritius* dictus est.

2° *Ex parte Virginis :* siquidem per hoc *a*) immunis reddita est a pœna *lapidationis* qua mulier peccatrix, sive jam nupta, sive virgo nuptura, penes Judæos plectebatur ; *b*) ab *infamiae* dedecore liberata fuit ; *c*) item in sponso Joseph *custodem* et administrum sibi devotissimum invenit.

3° *Ex parte nostra :* sic enim *a*) indubitato Joseph testimonio comprobatum est Christum ex Virgine natum esse ; quod nisi verum foret, sane sponsus ille opprobrium sibi illatum vindicasset ; *b*) ipsum quoque testimonium B. M. de sua virginitate eo credibilius nobis apparet, quod jam desponsata

nullam mentiendi seu occultandæ prægnationis suæ causam habuerit ; *c*) præterea, tollitur excusatio virginibus, quæ propter suam incautelam infamiam non vitant ; *d*) mystice significatur virginea conjunctio Ecclesiæ cum Christo ; *e*) tandem, exemplo sponsæ-virginis tum virginitas tum matrimonium contra hæreticos alterutri detrahentes defenditur et honoratur.

Conclusio 2ª. — VERUM INTERFUIT MARIAM INTER ET JOSEPH MATRIMONII VINCULUM.— Hanc veritatem esse *de fide* docent omnes theologi (teste *Suarez*, Disp. VII, S. 1).

Prob. 1° ex *Scriptura*.— Nam (Matth. I, 16 et 19) Joseph vocatur *vir* Mariæ et ratione hujus unionis (Luc. II, 48) *pater* Christi ; Maria vicissim *conjux* (Matth. I, 24) et *uxor* (Luc. II, 5) Joseph appellatur : quæ omnia vinculum matrimoniale indubie designant.

2° Ex *Patribus* et Doctoribus, inter quos nominare est *Basilium*, *J. Chrysost.*, *Ambrosium*, *Hieronymum*, *Augustinum*, *Alphonsum de Lig.* etc. Ait *Aug.* (c. Faust. l. XXIII, c. 8) de S. Joseph : « Neque quia concubitu non permixtus, ideo non maritus, cum ipse Matthæus narret ab angelo Mariam conjugem ipsius appellatam.» — Plurium Patrum prolata ratio est, quia, nisi intercessisset verum matrimonium, non esset sufficienter famæ B. Virginis provisum.

3° Ex ipsa *rei natura*.— Matrimonium seu conjugium verum dicitur ex eo quod perfectionem suam assequitur. Atqui conjunctio inter Mariam et Joseph matrimonii perfectionem tum primam et essentialem, tum (saltem ex parte) secundam et accidentalem attigit. Ergo. *Min. ostend.* Duplex est rei perfectio, *prima* quidem et essentialis consistens in forma ex qua speciem sortitur, *secunda* vero et accidentalis posita in consecutione finis. Forma vero matrimonii residet in quadam indivisibili viri uxorisque fidem sibi spondentium conjunctione, dum finis est proles copula carnali generanda variisque operibus educanda. Jamvero *a*) certum est (prout appellationes biblicæ superius recitatæ attestantur) Mariam et Joseph consensisse in *societatem conjugalem ;* quin tamen copulæ carnali aliter assenserint quam in præparatione animi beneplacito divino subditi. *b*) Item, nunquam *generandæ* proli operam dederunt ; ex quo datur intelligi Patres, qui nuptias excludere visi sunt, solum hunc nuptialem concubitum profecto rejecisse. *c*) At vero matrimonium illud, etsi generationis actu carens, finem prolis *educandæ* perfectissima ratione assecutum est. Ergo etc.

Notanda quædam supersunt.— 1° Quando Angelus ad Mariam missus est ut ei Incarnationis mysterium nuntiaret,

certe B. Virgo fuerat *desponsata* eo unionis genere quod penes Judæos jura secum ferebat matrimonialia, scil. *nupta* erat, ut modo loquendi evangelico satis declaratur.— Verum 2° non tam liquido constat an propter hanc desponsationis fidem, priusquam nuptiæ solemni pompa celebrarentur, sponsa jam in *sponsi domo* habitaret : multi id affirmant (art. 2 ad 3) ; alii[1] negativam sententiam probabiliorem censent, qui ideo dicunt tunc Joseph Mariam in domum suam adduxisse nuptiasque solemnes celebrasse, quum monitus est *accipere Mariam conjugem* suam.— 3° Solent auctores inquirere *qua aetate* Joseph et Maria matrimonium contraxerint ; cui tamen dubio nulla certa responsio adhiberi potest. Verisimile videtur (quod sentit *Suarez*[2], Disp. VII, Sect. 3) Joseph fuisse virum triginta vel quadraginta annorum, qui nempe maturitate quadam ætatis et prudentiæ polleret. Circa B. Virginem fluctuant opiniones ab anno decimo quarto ad decimum nonum, imo ad vigesimum annum.

QUÆSTIO TERTIA

DE B. M. VIRGINIS ANNUNTIATIONE

Jam se indagandam perhibet insignis prorsus, imo (vere dixerim) incomparabilis legatio illa, in qua maximus est qui mittit, magnus qui mittitur, magnum et momentosum negotium de quo tractatur (Knabenbauer in Luc. I).— Cum factum ipsum plane e Scripturis compertum sit, id unum theologicæ disquisitioni objicitur, utrum fuerit annuntiatio *conveniens :* quæ convenientia sumi potest vel ex parte *annuntiationis* ipsius (art. 1), vel ex parte *angeli* annuntiantis (art. 2).

ARTICULUS I.

Utrum necessarium fuerit annuntiari B. Virgini quod in ea generandum.

(Q. XXX, aa. 4)

Necessarium hic intelligitur non de necessitate absoluta, sed de necessitate *convenientiae.*— Porro annuntiatio, quam

[1] — Cf. Knabenbauer, *Curs. Scrip. Sac., Comm.* in Matth. I.

[2] — Plura apud eximium Doctorem (Disp. VIII) de statu, dignitate et sanctitate *S. Joseph* pie eruditeque disputata reperies; item, apud cl. Lépicier, *Tract. de Sancto Joseph.*— Cf. quoque Decret. Pii IX de constituendo S. Joseph *Patrono Eccl. Cath.* (1870), necnon encyl. *Quanquam pluries* Leonis XIII (1889), et *Motu Proprio* " *Bonum sane* " Benedicti XV (1920).

convenientem fuisse ostendere intendimus, potest spectari tum *in communi*, tum *in specie* seu secundum ea quibus perfecta est : utrumque unius propositionis ambitu claudetur.

Conclusio. — ANNUNTIATIO B. VIRGINIS, SIVE COMMUNITER, SIVE SPECIALITER INSPECTA, CONVENIENTISSIMA FUIT.

1ª *Pars* decl: — 1° ex *ordine conjunctionis* ad Deum. Cum enim mens vicinior Deo sit quam corpus, decebat ut Christus non prius uterum Virginis inhabitaret quam ejus intellectum sapientiæ radio perfunderet. Unde *August.* (l. de S. Virg. c. 3) : « Beatior Maria percipiendo fidem Christi quam concipiendo carnem Christi ; » et *Leo M.* (Serm. 1 de Nat. Dom.) : « Virgo regia Davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fœtu, divinam humanamque prolem *prius conciperet mente quam corpore.*» — 2° Ex *Incarnationis testificatione.* Congruebat enim ut B. Virgo testis certissima[1] inusitatæ conceptionis existeret ; quod divinam de tanto mysterio instructionem petebat.— 3° Ex *Virginis obsequentia.* Deus non coacta, sed voluntaria diligit obsequii munera et ministeria. Porro B. Virgo singulariter eligebatur in Dei ministerium quem utero portaret, lacte aleret, brachiis bajularet. Itaque conveniens fuit ut de hoc erudiretur ; ad quod se promptam obtulit dicens : *Ecce ancilla Domini.*— 4° Ex *Virginis mediatione.* Etenim in Incarnatione spirituale quoddam instituebatur connubium inter Filium Dei et humanam naturam. Atqui contractus hujusmodi mutua voluntate efficitur. Ergo congruenter « per annuntiationem expectabatur *consensus Virginis loco totius humanae naturae* » (S. Th., art. 1).

2ª *Pars* est de annuntiatione *in specie* seu de sermone quem cœlestis nuncius ad Mariam habuit (Luc. I).

Hunc autem sermonem convenientissimum fuisse exinde suadetur :— 1° quia oportebat mentem Virginis *attentam reddere* ad mysterii nuntiandi considerationem. Porro huic proposito apprime congruebat nova illa ac insolita salutatio, qua et idoneitas Mariæ ad conceptum, *gratiâ plena*, et futurus ex divino favore conceptus, *Dominus tecum*, et honor consequens, *benedicta tu* etc , significabatur, quæque eo magis attentionem Virginis erigere valebat quo minus prævisa laude ejus humilitatem commoveret.— 2° Oportebat illam *instruere* de mysterio Incarnationis in ea implendo ; id autem optime egit nuntius prænuntiando conceptum et par-

[1] — Cf. Aug. Nicolas, *La Vierge Marie dans l'Evangile*, ch. 21 : *Marie, au Cénacle, témoin fondamental de la foi chrétienne.*

tum, *ecce concipies* etc., ostendendo prolis conceptæ dignitatem, *hic erit magnus* etc., et demonstrando miranti ac interroganti Virgini singularem conceptionis modum, *Sp. Sanctus superveniet in te* etc.— 3° Cum *consensus* Mariæ requireretur, ad eum præstandum inducenda erat : quod factum est tum *exemplo* sterilis Elisabeth divinitus fecundatæ, tum *ratione* ex omnipotentia Dei desumpta.

Unde statim ut prompto obedientique animo assentiens[1] Maria protulit *fiat* Redemptionis, eo solemni momento Verbum Dei concepisse creditur (*Suarez*), Disp. IX, S. 4.)

Solv. obj. (cont. 1am p. concl.) — Obj. 1. — Annuntiationis motivum assignatur consensus a B. Virgine præstandus. Atqui prædestinatio rerum divinarum completur sine consensu nostro. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :. . . i. e. sine arbitrio nostro principaliter causante, *C ;* sine arbitrio nostro libere cooperante, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Virgo jam Incarnationis fidem, sine qua nulla salus, habebat. Atqui de eo quod certa fide creditur, superflua est ulterior instructio. Ergo.

Resp. *D. M* : . . . habebat fidem Incarnationis futuræ *absolute, C ;* futuræ *ex Maria,* quasi humilis Virgo tam alta de se saperet, *N.*— *Trans. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Similitudo est inter corporalem Christi conceptionem in utero Virginis et spiritualem conceptionem in anima justa. Atqui iis qui spiritualiter Christum concepturi sunt, conceptio hæc non annuntiatur. Ergo.

Resp. *D. M* : Similitudo univoca . . . *N ;* analogica, *C.*— *D. m* :. . . non annuntiatur sub ratione fidei quam quis veram esse sciat, *N ;* sub ratione *gratiae* quam quis certo se habere noscat, *C.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum annuntiatio fieri debuerit per Angelum visibiliter apparentem.

(Art. 2-3)

Evangelica constat narratione (Luc. I, 26) *Gabrielem* angelum fuisse Incarnationis nuntium. — De quo solent theologi inquirere, num pertineret ad supremum angelorum

[1] — Cf. de hoc consensu quæ pulchre eloquitur S. *Bernardus*, Hom. IV c. I, n. 8.

ordinem, vel potius ad ordinem Archangelorum. Verior sententia est (quam tuetur *D. Thom.* a. 2 ad 4), Gabrielem fuisse non de supremo ordine, sed *supremum in ordine Archangelorum*, quoniam (teste S. Greg.) archangeli sunt qui summa annuntiant, nec quidpiam majus annuntiandum occurrit quam Incarnationis mysterium. Ecclesia passim Gabrielem nominat *archangelum*.— Modo discutiendum subit, an *conveniens* fuerit annuntiationem fieri per *angelum*, et quidem sub *specie corporea*.

Conclusio.— OMNINO CONGRUEBAT UT MATRI DEI INCARNATIO NUNTIARETUR PER ANGELUM, VISIBILITER APPARENTEM.

1ª *Pars* ostend : — 1° ex generali *ordine Providentiae*, juxta quem mediantibus Angelis divina ad homines perveniunt : ab hac enim lege nec Dei Mater eximenda erat, quæ, quanquam gratia et dignitate præeminebat cunctis creaturis etiam spiritualibus, tamen quantum ad *statum praesentis vitae* inferior erat angelis.— 2° Ex *ordine humanae reparationis :* quemadmodum enim humana perditio initium sumpsit ex eo quod diabolus sub serpentis specie primam Evam allocutus est ac decepit ; ita congruebat ut naturæ nostræ restauratio exordium duceret ab Angelo Virginem ceu secundam Evam alloquente ac instruente.—3° Ex *virginitate Matris Dei ;* arcta quippe cognatio viget inter puritatem angelicam et puritatem virgineam : idcirco decebat Angelum ad eam mitti quæ, in carne præter carnem vivens, angelicum sectabatur morem.

2ª *Pars* est de adstruenda apparitionis angelicæ convenientia sub *corporali specie ;* quod quidem triplici ratione evincitur :— 1° ex *annuntiationis objecto*. *a*) Venerat enim Angelus nuntiare invisibilis Dei incarnationem, per quam visibilis fieret ; ergo conveniens fuit ut ad hujus rei declarationem invisibilis nuntius visibili sub forma appareret. *b*) Eo magis, quia omnes apparitiones V. T. ad hanc præordinabantur manifestationem, qua Filius Dei in carne visus est.— 2° Ex *dignitate Deiparae* cui nuncium allatum est ; *a*) quia enim B. Virgo non solum mente, sed et corpore Dei Filium susceptura erat, congruebat ut utroque revelationis genere honestaretur, scil. tum mentali tanti mysterii declaratione, tum sensibili ejus manifestatione per corporalem Angeli visionem. *b*) Neque huic rationi officit *turbatio* quam Virgo primum experta est (Luc. I, 29). Hanc enim turbationem et timorem, non ex corporeo Angeli adspectu, sed ex summa Virginis humilitate insolitaque salutatione prodiisse verius statuunt plerique S. Scripturæ expositores (*Knaben-*

bauer in h. l.) ; quippe « Evangelista non dicit quod turbata fuerit in visione angeli, sed *in sermone ejus* » (*S. Th.* art. 3 ad 3).— 3° Ex *rei nuntiatae certitudine ;* ea enim quæ simul oculo mentis oculoque corporis nobis innotescunt, certius percipimus quam ea quæ nuda intellectione vel imaginaria visione apprehendimus. Hinc S. Joseph, cui angelus in somnis apparuit, non ita excellentem apparitionem habuit sicut B. Virgo.

QUÆSTIO QUARTA

DE MATERNITATE DIVINA

Non sine proprii diffidentia ingenii (qua se motos ipsi sacri Doctores fassi sunt) contemplandam advehimur præcipuam illam ac eminentisimam omnium prærogativam, veluti Marianæ dignitatis apicem, cujus cætera quæque Virginis munera aut præludia sunt aut accidentia atque consectaria.

Ad tria præcipua capita, totidem articulis pertractanda, doctrinam D. Thomæ revocabimus : nempe primum dicemus de principio *activo* conceptionis Christi (art. 1) ; quo constituto, mox gradiemur ad determinandum principium *passivum* ejusdem conceptionis secundum quod B. Virgo asseritur tum mater *Christi* (art. 2), tum mater *Dei* (art. 3).

ARTICULUS I.

Utrum et quomodo Sp. Sanctus fuerit principium activum conceptionis Christi.

(Q. XXXII)

In generatione humana distingui solet duplex principium, *passivum* nempe quod subministrat materiam et se tenet ex parte matris, *activum* vero quod materiam illam transmutat, fecundat, determinat et se tenet ex parte patris.— Conceptio activa Christi ita Spiritui S. tribuenda suscipitur ut ei quidem per *appropriationem*, at reapse toti Trinitati, haud secus ac reliqua opera ad extra, conveniat.— Duo in quæstionem vocantur, *an* et *qua ratione* Sp. Sanctus in Christi conceptione partes activas expleverit.

Conclusio 1ª. — Merito conceptio activa Christi attribuitur Spiritui Sancto, secundum id quod in *symbolis fidei* legimus.

Nam 1° expresse id *Scriptura* docet (Luc. I, 35); *Sp. Sanctus superveniet in te* (loco viri quem virgo non cognoscis), *et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (scil. Dei omnipotentia, a qua tantum opus dependet, quasi de cœlesti nube occultim te fecundabit.)

2° Plures præsto sunt *rationes* convenientiæ (quas ex D. Thoma exposuit Leo XIII in encycl. *Divinum*).— *a*) Harum prima *ducitur* ex *causa Incarnationis :* Sp. Sanctus est amor subsistens Patris et Filii. Atqui hoc ex maximo Dei amore provenit ut Filius Dei sibi carnem in utero virginali assumeret ; nam *sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret* (Joan. III, 16). Ergo.— *b*) Item ex *gratuitate assumptionis* naturæ arguitur ; quia non ex meritis suis, sed ex solo gratiæ beneficio natura humana in unitatem personæ divinæ assumpta est. Jamvero gratia Spiritui S. attribuitur (1 Cor. XII, 4) : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.*— *c*) Rursus ex *termino Incarnationis* ratio sumitur ; quia ad hoc terminata est *Incarnatio* ut conceptus homo esset sanctus et Filius Dei. Porro tum sanctificatio, tum filiatio divina ex Sp. Sancto repeti solet (Rom. I, 4; Gal. IV, 6). Inde est quod Angelus, nuntiato Sp. Sancti interventu, subdit : *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*— *d*) Tandem *analogia* quædam accedit ; quatenus, sicuti penes hominem verbum mentis corde spirituque influente vocaliter se prodit, ita Verbum Dei mediante Sp. Sancto sensibiliter in carne apparuit (C. G. IV, 46). Ergo, licet conceptio Christi *auctoritative* tribuatur Patri mittenti Filium, *terminative* vero sit Filii assumentis naturam, tamen *in se* seu secundum corporis formationem recte *appropriatur* Spiritui Sancto.

Conclusio 2ª. — Sp. Sanctus in conceptione Christi virilem supplevit vicem, quin (probabilius) B. Virgo quidpiam active in ea egerit.

1ª *Pars* ostend. ex *D. Th.* (C. G. IV, 45) : « Manifestum est enim, quum virtus divina infinita sit, et per eam omnes causæ virtutem producendi effectum sortiantur, quod quicumque effectus per quamcumque causam producitur, potest per Deum absque illius causæ adminiculo produci ejusdem speciei et naturæ. Sicut igitur virtus naturalis quæ est in humano semine producit hominem verum, speciem et humanam naturam habentem, ita virtus divina, quæ talem virtutem semini dedit, absque hujusmodi virtute potest effectus illius virtutis producere, constituendo verum hominem, speciem et naturam humanam habentem. »

2ª *Pars* ut declaretur, præscindendum ducimus a quæstione physiologica de præcisis muneris materni limitibus in communi generatione hominum. At (post *D. Thom.*, *Cajet.*, *Suarez*) tenendum probabilius censemus B. Virginem, etsi ante conceptionem active cooperata sit in præparanda materia quæ foret apta conceptui, tamen in ipso conceptionis actu concursum mere passivum præstitisse. *Ratio* est, quia sic *ex una parte* plene salvari videtur essentia *maternitatis* quæ a paternitate secernitur pro ipsa distinctione passivi et activi principii ; *ex altera parte*, melius consulitur insigni Deiparæ *virginitati* quæ vel tenuissimam integritatis læsionem abhorret[1].

Adnotanda — 1° Ex dictis *falso quis inferret* Christum dici posse *filium Sp. Sancti*. Etenim id quod de aliquo prædicatur secundum perfectam rationem, non est ei tribuendum secundum rationem imperfectam. Jamvero Christus est Filius Dei secundum perfectam filiationis rationem ; non autem de Sp. Sancto conceptus et ortus est secundum similitudinem speciei quæ ad perfectam filiationem requiritur. Itaque, licet secundum humanam naturam formatus et justificatus fuerit a Sp. Sancto, non tamen his de causis dici potest filius Sp. Sancti vel etiam Trinitatis.

2° Equidem *ex parte materiae* conceptio Christi naturalis quodammodo fuit ; verum ex parte principii activi et *simpliciter* loquendo, dici de betmiraculosa et *supernaturalis* (Q. XXXIII, a. 4) : quæ quidem a Sp. Sancto *tria privilegia* obtinuit, nempe quòd esset virginalis, peccati debitique originis expers, necnon ad Hominem-Deum terminata (Q. XXXII, a. 4 ad 1).

ARTICULUS II.

Utrum secundum temporalem Christi nativitatem B. Virgo possit dici mater ejus.

(Q. XXXI, aa. 4-5 ; Q. XXXV, aa. 1-3 et 5)

Manichaei seu *Phantasiastae*, *Gnostici* cum *Valentino* et *Apollinaristae*, quia humanam Christi naturam commentis suis corrumpebant, eadem opinionum perversitate Mariam *Christi matrem* prædicari posse inficiati sunt.— Dogma hoc catholicum tribus veluti doctrinæ gradibus, Angelico duce, confirmabimus.

[1] — Vid. ampliora ap. Suarez, Disp. X, Sect. 2.

Conclusio.— Apprime decuit ut Filius Dei de fœmina carnem acciperet.

Tria id suadent :— 1° *nobilitanda tota humanitas.* Hæc enim ex utroque conflatur sexu. Porro præeminentia sexus masculini exigebat ut Christus in sexu illo homo appareret. Ne ergo sexus fœmineus, tam turpi dejectione penes ethnicos oppressus, diutius contemneretur, congruum fuit ut de fœmina Messias nasceretur. — 2° *Adstruenda Incarnationis veritas,* quæ non parum firmatur per ortum ex fœmina maternis legibus subjecta. Unde *Augustinus* (Ep. 137, al. 3, ad Volusianum, c. 3), conjuncta in Christo divinitatis et humanitatis signa perspiciens, ait : « Ita inter Deum et homines Mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita *solitis* temperaret ».— 3° *Complenda generationis diversitas.* Namque « primus homo productus erat ex limo terræ sine viro et fœmina ; Eva vero producta est ex viro sine fœmina. Alii vero nascuntur ex viro et fœmina. Unde hoc quartum quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex fœmina sine viro » (Q. XXXV, a. 4).

Conclusio 2ª. — Christo tribuenda est, præter æternam, temporalis quoque nativitas ; adeo ut bis natus dici possit.— Est *de fide* secundum *Conc. oecum. V* et *VI.*

1° Huc spectant sequentes *Scripturae* textus (Matth. I, 16 et 20) : *De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus,* et : *Quod in ea natum est, de Sp. Sancto est.*—Uude *Joan. Damasc.* (III Orth. Fid. c. 7) confitetur « duas Christi nativitates : unam, quæ est ex Patre, æternam ; alteram, quæ est in ultimis temporibus, propter nos.»

2° Sic ratiocinabimur.— Licet nativitas proprie attribuatur personæ tanquam *subjecto* nascenti, tamen ad naturam comparatur, velut motus et via ad *terminum.* Atqui motus diversificantur secundum diversitatem terminorum. Ergo ubi dari possit in uno subjecto dualitas naturarum generatione acceptarum, ibi duplex nativitas concedenda est. Atqui in Christo duæ sunt naturæ, divina scil. et humana, quarum unam accepit ab æterno a Patre, alteram a matre temporaliter sortitus est. Ergo necesse est attribuere Christo duas nativitates, æternam unam, temporalem alteram.

Conclusio 3ª.— Beata Virgo vere est mater Christi.

1° *Prob.* ex *Scriptura.*— Expresse enim dicitur Maria *mater Jesu* (Joan. II, 1), *mater Domini* (Luc. I, 43), *mater pueri* (Matth. I, 20) etc : his autem verbis matrem naturalem

significari facile intelligitur ex *conceptionis partusque* vocibus (Luc. I, 31) quæ ad veram maternitatem pertinent.— *Conf.* ex appellationibus *filius hominis* (Matth. VIII, 20 ; IX, 6), *semen Abrahae* et *David* (Gal. III, 16 ; Heb. II, 16 ; 2 Tim. II, 8) Christo attibutis, quæ correlative involvunt ex parte Mariæ sincerum matris titulum.

2° Ex *Patribus* qui passim hanc veritatem declarant vel indigitant ; ita *S. Ambrosius* (de Inst. Virg. l. un. c. 7, n. 48) : « Testatur de Cruce Dominus Jesus, et paulisper publicam differt salutem ne matrem inhonoram relinquat.» — Neque obstant *Damasc.* verba (III Orth. Fid. c. 12) : « S. Virginem neutiquam *Christiparam* nuncupamus ; » quippe sermonem hunc repudiat Damascenus non absolute, sed propter Nestorii perfidiam qui, *Christi* vocabulo abutens purumque hominem intelligens, volebat B. Virginem sic vocandam Christiparam ut non diceretur Deipara.

3° Ex *matris ratione.*— *a*) Enim vero ea proprie mater alicujus dici solet de qua iste *natus* prædicatur. Atqui ex præc. concl. compertum habemus Christum de Virgine Maria natum esse. Ergo.— *b*) Amplius, ad rationem matris hæc essentialiter pertinent et sufficiunt, nempe ut ministret materiam conceptioni congruam, alvum idoneum, nutrimentum fœtui conveniens, donec conceptam prolem edat in lucem. Atqui « non solum materiam præstitit B. Virgo ad conceptionem Christi, sed materiam convenientem ad producendum aliquid simile in specie, et locum convenientem, et nutrimentum conveniens conceptioni fœtus » (3 S. D. IV, Q. II, a. 1 ad 1)[1]. Ergo. *Min.* elucet ex eo quod corpus Christi non est de cœlo allatum, ut Valentimus posuit (vid. Disp. II, Q. III, a. 2), sed de Virgine sumptum et ex castissima ejus substantia seu purissimo sanguine, qui potentiâ caro est, formatum, juxta illud *Damasc.* (III Orth. Fid. c. 2) : « Dei Filius... ex castis purissimisque illius (Virginis) sanguinibus carnem anima rationali et intelligente animatam... ipse sibi compegit» (Q. XXXI, a. 5).

Solv. obj. — Obj. 1.— Dixit Jesus Mariæ (Joan. II, 4) : *Quid mihi et tibi est, mulier?* perinde ac si nihil commune fuerit inter ipsos. Ergo.

Resp. *D. antec :*... i. e. quasi Christus nihil acceperit a Maria, *N ;* quatenus normam suarum actionum repeteret, non a consilio matris terrenæ, sed a suo sibique a Patre data missione, *C.*— *Neg. conseq.*

[1] — Cf. 3 S. D. III. C. II. a. 1

Obj. 2.— B. Virgo materiam tantum in generatione Christi ministravit. Atqui hoc nequaquam importat rationem matris ; secus lignum esset mater scamni. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* : . . . in productione rerum inanimatarum, *C ;* etiam in generatione viventium, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Christus ex B. V. miraculose natus est. Atqui miraculosa generatio non sufficit ad habendam maternitatem vel filiationem ; non enim dicimus Evam filiam Adæ. Ergo.

Resp. *D. M* :. . . omni ex parte, *N ;* ex parte principii activi, *C.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum B. Virgo debeat dici mater Dei.

(Art. 4-5)

1° Neminem fugit hujus argumenti momentum et gravitas ; de quo apposite *S. Thomas* (3 S. D. IV, Q. II, a. 2) : « Humanitas Christi et maternitas Virginis adeo sibi connexa sunt ut qui circa unum erraverit, oporteat etiam circa aliud errare.»

2° Hinc « quia *Nestorius* circa humanitatem errabat, aliam esse asserens in Christo humanitatis et divinitatis personam, oportebat quod diceret Virginem non matrem Dei, sed hominis (non *Theotocon*, sed *Christotocon*) : quia secundum eum, Deus et homo non est unus Christus. *Quidam* vero moderni errantes dicunt, non posse Virginem dici matrem Dei, ne mater Patris et Sp. Sancti intelligatur ; concedunt tamen eam esse matrem Filii Dei. Sed hi trepidant timore, ubi non est timor » (*ibid.*).— Nestorianæ pesti infracto animo restitit *Cyrillus Alex.*, qui du decim anathematibus in *Conc. Ephes.* sancitis errorem retudit et disjecit[1].

3° Duo nobis præstanda occurrunt, unum de *veritate* Maternitatis divinæ, aliud de prælta ejus *excellentia.*

Conclusio 1ª.— B. Virgo proprie prædicatur Dei Mater seu genitrix.— Est *fidei* dogma acceptum non solum ex

[1] — Protestantes, etiam dum profitentur Divinitatem Christi, abhorrent titulum *matris Dei* B. Virgini collatum ; unde Ch. Hodge, *Syst. Theol.* P. III, ch. 19, hæc scribit : « The deification of the Virgin Mary in the Church of Rome was a slow process. The first step was the assertion of her perpetual virginity. . . The second step was the assertion that the birth, as well as the conception of our Lord, was supernatural. The third was the solemn, authoritative decision by the ecumenical council of Ephesus, A. D. 431, that the Virgin Mary was the *Mother of God.*» — Ab uno disce omnes.

supradicto *Conc. Ephes.*, sed et ex *Cptano II* de tribus Capitulis (can. 6), ubi legitur : « Si quis abusive et non vere Dei genitricem dicit S. gloriosam semper Virginem Mariam,... aut si quis hominis genitricem vocat eam aut Christi genitricem... et non specialiter et secundum veritatem Dei genitricem eamdem confitetur... A. S.»

1° Ipsa *Sacra Eloquia*, quidquid contenderit Nestorius, dogma illud exhibent. — Nam « licet non inveniatur expresse in Scriptura dictum quod B. Virgo sit mater Dei, invenitur tamen expresse in Script. quod *Jesus Ch. est verus Deus*, ut patet 1 Joan. ult., et quod B. Virgo est *mater J. C.*, ut patet Matth. I (cf. art. præc.). Unde sequitur ex necessitate ex verbis Script. quod sit *mater Dei* » (a. 4 ad 1).— « Dicitur etiam Rom. IX, 5, quod ex Judæis est *secundum carnem Christus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Non autem est ex Judæis nisi mediante B. Virgine. Unde ille, qui est super omnia *Deus benedictus in saecula*, est vere natus ex B. Virgine sicut ex sua matre» (*ibid.*).— Item *D. Thomas* (*Comm.* in Gal. IV, 4) errorem Nestorianum confutat « ex hoc quod dicit Ap. hic, quod *misit Deus filium suum factum*[1] *ex muliere ;* qui enim fit ex muliere, est filius ejus. Si ergo filius Dei est factus ex muliere, scil. ex B. Virgine, manifestum est quod B. Virgo est mater filii Dei » seu Dei ipsius.

2° Quod ad *traditionem* pertinet, inde a tempore *S. Cyrilli*, Nestorianæ hæreseos debellatoris, tam evidens est Ecclesiæ sensus ut supervacaneum foret e scriptis monumentis sententias congerere.— Ipse vero Cyrillus (l. De rect. fide) provocat ad quosdam vetustiores ejusdem veritatis testes ; quibus addendi sunt *Origenes, Dionys. Alex., Methodius, Alexander Alex., Athanasius, Eusebius, Basilius, Greg. Naz.*, penes quos (referente Petavio l. V, c. 15) expressa *Dei genitricis* appellatio frequentatur. — Imo ab ipsa ætate apostolica *aequivalentia* habemus testimonia, puta *S. Ignatii, Justini, Irenaei, Tertulliani* (ap. Petavium, *l. cit.*, vel Franzelin, th. 37) ; en verba *Ignatii M.* (ep. ad Ephes. n. 18) : « Deus noster J. C. in utero gestatus est a Maria, juxta dispensationem Dei, ex semine quidem Davidis, Spiritu autem Sancto ; qui natus est et baptizatus » etc.

3° *Ratio* invictum argumentum subministrat.— Ex hoc enim dicitur aliqua mulier alicujus mater, quod eum concepit ac genuit. Atqui vere affirmari potest Deum esse conceptum et natum de Virgine. Ergo. *Min. ostend.* Ex quæstione

[1] — Non dicitur Filius Dei natus ex muliere, sed *factus*, ad indicandum principium activum exterius quod est Sp. Sanctus (S. Thom. *ibid.*)

de communicatione idiomatum (Disp. IV) tria hæc facile colligimus : nempe omne nomen significans in concreto naturam aliquam posse supponere pro qualibet hypostasi illius naturæ, idcirco nomen *Deus*, post Incarnationis unionem factam in persona, posse supponere pro hypostasi Verbi subsistentis in humana divinaque natura ; tandem quidquid convenit divinæ humanæve naturæ posse attribui personæ illi sive Dei sive hominis voce significatæ. Atqui, ex una parte, concipi et nasci habent quidem pro *termino formali* naturam *in qua* quis concipitur et nascitur, at veluti *terminum completum* et subsistentem vindicant personam seu subjectum *quod* concipitur et nascitur ; ex altera parte, certum est in conceptionis Christi principio humanitatem fuisse a Verbo assumptam (III, Q. XXXIII, a. 3). Ergo conceptum natumque esse legitime Deo attribuitur, ideoque, etc.

Conf.— 1° Eatenus negari posset B. Virginem esse matrem Dei, quatenus vel humanitas prius tempore fuisset subjecta conceptioni et nativitati quam homo ille fuisset Filius Dei, ut *Photinus* posuit ; vel humanitas non fuisset assumpta in unitatem personæ Verbi divini, ut docuit *Nestorius*. Atqui utrumque erroneum est, prout constat ex dictis (Disp. II, Q. I, a. 2). Ergo.— 2° Non repugnat, imo fide traditum est naturam humanam, post Incarnationem, *vere esse Filii Dei naturam*. Ergo nec major repugnantia est quod Deus propter naturam illam assumptam de Virgine matre natus dicatur (cf. *S. Th.* Opusc. III, Decl. cont. Græcos etc , c. 6).

Conclusio 2ª.— Dignitas et excellentia «Matris Dei» quanta sit, tum absolute tum respective declaratur.

1° *Absolute.*— B. Virgo, utpote Christi genitrix, realem habuit ac modo retinet *maternitatis relationem* ad Filium Dei unigenitum.— Hac de causa ejus dignitas non immerito ad ipsum *ordinem unionis hypostaticae*, qua Deus factus est homo, pertinere censetur ; quod *Cajetanus* (Comm. in II-IIæ, Q. CIII, a. 4 ad 2) æquivalenter expressit : « Sola (B. Virgo) *ad fines deitatis* propria operatione naturali *attigit*, dum Deum concepit, peperit, genuit et lacte proprio pavit ».—Item consequitur maternitatem B. M. Virginis assurgere usque ad *infinitatem*, uti docet *S. Thomas* (1 S. D. XLIV, Q. I, a. 3) : « Dignitas creaturæ, ait, recipit quamdam infinitatem ex infinito cui comparatur, sicut humana natura in quantum est unita Deo, et B. Virgo in quantum est mater Dei... et sic humana natura in Christo nobilissima est, quia per unionem comparatur ad Deum, et post B. Virgo, de cujus utero caro divinitati unita assumpta est ». Hinc *Leo XIII* (encycl.

Quanquam pluries, 1889) : « Certe matris Dei tam in excelso dignitas est, ut *nihil fieri majus* queat ; » sicuti nihil melius Deo, cujus mater est, dari potest.— Amplius colligitur ex mente *D. Thomae*, prout exponitur a Cajet. (l. sup. cit), Mariam esse *consanguineam* Christo seu Deo ut subsistenti in humanitate ideoque *affinitatem* habere cum Deo ut subsistente in divinitate.— Colligitur quoque ex eodem *Angelico* (Serm. fest., serm. 33) B. Virginem novas induisse mirasque *relationes cum Personarum divinarum Trinitate*, nempe cum Patre quocum in eodem Filio communicat, cum Filio cujus dignum facta est habitaculun, cum Sp. Sancto cujus operatione Salvatorem mundi genuit.

2° *Respective.*— *a*) Imprimis excellentia *honoris* et *dignitatis* B. Mariæ tribuenda est præ ipsis Angelis omnibusque justis. Ad rem *D. Thomas* (III, Q. XXX, a. 2 ad 1) : « Mater Dei superior erat angelis quantum ad dignitatem, ad quam divinitus eligebatur[1]». Idcirco *Leo XIII* (encycl. *Augustissimæ Virginis*, 1897) hæc eloquitur : « Eam ab æterno ordinavit ut Mater Verbi fieret humanam carnem assumpturi ; ideoque inter omnia, quæ essent in triplici ordine naturæ, gratiæ gloriæque pulcherrima, ita distinxit, ut merito eidem Ecclesia verba illa tribuerit : *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*[2]».— *b*) Præterea excellentiam quamdam *juris* et *potestatis*, cui Christus secundum humanam naturam aliqualiter[3] saltem fuerit subjectus, liquet in Dei matre esse agnoscendam ex Luc. (II, 51) : *Et erat subditus illis.* Sane cum *Leo XIII* (encycl. *Quanquam pluries*) doceat quod « Verbum Dei Josepho modeste subesset, dictoque esset obediens, omnemque adhiberet honorem, quem liberi adhibeant parenti suo necesse est », id non impari motivo de Virgine-Matre intelligendum est. Unde legitur (encycl. *Octobri mense*, 1891) : « Talem facto suo Jesus Christus ostendit, quum Mariæ subesse et obtemperare ut matri filius sponte voluit.» —*c*) Addunt theologi B. Mariæ *dominium* competere in universum *mundum*, cujus et domina et regina prædicatur. Verba referam *S. Alph. de Ligor.* (Glor. Mar., P. I, c. I, 1) : « Si Christus est Rex universi, Maria etiam totius universi est regina, teste *Ruperto* abbate : Regina cœlorum, totum jure possidens Filii regnum[4]. Et *S. Bernardinus* ait :

[1] — Cf. S. Th. Opusc. VIII, *Exp. in Sal. Ang.*

[2] — Eccli. XXIV, 5.

[3] — Dico *aliqualiter*, quod est, *de facto* et secundum obsequium *spontaneae* voluntatis ; nam repugnare videtur quod homo-Christus, super omnes creaturas elevatus, creaturæ *stricto jure* subjacuerit.

[4] — In Cant. l. III.

Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini, quot serviunt Trinitati ; omnes nempe creaturæ, sive Angeli, sive homines et omnia quæ sunt in cœlo et in terra, quia omnia sunt divino imperio subjugata, gloriosæ Virgini sunt subjecta[1]».

Concludamus igitur titulo *Matris Dei*, præter quem Scripturæ pauca admodum de Maria efferunt, mire contineri totam Virginis gloriam, omnium privilegiorum et gratiarum fontem, omnium laudum et elogiorum epitomen[2].

Solv. obj.— Obj. 1.— Christus dicitur Deus secundum divinam naturam. Atqui divina natura non accepit initium essendi ex Virgine. Ergo.

Resp. *D. M* :... præcise qua est Deus, *C* ; qua est Deus incarnatus, *N*. — *D. m* :... nec Deus subsistere incœpit in humana natura, *N* ; ex Virgine corpus traxit in quo subsisteret, *C*.— *Neg. conseq.*

Tria notentur.— 1° Ut mulier vere *mater* alicujus dicatur, necesse non est ut totum quod in ipso est, ex se conferat, sed sufficit ex ea *corpus* sumi, prouti patet in generatione hominis, non animâ, sed carne tantum ex matre prodeuntis ; in Christo autem corpus realiter ex B. Virgine processit[3]. — 2° Nec ad salvandam Virginis maternitatem requiritur ut ipsa unionem hypostaticam effecerit, sed in hoc situm fuit nobile ejus ministerium quod suppeditando materiam naturæ humanæ, hanc ad assumptionem veluti deferret.— 3° Plane congruit formula *D. Thomae* (a. 4 ad 2) : « Virgo dicitur mater Dei, non quia sit mater Divinitatis, sed quia personæ habentis divinitatem et humanitatem est mater secundum humanitatem ».

Obj. 2.— Nomen *Deus* communiter prædicatur de Patre, Filio et Sp. Sancto. Atqui B. Virgo non nominatur mater neque Patris neque Sp. Sancti. Ergo.

Resp. *D. M* :... quin tamen quandoque supponat pro una persona tantum, *N* ; et quandoque ad hunc sensum determinatum trahitur, v. g. cum dicitur « B. Virgo est mater Dei » supponit pro sola persona Filii incarnata, *C*.— *C. m*.— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Maternitas et filiatio sunt duo correlativa. Atqui in Christo non datur filiatio temporalis realis, sed rationis tantum. Ergo.

Resp. *D. M* :... quatenus maternitati filiatio utcumque respondeat necesse est, *C* ; quasi hæc filiatio semper sit realis,

[1] — Pro Fest. V. M., S. 5, c. 6.
[2] — Cf. Contenson, *Theol. mentis et cordis*, l. X, Diss. VI ,c. 2, spec. 2.
[3] — S. Thom. Opusc. II, *Compend. theol.*, c. 222.

N.— D. m :... quia suppositum increatum, homo-Deus, non est capax realis relationis ad creaturam, *C ;* nec Christus realiter est filius Mariæ, *N.— Neg. conseq.*

1° Discrimen est inter nativitatem et filiationem quod illa, importans quoddam fieri (unde ponitur in prædicamento *passionis*), attribuitur tum personæ *quae* nascitur, tum naturæ *secundum quam* nascitur ; hæc vero, scil. filiatio, supponens rem factam ac completam (quam refert ad aliam, prout est in prædicamento *relationis*), directe respicit solam personam. Porro omnis relatio quæ de Deo dicitur ex tempore et per habitudinem ad creaturas, propter eminentiam divini esse, rationis est tantum, non realis[1]. Itaque, licet nativitas temporalis realiter possit tribui Christo, temporalis tamen filiatio nequit in eo esse realis.— 2° Attamen id minime vetat quominus vere realiterque Christus asseratur filius Mariæ, quandoquidem realiter corpus a Virgine-matre sortitus est (vid. Q. XXXV, a. 5).

QUÆSTIO QUINTA

DE SUMMA B. VIRGINIS PERFECTIONE

Perfectio hominis, qua homo est et præstat animantibus, duplex recensetur, nempe *intellectualis* et *moralis :* sub utroque adspectu de perfectione Matris Dei in duobus sequentibus articulis sermocinabimur.

ARTICULUS I.

Quanta fuerit B. M. Virginis sapientia.

Sapientia B. Virginis considerari potest vel quoad *cognitionis perfectionem*, vel quoad *acquisitionis modum :* unde duarum conclusionum materia exponenda offertur.

Conclusio 1ª. — V. MARIA DITISSIMO COGNITIONUM SUPERNATURALIUM THESAURO ORNATA FUIT, TAMEN PRO TEMPORIS ET STATUS INDOLE AC PROGRESSU.— Dico *cognitionum supernaturalium ;* nam non est cur Virgini scientiam pure naturalem concedamus ampliorem ea quæ ad fidei notitiam agendive rationem expediret.

1ª *Pars* nititur testimonio ipso Ecclesiæ (encycl. *Adjutricem populi*, 1895) Deiparam salutantis ceu *sapientiae divinae Sedem.*

[1] — Cf. tract. *de Deo*, Disp. III, Q. III, a. 4.

Et vere 1° præeminentia sapientiæ summaque sacrarum doctrinarum ubertas apprime congruebat matri Ejus qui est Dei Verbum Deique sapientia.— Item 2° fidei scientiæque divinæ perfectio intime connectitur cum sanctitate, qua B. Virginem secundum altissimum gradum in terris floruisse mox demonstrabimus : siquidem quo melius Deus divinaque percipiuntur, eo pluris æstimantur majorique caritatis fervore diligi possunt.— Quare 3° *Suarez* (Disp. XIX, S. 1), Patrum sententiis innixus, concludit B. Virginem in Dei cognitione ita profecisse ut Apostolos et theologos omnes superaverit. *a*) Id a vero minime dissonare convincit *Leo XIII* (*Encycl. cit.*), dum ait de Virgine quod fuerit « verissime mater Ecclesiæ atque magistra et *regina Apostolorum*, quibus largita etiam est de divinis oraculis quæ *conservabat in corde suo.*» *b*) Nec ferme aliud significat præclara illa appellatio qua penes Patres ipsamque Ecclesiam B. Maria nuncupatur, sci . *omnium haeresum interemptrix ;* quippe hoc accipiendum est non solum quatenus Auctorem veritatis genuerit sanctisque doctoribus sit singulis ætatibus opitulata, verum etiam quod initio præcipua fidei magistra extiterit ipsosque Apostolos, Evangelii præcones, instruxerit.

2ª *Pars* vix ulla declaratione eget : siquidem, quanquam decebat B. Virginem a principio mysteria fidei quoad substantiam explicite cognoscere, erat quoque humani progressus evolutioni consentaneum ut, quemadmodum in gratia , ita et in sapientia pro tempore et conditione sua proficeret.

Conclusio 2ª.—MULTIS MODIS B. VIRGO LAUDEM SAPIENTIALEM CONSECUTA EST, NEMPE FIDE DONISQUE INFUSIS, REVELATIONE AC ILLUMINATIONE, CHRISTI COLLOQUIIS, LECTIONE, MEDITATIONE, EXPERIENTIA.— Singula raptim lustremus.

1° Nemo negaverit quin Deipara *fidem* perfectissimam *donaque* omnia, gratiæ sanctificanti inseparabiliter sociata, auctore Deo acceperit.— 2° *a*) Quidquid sit de ejus raptu seu elevatione transitoria usque ad intuendum divinam essentiam (quod interdum contigisse pie credi potest), pro certo habendum est ex doctrina Patrum (ap. *Suarez, l. cit.* S. 4) eam sæpe in vita, ab ipsis pueritiæ annis in templo transactis, Angelorum vocibus ac *revelationibus* honestatam fuisse. *b*) Atque verisimile est mentem ejus ita fuisse supernis *illustrationibus* perfusam ut ipsam scientiam theologicam cum variis conclusionibus in ea contentis miro Dei influxu addisceret.— 3° Cœterum nemo non videt quantum lucis, sapientiæ, consilii, B. Virgo, aptissimo intellectu instructa totisque viribus intenta, ex diuturna *conversatione cum Filio*

Dei mutuari potuerit. Nec omittendum quod plures sentiunt, ipsam a Christo jam cœlis potito frequenter ante mortem invisam fuisse.— 4° In apertis est B. Virginem etiam in sapientia crevisse ex assidua *lectione* ac *meditatione* SS. Scripturarum divinorumque mysteriorum contemplatione ; quod his verbis testificatur *Orig nes* (Hom. 6 in Luc.) : « Habebat legis scientiam, et Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat[1].» — 5° Tandem Matri Dei suppetebat personalis *experientia* tum *externa* tum *interna*, qua multos effectus, aliis inexploratos, visibiles ac invisibiles perciperet, pluriumque notitiam, Deo præsertim illuminante, certissimam colligeret.

ARTICULUS II.

Quantus fuerit B. Virginis in sanctitate profectus.

Gratia, qua constat vel fulget sanctitas, alia est *gratum faciens*, alia *gratis data ;* gratia quoque gratum faciens spectari potest vel *in se* vel *in virtutibus* quorum est radix. Hæ distinctiones opportunitatem præbent trium conclusionum.

Conclusio 1ª. — B. VIRGINIS GRATIA ULTRA CALCULUM CREVIT TUM EX OPERE OPERANTIS, TUM EX OPERE OPERATO.— *Praenotandum* est quod « anima, quantum plus recipit de bonitate divina et lumine gratiæ ipsius, tanto capacior efficitur ad recipiendum, et ideo quanto plus recipit, tanto plus potest recipere » (1 S. D. XVII, Q. II, a. 4 in sol.) ad instar fluminis cujus alveus crescentibus undis dilatatur.

1ª *Pars ostend.* — Gratia *ex opere operantis* augetur per modum meriti. Atqui merita B. M. V. perfectissima ac abundantissima fuerunt. Ergo. *Min. prob :* excellentia meritorum ex tribus dependet, nempe ex bonitate substantiali operum, ex perfectione motivi seu caritatis, et ex frequentia actuum. *a*) Porro *imprimis* B. Virgo utriusque *vitae*, tum *contemplativae*, tum *activae*, perfectionem [2] assecuta est : quippe et altissimæ contemplationi, nullis unquam passionum motibus impeditæ, operam dedit, et nobilissima opera exercuit circa Dei cultum, Christum educandum, et nascentem Ecclesiam. *b*) *Secundo*, quanta fuerit ejus, qua ducebatur in singulis actionibus, *caritatis* excellentia, satis colligitur tum ex gratiæ plenitudine quam initio acceperat tum ex singulari ejus

[1] — Cl. Patrizi (*de Evang.* l. III, diss. 11) varia V. T. loca collegit, quæ B. Virgo in memoria habuisse videtur quando canticum *Magnificat* protulit.
[2] — Cf. II-IIæ, Qq. CLXXIX-CLXXXII.

conjunctione cum amoris Fonte, scil. Christo ; unde illud Angeli (Luc I, 28) : *Dominus tecum*. c) *Tertio*, B. Maria, cum singulos actus suos in Deum ordinaret, *singulis* quoque novum gratiæ augmentum meruit, eoque perfectius quo frequentiores ac flagrantiores divini amoris affectus totam ejus vitam veluti incendebant, pervadebant, sublimabant.

2ª *Pars decl.* — « Quod B. Virgo magnum gratiæ augmentum *ex opere operato* fuerit consecuta, dubitari non potest, quia non fuit pejoris conditionis quam alii justi, nec sacramenta fuerunt in illa minus efficacia ; imo, eo quidem magis quo meliori dispositione illis utebatur » (*Suarez*, Disp. XVIII, S. 3, n. 1). Theologi ut certum tradunt Mariam suscepisse *Baptismum* et *Eucharistiam*, et hanc quidem frequentissime, prout mos erat apud fideles primitivæ Ecclesiæ (Act. II).

Conclusio 2ª. — Beata Virgo virtutes summo gradu coluit.

1° « Quamvis in evangelica narratione non multa de Deiparæ virtutibus scripta inveniamus, attamen, per hoc quod Maria prædicatur *plena gratiâ*[1], eam omnes virtutes, et quidem in gradu heroïco, habuisse sufficienter edocemur » (S. Alph. Lig., *Glor. Mar.* P. II, *de Virt. Mariae*).— Sane virtutes infusæ ex gratia veluti e radice prodeunt, ita ut, crescente meritis gratia, virtutes eadem proportione augeantur necesse est : ergo, pro jugi summaque meritorum Virginis progressione, maxima itidem virtutum perfectio in ea agnoscenda est.— Præclare *S. Alphonsus* (*l. cit.*) de singulis Mariæ virtutibus edisserit, scil. de mirifica ejus *humilitate*, de ejus *caritate* ardentissima in Deum et proximum, de ejus *fide* et *spe* inconcussa, de ejus *castitate*, *paupertate*, *obedientia*, de ejus *patientia* ac *orationis spiritu*.

2° Huc pertinent quæ *Leo XIII* solita styli elegantia *de Rosario Mariali* scripsit (encycl. *Magnae Dei Matris*, 1892) : « Ne ad exempla quæ Christus, homo idemque Deus, de se exhibet sane quam maxima, nativæ nos imbecillitatis conscientia absterriti deficiamus, una cum mysteriis ejus mysteria Matris sanctissimæ habemus oculis mentis ad contemplandum oblata.— E regia Davidis stirpe est ea quidem progenita, cui tamen nihil jam est reliquum de majorum vel opibus vel amplitudine ; quæ vitam in obscuro agit, humili in oppido, humiliore in tecto, recessu ipso et rei familiaris tenuitate eo contenta magis quod liberiore potest animo

[1] — Vid. supra, Disp. VI, Q. I, a. 3.

se tollere ad Deum eidemque summo desideratissimo bono penitus adhærere. Atqui est cum ipsa Dominus, quam complet et beata gratia sua ; ipsaque, allato cœlesti nuntio, designatur, ex qua, virtute agente Sp. Sancti, expectatus ille Servator gentium nostra in humanitate sit proditurus. Celsissimum dignitatis gradum quanto plus ea miratur et muneri tribuit potenti misericordique Deo, tanto se, nullius sibi conscia virtutis, deprimit humilius, seque Dei ancillam, ejus dum fit mater, prompto animo edicit et devovet. Quod autem pollicita sancte est, id alacris sancte præstat, jam tum perpetua cum Jesu filio, ad gaudia, ad lacrimas, communione vitæ instituta. Sic tale fastigium gloriæ, ut nemo alius nec homo nec angelus, obtinebit, quia cum ipsa nemo erit virtutum promeritis conferendus ; sic eam superi et mundani regni manet corona, quod invicta futura sit *regina martyrum ;* sic in cœlesti Dei civitate per æternitatem omnem coronata assidebit ad Filium, quod constanter per omnem vitam, constantissime in Calvaria, redundantem tristitia calicem sit cum illo exhaustura.— Ecce autem in Maria *virtutis omnis* exemplar vere bonus et providens Deus constituit nobis aptissimum » etc.

Conclusio 3ª.— QUANAM RATIONE GRATIÆ GRATIS DATÆ B. VIRGINI COMPETVERINT, BREVITER APERITUR.

Utemur verbis *D. Thomae* (Q. XXVII, a. 5 ad 3) : « Non est dubitandum, ait, quin B. Virgo acceperit *excellenter* donum sapientiæ, et gratiam virtutum et etiam gratiam prophetiæ, non tamen accepit ut haberet omnes usus harum et similium gratiarum sicut habuit Christus, sed *secundum quod conveniebat conditioni ipsius.*— *a*) *Sapientiae* enim usum habuit in contemplando, secundum illud (Luc. II, 19) : *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo ;* non autem habuit usum sapientiæ quantum ad docendum (i. e. publice, siquidem haud excluditur instructio familiaris), quia hoc non conveniebat sexui muliebri, secundum illud (1 Tim. II, 12) : *Docere autem mulieri non permitto.*— *b*) *Miraculorum* autem usus ei non competebat, *dum viveret,* quia tunc temporis confirmanda erat doctrina Christi miraculis. Et ideo soli Christo, et ejus discipulis, qui erant bajuli doctrinæ Christi, conveniebat miracula facere. Propter quod etiam de Joan. Baptista dicitur (Joan. X, 41) quod *signum fecit nullum,* ut scil. omnes Christo intenderent.—*c*) Usum autem *prophetiae* habuit, ut patet in Cantico quod fecit : *Magnificat anima mea Dominum,* etc. (Luc. I, 46 sqq.).»

QUÆSTIO SEXTA

DE ASSUMPTIONE ET GLORIA B. M. VIRGINIS

Præsentis instituti non est historiam Virginis Mariæ contexere singulaque ad eam spectantia commemorare : idcirco, pro theologorum dogmaticorum more, statim pergimus ad ea quibus Matris Dei terrestre curriculum absolutum æterneque coronatum est, nempe ad ejus *assumptionem* (art. 1) et cœlestem *gloriam* (art. 2).

ARTICULUS I.

Utrum B. Virgo paulo post mortem surrexerit et assumpta in coelum fuerit.

1° Præsupponimus uti certum B. V. Mariam *mortem* obiisse :— *a*) quod imprimis persuadetur ex lege generali qua *statutum est hominibus semel mori* (Heb. IX, 27), quin ullus sit *qui vivet et non videbit mortem* (Ps. LXXXVIII, 49).— *b*) Sane, quanquam olim S. *Epiphanius* (Hær. 78, n. 11) de ea re dubitaverit, communis tamen est *Ecclesiae sensus*, tum *Liturgiae* (Miss. Assumpt. in secreta), tum *Patrum* scriptorumve antiquorum (Andr. Cretens., Joan. Damasc.,) etc., tum *Doctorum* (S. Thom., Suarez, S. Alph. etc.) sententiis significatus, B. Virginem non fuisse exemptam a mortis lege. — *c*) Id autem congruentiâ non caret ; siquidem decebat ut Dei mater Filio insonti, pro nobis emortuo, in hoc ipso debito naturæ persolvendo conformaretur.

2° Præscindimus a disquisitione anni et *loci*[1] quo Deipara obierit ; de quibus incertitudo eruditorum aciem exercet.— Unum cum *Suarezio* (Disp. XXI, S. 1, n. 3-4) subjiciendum volumus, vid. quod B. Virgo non tam ex morbo corporali quam *vi divini amoris* vehementisque desiderii rerum cœlestium mortem sustinuerit ; quippe fieri potest ut mens tanta efficacia et intensione in his actibus occupetur ut corpus, veluti destitutum, deficiat et impotens fiat retinendæ animæ.

3° Quæstio est num Virgo Maria, paulo post mortem, surrexerit et non solum animâ (Virginis enim animam, mox ubi a corpore discessit, beatam fuisse liquidissime constat), verum etiam corpore ad cœlum migraverit : quod *Novatores quidam* negasse feruntur.

[1] — Num *Ephesi*, num *Jerosolymis* (quod probabilius dicunt), acriter disputatur.

Conclusio.— TENENDUM EST B. MARIAM ANIMA CORPOREQUE FUISSE IN CŒLUM ASSUMPTAM.— Id quidém nec solemniter ab Ecclesia definitum, nec sufficienter *uti dogma* ordinario magisterio propositum habetur ; unde non est de fide ; at ex Suarezio, Melch. Cano aliisque *Benedictus XIV* (de Festis B. M. V. c. VIII, n. 18) ita certam hanc sententiam affirmat, ut qui eam negaverit *temeritatis summae* sit notandus.

1° Arg. probabile sumitur ex verbis *Leonis XIII* (encycl. *Jucunda semper*, 1894), ubi de Virgine ait: « Cumulato perpetuoque munere causam nostram exoratura est, ad sæculum immortale progressa. Scil. ex lacrymosa valle in civitatem sanctam Jerusalem evectam suspicimus, choris circumfusis angelicis ; colimusque in Sanctorum gloria sublimem, quæ *stellanti diademate* a Filio Dei aucta, apud ipsum *sedet* regina et domina universorum » : quæ postrema sententia obvio sensu gloriam *corpoream* designat.

2° Scripturae nullus est decretorius textus ad corpoream Virginis assumptionem adstruendam ; plures tamen (Damasc., S. Thom., S. Alph. etc.) huic proposito accommodant illud (Ps. CXXXI, 8) : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae ;* quasi his verbis prænuntietur resurrectio gloriosa Christi et ejus Matris, quæ fuit Arca N. L. — Nonnulli eidem veritati suadendæ adaptant promissum Christi (Joan. XII, 26) : *Ubi sum ego, illic et minister meus erit ;* cum enim B. Virgo officio prorsus singulari Christo ministraverit, in ea jam promissio illa per assumptionem ipsius corporis completa reputatur.

3° Potior probatio ex *traditione* ducitur :— *a*) quam primum accipimus ex *usu liturgico*. Festum enim *Assumptionis*, universe nunc celebratum, ab ipsa antiquitate[1] ortum repetit. Porro non solum secundum animam, sed et secundum *corpus* assumptionem celebrari colligitur ex *sacramentario S. Greg. M.*,[2] ex *Joan. Damasc.* orat. 2 de *Dormitione B. Mariae* quam Ecclesia breviarii lectionibus inseruit, necnon ex *assumptionis* voce neutiquam adhibita uni animarum gloriæ designandæ.— *b*) Probe scimus nonnullos fuisse veteres qui de assumptione corporea Virginis dubitarent, forte ob apocryphas quasdam fabulas circa B. Mariæ obitum sparsas ; at gravissimi *Patres* et scriptores tum græci tum latini[3] senten-

[1] — Benedict. XIV, *op.* et *l. cit.* n. 29.

[2] — In *Miss. Assumpt.* occurrit hæc oratio : «Veneranda nobis, Domine, hujus est diei festivitas in qua S. Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen *mortis nexibus* deprimi potuit, quæ Filium tuum de se genuit incarnatum.»

[3] — Vid. Passaglia, *De imm. Deiparae Conc.*, P. III, S. VI, c. VI, a. 1 ; ubi eruditus auctor testium agmen producit a Modesto Hierosolymitano (sæc. VII) inter Græcos et Gregorio Turonensi (sæc. VI) inter Latinos inde porro.

tiam affirmativam expresse tradunt, e quibus audiatur *Greg. Turonensis* (Mirac. l. I, *de gloria martyrum*, c. 4) : « Dominus, inquit, susceptum Virginis corpus sacratissimum in paradisum deferri jussit, ubi nunc resumpta anima cum electis ejus exsultans æternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur.» *Joan. Damasc.* (*loc. cit.*) plures circa mortem et resurrectionem Deiparæ refert circumstantias, traditione acceptas ; ex quibus manifeste colligitur suasionem de assumpta in corpore Virgine jam saltem sæculo V obtinuisse, quasi a veteribus transmissam. Antiquiora nonnulla citantur testimonia, puta *Athanasii*, *Augustini*, etc., quorum tamen genuinitas a criticis aut negatur aut in dubium vocatur.— *c*) Communis hæc est *scholarum* doctrina a media ætate ad nostra usque descendens tempora ; ait *D. Thomas* (4 S. D. XII, Q. I, a. 3, sol. 3) : « Quidam (sunt) in *plena* participatione beatitudinis ; et hoc est corpus Christi, quod jam surrexit, sicut ipse Christus, et *B. Virgo*, et hi significantur per partem in calice missam, quia illi inebriantur ab ubertate domus Dei.» Cf. III, Q. XXVII, a. 1.— *d*) Demum, in utraque, tum Occidentali tum Orientali Ecclesia, *sensus* tum *pastorum*, tum *fidelium*, id ipsum confirmat[1].

4° Succurrunt pleræque *rationes* convenientiæ.— *a*) Enimvero novimus prædestinationem B. Virginis fuisse *praedestinationi Christi intime connexam ;* nec ullum ferme est Christi mysterium in quo non habeat Matrem sibi peculiariter sociatam. Atqui mors est velut vitæ resonantia vel echo. Igitur decebat ut in finali exitu ac triumpho Maria Filio per assumptionem conjunctissima maneret.— *b*) Amplius, corruptio corporis post mortem *poena* est peccati. Atqui Maria immaculata neque actualis, neque etiam originalis peccati labem incurrit. Ergo etc ; hanc rationem profert D. *Thomas* (*Exp. in Salut. Ang.*) : « Tertia (pœna) fuit communis viris et mulieribus, scil. ut in pulverem reverterentur. Et ab hoc immunis fuit B. Virgo, quia cum corpore assumpta est in cœlum. Credimus enim quod post mortem resuscitata fuerit, et portata in cœlum.» — *c*) Præterea, per Incarnationem hæc Virginis ad Christum habitudo constituta est ut, Filio Dei in ejus alvum recepto, caro Mariæ *Jesu caro* quodammodo evaderet. Atqui sacrosancta caro Jesu, citra omnem

[1] — Fere bis centum patres *Conc. Vaticani* postularunt ut assumptio corporea B. M. V. solemniter definiretur. Inter alia, dicebant : «Nisi firmissima Ecclesiæ fides quoad B. Virginis assumptionem dici velit levis nimis credulitas, quod vel cogitare impium est, procul dubio eam a traditione divino-apostolica, i. e. a revelatione ortum habere firmissime tenendum » (Collect. Lac. VII, 868 ; ap. C. Pesch, de B. V. M.).

corruptionis nævum, resurrectionis et ascensionis gloriam brevi consecuta est. Ergo et caro Virginis etc.— *d*) Rursus, Christus passione sua triumphum de morte exaltationemque promeruit : ergo et B. Virgo, merito *compassionis* in cruce, assumptionem post Filium sibi comparasse censenda est.— *c*) Tandem (uno verbo dicam) gloria corporeæ assumptionis Deiparam apprime decebat, ne quidpiam ejus gratiarum et privilegiorum *plenitudini* deesset[1].

Mirum igitur non est quod nusquam terrarum ulla pars virginei corporis Mariæ fidelium venerationi proposita habeatur.[2]

ARTICULUS II.

Quanta sit gloria Deiparae in coelis.

Gloria cœlitum ita distingui solet ut una *essentialis*, altera vero *accidentalis* dicatur.— *Essentialiter* sumpta, beatitudo reponitur in actuali divinæ essentiæ contemplatione, quam amor, delectatio vel quietatio in Summo Bono quasi proprietas essentialis consequitur, eaque ex animæ conjuntione cum corpore glorioso majorem perfectionem obtinet. Ad hanc essentialem gloriam animæ Christo desponsatæ tres veluti *dotes* per modum ornatuum ac dispositionum concurrunt, nempe dos *visionis* seu gloriæ lumen disponens ad videndum, dos *comprehensionis* seu idem lumen prout viam parat Deo possidendo, dos *fruitionis* seu habitus charitatis patriæ (cf. I-IIæ, Q. IV ; Suppl. Q. XCV).— Gloria *accidentalis* ex iis constare intelligitur quæ, quamvis non sint de necessitate beatitudinis, eam tamen quadantenus perficiunt, cujusmodi sunt quædam revelationes et gaudia, aureolæ, peculiaris corporis decor et bona externa.

Conclusio 1ª.— GLORIA ESSENTIALIS B. M. VIRGINIS GLORIAM OMNIUM BEATORUM, SIVE HOMINUM, SIVE ANGELORUM, LONGISSIME EXCEDIT.

1° *Prob. concl :— a*) *auctoritate.* S. *Thomas* commentans Ps. XLIV, 11, *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato*, ait : « Potest exponi totum hoc de B. Virgine, quæ regina et mater regis est, quæ astat super omnes choros in vestitu deaurato, i. e. deaurata divinitate ; non quod sit

[1] — Vid. plura egregie exposita ab Aug. Nicolas in op., *La Vierge Marie d'après l'Evangile*, ch. 22.

[2] — Cf. Renaudin, *La définibilité de l'Assomption de la très sainte Vierge*, 1902.

Deus, sed quia est mater Dei.» — Præclara sunt verba *S. Anselmi* (De excel. Virg. M. c. 8) : « Quid amplius dicere possum, Domina ? immensitatem quippe gratiæ et gloriæ et felicitatis tuæ considerare incipienti, et sensus deficit et lingua fatiscit » Et *S. Bernardus* (Serm. 1 in Assumpt. n. 4) : « Quantum *gratiae* in terris adepta est *prae coeteris*, tantum et in cœlis obtinet *gloriae singularis*... Felix plane Maria, et multipliciter felix, sive cum excipit Salvatorem, sive cum a Salvatore suscipitur.» Plures omitto (ut *S. Ephr.*, *S. Andr. Cret.*, *S. Pet. Dam.*, *B. Alb. Magn.* etc.) qui docent Mariam, ceu solem inter astra, *incomparabiliter* reliquos sanctos gloriâ antecellere[1].

b) *Ratione.* Gloria cœlestis cum perfectioni gratiæ, tum quoque quantitati meritorum commensuratur, secundum illud (Rom. II, 6) : *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Atqui, sicuti plenitudine gratiæ, ita et meritorum prægrandi ac indefinito progressu usque ad consummatam sanctitatem B. Virgo eminuit. Ergo.—*Arg. conf.* ex *D. Thoma* (Serm. 58 in Assumpt.) : « Fuit exaltata super choros angelorum et super omnes sanctos, nec mirum si est exaltata sicut angeli, patriarchæ, etc ; *a*) habuit enim meritum *angelorum*, angelice vivendo. *Hieronymus :* In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Idem : Virginitas soror est angelorum. *b*) Habuit etiam meritum *prophetae*, prophetando. Luc. I : *Beatam me dicent omnes generationes ;* vidit enim spiritu prophetico, et prophetavit quod debebat beatificari ab omnibus gentibus, et quod omnes gentes debebant recipere Filium Dei et suum. *c*) Habuit meritum *apostolorum* et *evangelistarum*, docendo. Multa enim scripta sunt et prædicata, quæ non potuerunt sancti nisi per revelationem ejus scire, sicut de ingressu angeli in conceptione, et aliis pluribus. *d*) Habuit meritum *martyris*, mortem crucis cum Filio patiendo. Luc II : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. e*) Habuit meritum *confessorum*, devote Dominum confitendo. Luc. I : *Magnificat anima mea Dominum. f*) Habuit meritum *virginum*, inchoando virginitatem et conservando. Luc. I : *Ingressus est angelus Gabriel ad Mariam Virginem.* Et sicut habuit meritum *omnium* et *amplius*, ita congruum fuit ut super omnes ponatur.»

2° *Decl. concl :*— Quod enim ad *intensivam* gloriæ Marianæ perfectionem attinet, B. Virgo clarius Deum resque in Deo videt, ferventius eum diligit, abundantius eo fruitur

[1] — Cf. Suarez, Disp. XVIII, S. 4 et Disp. XXI, S. 3 ; — S. Alph. Lig. *Glor. Mar.*, Disc. VIII, P. 2.

quam quilibet sanctus.— Quantum ad perfectionem *extensivam*, *a*) non solum pro objecto beatificæ visionis habet quæ sunt omnibus beatis communia, ut mysteria fidei rerumque naturalium genera et species ; *b*) at quoque *multo plura* attingit tum *possibilia*, tum *realia* : siquidem quanto intensius supremam omnium causam, nempe Deum, perscrutatur, tanto plures effectus pluraque scibilia inibi contenta deprehendit, ita ut ad extrema usque veritatis confinia quodammodo pertingat.

Conclusio 2ª.— ETIAM GLORIA ACCIDENTALIS B. M. VIRGINIS PRÆCELLENTISSIMUM GRADUM SIBI VINDICAT.

Inductione procedamus.— 1° Cum Maria in Redemptionis opere Christi adjutrix sit mundique regina, quidquid ad hominum salutem in utroque ordine naturæ et gratiæ utcumque referatur, id contueri censenda est, vel in Verbo, vel extra Verbum, quatenus pro opportunitate sui ministerii varias *revelationes* de contingentibus ac liberis a Christo accipiat (cf. Suppl. Q. XCII, a. 3) ; ex quibus profecto nova *gaudia* enascuntur.

2° Non immerito ei tribuuntur, quadamtenus saltem, tres *aureolae*, scil. *Virginum*, *Doctorum*, ac *Martyrum*, correspondentes tribus hominum statibus, in quibus maxime contra carnem, diabolum et mundum decertatur (Suppl. Q. XCVI). Hæ enim aureolæ sunt accidentalia ac privilegiata quædam præmia seu gaudia de operibus excellentioribus, acceptis secundum *genus operum* et victoriam de tribus præcipuis hostibus reportatam. Porro ex superius dictis compertum habemus Dei Matrem fuisse et intemeratum virginitatis florem, et præcipuam fidei magistram (saltem privatam) ; imo nec ei defuit corona *martyrii eminenter*[1] sumpti, in quantum pœnas pro Christo-Filio et una cum illo martyrum principe toleravit ipsa morte acerbiores.

3° Nihil dubii est quin *corpus* Deiparæ, præter communes corporum gloriosorum dotes, peculiari quodam ac *ineffabili splendore* refulgeat ; ad quod significandum sequentia Scripturæ verba usurpari solent (Apoc. XII, 1) : *Signum magnum apparuit in coelo : Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.*

4° Prædictis adjungenda sunt *bona externa* quibus B. Virgo excellenter fruitur : scil. *honor* et *laus* tum in electo-

[1] — Intellige *eminenter-virtualiter ;* nam ad martyrium *formaliter* acceptum *S. Thomas* (II-IIæ, Q. CXXIV, a. 4) *mortem* requirit ; unde sibi objectis quibusdam sententiis, puta *Hieronymi :* « Recte dixerim quod Dei genitrix virgo et martyr fuit, quamvis in pace vitam finiverit,» respondet has auctoritates aliasque similes loqui de martyrio per similitudinem.

rum societate, tum in militante Ecclesia, ei impensa, juxta textum allegoricum qui de ea canitur : *Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israël, tu honorificentia populi nostri* (Judith. XV, 10) ; imperium seu *principatus*, quo potitur ex Dei favore in universas creaturas ; etc., etc.

QUÆSTIO SEPTIMA

DE MEDIATIONE B. M. VIRGINIS

Sermonem de gratiis ac privilegiis Dei Matris, quantum sinebant instituti nostri limites, absolvimus ; proximum est ut *officia* ei *erga homines* maternitatis titulo devoluta disquiramus, quæ communi *mediationis* voce significantur.

Hoc quidem sublime munus ita B. Virgo exercuit ut « quæ sacramenti humanæ redemptionis patrandi administra fuerat, eadem gratiæ ex illo in omne tempus derivandæ esset pariter administra, permissa ei pene immensa potestate » (Leo XIII, encycl. *Adjutricem populi*, 1895). Quocirca Mediatrix nostra opportune spectabitur primo ut *Coredemptrix* (art. 1), dein ut efficax in dispensandis gratiis *Conciliatrix* art. 2).

ARTICULUS I.

Utrum B. Virgo cooperata sit humanae redemptioni.

In quæstionis limine cavendum ne confusio fiat ; quæritur enim, non an B. Virgo fuerit causa *efficiens immediata* gratiæ et redemptionis nostræ (quod solius Dei ac Christi est), sed utrum aliqualiter, saltem mediate, vel morali modo, humanæ sit redemptioni cooperata.

Conclusio. — VIRGO DEIPARA ABSQUE DUBIO COOPERATA EST REDEMPTIONI HUMANI GENERIS, ITA UT JURE « COREDEMPTRIX » NUNCUPETUR ; — id tum generaliter tum specialiter manifestum fiet.

Prob. generaliter.

Et 1° « certissime, ait *Leo XIII* (encycl. *Fidentem piumque*, 1896), perfecti Conciliatoris nomen et partes alii nulli conveniunt quam Christo, quippe qui unus, homo idem et Deus, humanum genus summo Patri in gratiam restituerit... At vero si *nihil prohibet*, ut docet Angelicus (III, Q. XXVI, a. 1), *aliquos alios secundum quid dici mediatores*... cujus-

modi sunt angeli sanctique cælites, prophetæ et utriusque Testamenti sacerdotes, profecto ejusdem gloriæ decus Virgini excelsæ cumulatius convenit. Nemo etenim unus cogitari quidem potest qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa operam vel unquam contulerit vel aliquando sit collaturus.» — 2° Ideo *traditionis* ore celebratur V. M. quasi *origo salutis, renovatio humani figmenti*, salutaris *omnium expiatio, maledicti solutio* et *condemnationis expultrix, veneni medicina, Satanae* et *peccati victrix, communis redemptrix*[1]. — 3° Id congruebat, ut quemadmodum Eva fuerat humani casus principium, ita Maria nostræ reparationis exordium ac causa quadantenus existeret, juxta illud *Innoc. III* (Serm. 2 in Ass.) : « Quod damnavit Eva, salvavit Maria.»

Prob. specialiter.

1° Sane *donando* hominibus *Redemptori* Maria operam dedit : *a*) tum *precibus*, quibus adventum Messiæ inpetravit atque quodammodo acceleravit (S. Alph., *Glor. Mar.*, Disc. III, p. 2) ; *b*) tum *consensu* quem Incarnationi adhibuit ; nam «ipsa ad homines in sempiternum ruentes exitium Servatorem adduxit, jam tum scil. quum pacifici sacramenti nuntium, ab Angelo in terras allatum, admirabili assensu, *loco totius humanae naturae*[2], excepit : ipsa est *de qua natus est Jesus*, vera scil. ejus Mater, ob eamque causam digna et peraccepta *ad Mediatorem Mediatrix* » (Leo XIII, *l. cit.*) ; *c*) tum denique geniti *Filii lactatione* et educatione.

2° Ipsi *perpetrandae Redemptioni* Maria adsociata est. *a*) Quod ita declarat *Leo XIII* (encycl. *Jucunda semper*, 1894) : « Quum se Deo vel ancillam ad matris officium exhibuit vel totam cum Filio in templo devovit, utroque ex facto jam tum *consors* cum eo extitit laboriosæ pro humano genere *expiationis ;* ex quo etiam, in acerbissimis Filii angoribus et cruciamentis maxime animo condoluisse dubitandum non est. Ceterum, præsente ipsa et spectante, divinum illud sacrificium erat conficiendum, cui victimam de se generosa aluerat ; quod in eisdem mysteriis postremum flebiliusque observatur : *stabat juxta crucem Jesu Maria mater ejus*, quæ tacta in nos caritate immensa ut susciperet filios, *Filium ipsa* suum *ultro obtulit* justitiæ divinæ, cum eo *commoriens*[3] corde dolo-

[1] — Ap. Passaglia, *De imm. Deiparae Virg. conc.*, S. VI, c. IV, a. 4.—Cf. Petavium, *de Incarn.*, l. XIV, c. 9.

[2] — S. Th. III, Q. XXX, a. 1.

[3] — Unde Pius X (encycl. *Ad diem illum*, 1904) : « Ex hac, inquit, Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, promeruit illa ut *reparatrix* perditi orbis dignissime fieret ».

ris gladio transfixa[1]».— *b*) Accedit quod Maria, *praesuppositis* jam condignis Christi meritis (quibus nobiscum redempta est), « ipsa *sua merita* (scil. congrua) *Deo* pro salute omnium hominum *obtulit*, et Deus ea ex benevolentia conjunctim cum meritis Christi acceptavit » (S. Alph., Disc. II, p. 1).

3° *Fundandae Ecclesiae* B. Virgo partes non mediocres adhibuit, ac reapse velut Coredemptrix hominum se gessit : « hujus singularis muneris et laboriosi partes ea suscepit obiitque magnanima, consecratis in Cenaculo auspiciis. Christianæ gentis primitias jam tum sanctimonia exempli, auctoritate consilii, solatii suavitate, efficacitate sanctarum precum admirabiliter fovit ; verissime quidem *mater Ecclesiae* atque magistra et regina Apostolorum » etc. (Encycl. *Adjutricem populi*).

ARTICULUS II.

Utrum B. Virgo vices Conciliatricis in procuranda hominum salute impleat.

Redemptio humana spectari potest vel *in se* et absolute, vel relative et secundum actualem meritorum Christi *applicationem*.— Articulo præc. diximus de eo quod Virgo Maria ad hominum salutem absolute inspectam præstiterit ; modo indaganda venit ejus cooperatio in applicandis Redemptionis fructibus : quod quidem facili negotio efficiemus, ostendendo Deiparæ erga homines competere generosæ *matris* affectum divinæque *thesaurariae* potestatem.

Conclusio 1ª. — JURE OPTIMO MARIA VIRGO MATER CHRISTIANORUM, ET QUIDEM AMANTISSIMA, PRÆDICAT R. — Profecto non agitur nisi de maternitate *spirituali* et *analogica*, quæ tamen veræ similitudinis fundamento nititur.

1ª *Pars* 1° suadetur *auctoritate Leonis XIII.* — *a*) Etenim (encycl. *Adjutricem populi*) Mariam matrem esse nostram ex titulo *donationis* legalis sic adstruit : « Eximiæ in nos caritatis Christi mysterium ex eo luculenter proditur, quod moriens Matrem ille suam Joanni discipulo *matrem voluit relictam*, testamento memori : *Ecce filius tuus*[2]. In

[1] — Septem numerantur B. Virginis *dolores* quos Ecclesia festo celebrat, nempe *prophetia Simeonis, fuga in Ægyptum, amissio Jesu* in templo, *conspectus Filii* ad mortem gradientis, *mors* ipsa Christi, *perforatio lateris* a lancea corporisque de Cruce susceptio, demum tanti Filii *sepultura ;* de quibus pie disserit S. Alph. Lig. (*Glor. Mar.*, P. II).— Cf. quoque Aug. Nicolas, *La V. Marie d'après l'Evang.*, ch. XIX : *Marie au pied de la croix.*

[2] — Joan. XIX, 26.

Joanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis, eorum in primis qui sibi ex fide adhærescerent.» — *b*) Id ipsum (encycl. *Quanquam pluries*) ex titulo *generationis* duplici ratione evincitur : « Virgo sanctissima quemadmodum J. Christi genitrix, ita omnium est christianorum mater, quippe quos ad Calvariæ montem *inter supremos* Redemptoris *cruciatus generavit ;* itemque J. Christus tanquam primogenitus est christianorum, qui ei sunt adoptione ac redemptione *fratres* ». — *c*) Unde accipimus tertium maternitatis Mariæ titulum, scil. titulum *spontaneae adoptionis* ex qua nos immenso amore ceu filios fovet (encycl. *Magnae Dei Matris*) : « Quando natura ipsa nomen matris fecit dulcissimum, in eaque exemplar quasi statuit amoris teneri et providentis, lingua quidem haud satis eloqui potest, at probe sentiunt piorum animi quanta in Maria insideat benevolentis actuosæque *caritatis flamma*, in ea nimirum quæ nobis, non humanitus, sed a Christo est mater».

2° *Ratione* conf. proposita veritas ; quia illa mulier, per analogiam, hominum veluti mater habenda est quæ eis præstitit *vitam spiritualem*, hancque vitam jugiter alit ac defendit. Atqui Christi genitrix, pariendo Auctorem gratiæ eumque Deo Patri ad hominum salutem offerendo, causa fuit quamobrem humanum genus vitam supernaturalem consequeretur, atque (ut ait *S. Thom.* III, Q. XXVII, a. 5 ad 1) « quodammodo gratiam ad omnes derivavit ; » quam vitam et gratiam in fidelium cordibus multiplici ac efficaci influxu auget, fovet, tuetur (ut in concl. seq. patebit). Ergo.

2ª *Pars* cursim indicabitur ; quam *S. Alphonsus* (Glor. Mar., c. I, 3) egregie declarat assignans *a priori quatuor motiva* præcipua vehementissimi Mariæ amoris in homines :— 1ᵘᵐ est immensa ejus caritas erga Deum ; nam *hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum* (1 Joan. IV, 21) ; — 2ᵘᵐ est Christi voluntas ac veluti testamentum quo de summo crucis nos ceu filios tantæ matris sollicitudini commisit ; — 3ᵘᵐ est maxima dolorum intensitas, inter quas, Filio compatiens, nos genuit ; — 4ᵘᵐ tandem in eo situm est, quod Maria apprime novit Filium pientissimum ideo sanguinem suum effudisse ut homines a perditionis via revocaret.

Brevitatis causa, prætermittimus argumentum *a posteriori* seu desumptum *ex historia* maternorum beneficiorum quibus B. Virgo summum erga homines amorem, per tot jam sæculorum spatia, tam præclare demonstravit : quis nostrûm non posset grato commotoque animo effari quasi sua *Leonis XIII* verba (encycl. *Magnae Dei Matris*) : « Ejus bonitatis in Nos

beneficentiæque *complura* et *splendida testimonia*, quæ summa cum gratia nec sine lacrimis recordamur, eamdem in nobis pietatem et foverunt amplius et vehementius incendunt» ?

Conclusio 2ª.— B. VIRGO HABENDA EST TANQUAM UNIVERSALIS GRATIARUM DEI THESAURARIA AC DISPENSATRIX ; CUJUS INFLUXUS IN OMNES, ETIAM DESPERATOS, HOMINES EFFICACISSIMUS EST.

Praenotetur a) Mariam dici thesaurariam gratiarum, non ex virtute propria, sed ex divino beneplacito.— *b*) Hoc autem sibi commissum munus exercet per modum *intercessionis*, cui et ipsæ aliorum sanctorum intercessiones subordinantur ; non vero ex se gratiam efficit aut efficere creditur.— *c*) Itaque intercessio Mariæ ad salutem *necessaria* profitenda est, non absolute, sed *hypothetice* et moraliter, seu supposita *lege* quam Deus liberrime in honorem Deiparæ constituit.

1ª *Pars* concl. prob : — 1° *auctoritate Ecclesiae*. *a*) Sic enim loquitur *Leo XIII* (encycl. *Octobri Mense*) : « Ex quo (scil. consensu Virginis in Incarnationem) non minus vere proprieque affirmare licet *nihil prorsus* de permagno illo omnis gratiæ thesauro, quem attulit Dominus, siquidem *gratia et veritas per J. C. facta est* (Joan. I, 17), nihil nobis, *nisi per Mariam*, Deo sic volente , impertiri ; ut, quo modo ad summum Patrem, nisi per Filium, nemo potest accedere, ita fere, nisi per Mariam, accedere nemo possit ad Christum ». — *b*) « Id quoque S. Ecclesia nobis manifestare ostendit (ait *S. Alph.* Disc. II, p. 1), quando divinam Matrem honorat applicando ipsi verba (Eccli. XXIV, 25) : *In me gratia omnis viae et veritatis.* Dicitur *viae*, quia viatoribus omnes gratiæ per Mariam dispensantur ; *veritatis*, quia per Mariam lux veritatis diffunditur. *In me omnis spes vitae et virtutis ; vitae*, quia in terris vitam gratiæ et in cœlis vitam gloriæ per Mariam nos esse adepturos speramus ; *virtutis*, quia per Mariam virtutes acquiruntur, speciatim virtutes theologicæ, quæ sunt Sanctorum virtutes præcipuæ : *Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei* (*ibid.* 24) ; scil. Maria sua intercessione dona divini amoris, sancti timoris, cœlestis lucis et sanctæ fiduciæ servis suis impetrat ». Recole *liturgica* pleraque de Virgine eloquia.

2° *Traditione* sanctorum. — In primis succurrit *S. Ephrem*[1] Mariam ita compellans (Serm. de V. M. laudibus) : « Ave Dei et hominum mediatrix optima. Ave totius terrarum orbis conciliatrix efficacissima... Ave porta cœlorum et

— *Opera omnia*, t. III (ed. Vossii).

scala ascensusque omnium. Ave portarum cœlestis paradisi reseramentum. Ave nostra consolatrix... Ave portus tutissime in hac vita navigantium. Ave animæ nostræ spes fida et optima » etc. Idem *S. Germanus Cptanus* (Or. 2 in Dormit. B. M. V.) : « Nemo est, o sanctissima, qui Dei cognitione repleatur, nisi per te ; nemo est qui salvetur, nisi per te, o Deipara ; nemo qui donum ex misericordia consequatur, nisi per te ». Et *S. Bernardinus Sen.* (Pro fest. B. M. V., S. VI, de Annunc. a. 1, c. 2) : « Omnis gratia quæ huic sæculo communicatur triplicem habet processum. Nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virgine in nos ordinatissime dispensatur ». Consentiunt *SS. Basil. Seleuc.*, *Augustinus*, *Petrus Dam.*, *Bernardus*, etc[1].— Huc spectant verba *Angelici* (Opusc. VIII, *Exp. in Sal. Ang.*) : « Magnum est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia quod sufficit ad salutem multorum ; sed quando haberet tantum quod sufficeret ad salutem *omnium* hominum de mundo, hoc esset maximum, et hoc est in Christo et in *B. Virgine* ».

3° *Ratione*.— *a*) Quoddam enim veluti *praeludium* muneris, quo B. Virgo ad dispensandas gratias condecorata est, perhibetur ex historia evangelica. « Nam et dum privatam in terris vitam egit (Christus), ipsam adscivit *utriusque prodigii administram* quæ tunc primum patravit : alterum *gratiae*, quod ad Mariæ salutationem exultavit infans in utero Elisabeth ; alterum *naturae* quo aquam in vinum convertit ad Canæ nuptias » (Leo XIII, encycl. *Augustissimae Virg. M.*).— *b*) Ex *Deiparae* et *Coredemptricis* titulis plana colligitur congruentia quod B. Virgo in bona Filii ac merita Redemptoris summam quamdam, etsi subalternam, jurisdictionem exerceret. « Revera, ait Leo XIII (encycl. *Supremi Apostolatus*, 1883), primævæ labis expers Virgo, adlecta *Dei Mater*, et hoc ipso servandi hominum generis *consors* facta, tanta apud Filium gratia et potestate valet, ut majorem nec humana nec angelica natura assecuta unquam sit, aut assequi possit ».

4° *Ex praxi* liturgiæ et artis.— *a*) Vix enim fideles ullas ex se Ecclesiæve ore preces ad Deum effundunt quin eis Mariæ invocationem adsocient, ut patet ex *Salutatione Angelica* tam arcte Orationi Dominicæ annexa.— *b*) Similiter *opera artis sacrae*, sculpturæ, picturæ, architecturæ, Deiparam Filio fere inseparabiliter conjunctam exhibent ; quo symbolo non obscure significatur veritas de universalis Mariæ mediatione.

[1] — Cfr. Petavium, *de Incarn.* l. XIV, c. 9.

2ª *Pars* concl. ex eo collustratur quod Maria *scit, vult, potest*, quidquid ex Dei consiliis hominum saluti expediat.— 1° De ejus *scientia* testatur laudatus Pontifex (encyl. *Magnae Dei Matris*) : « Multo illa magis nostra omnia habet cognita et perspecta : quibus ad vitam indigeamus præsidiis, quæ impendeant publice privatim pericula, quibus in angustiis, in malis versemur, quam imprimis sit acris cum acerrimis hostibus de salute animæ dimicatio ; in his autem aliisve asperitatibus vitæ, multo ipsa potest largius, et vehementius exoptat, solatium, robur, auxilia omne genus carissimis filiis afferre.» (Cf. quæst. præc. art. 2).

2° *Salutiferam* Virginis *voluntatem* et misericordiam plura demonstrant.— *a*) *Mater* est hominum affectuosissima : ecquid eis non providebit?— *b*) *Regina misericordiae* traditionis voce appellatur (ap. S. Alph., *Glor. Mar.* P. I, c. 1). Apposite *S. Thomas* (Exp. in sept. Ep. can., præf.) : « Virgo B... quando Filium Dei in utero concepit et postmodum peperit... dimidiam partem regni Dei impetravit, ut ipsa sit *regina misericordiae*, cujus filius est *rex justitiae* ».— *c*) *Eo fine* Mediatrix Deum inter hominesque constituta est ut, Christi justitiam metuentes, ad Matrem benevolam peccatores etiam *desperati* confidentius accederent (cf. encycl. *Octobri Mense*).— *d*) *S. Alphonsus* (*op. cit.* P. I), commentans *Salve regina*, fuse eruditeque, collectis plerisque Patrum et Sanctorum sententiis, maternam B. Virginis clementiam et sollicitudinem maxime erga peccatores describit ; ad quod Alphonsianum opus lectorem remittimus.

3° *Potestas* Mariæ tanta est ut merito *omnipotentia supplex* nuncupetur secundum illum versiculum : « Quod Deus imperio, tu prece, Virgo, potes.» — *a*) Luculenta sunt traditionis suffragia. *Eadmerus*, monachus Cantuar. (De excell. V. M., c. 12) : « Tantummodo velis salutem nostram, clamat ille ad Virginem, et vere nequaquam salvi esse non poterimus ». *S. Petr. Dam.* (in Nativ. B. M., S. 1) : « Nihil tibi impossibile, cui possibile est *desperatos* in spem beatitudinis relevare ». Et *S. Bernard. Sen.* (P. fest. V. M., S. V., de Nativ. c. 6) : « Imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus[1].» — *b*) Ratio tantæ auctoritatis posita est in dignitate *Dei Matris* et *Mediatricis* gratissimæ ; quod perspicue tradit *Leo XIII* (encycl. *Jucunda semper*) : « Eam, ait, *Matrem Dei* invocamus ; ex qua dignitate excelsa quid non *pro nobis peccatoribus* certissime exposcat, quid non speremus in omni

[1] — Id sane intelligendum est, quatenus unum Mariæ desiderium *imperii* efficaciam penes Deum sortitur.

vita et in agone spiritus ultimo? » (*Ibid.* in princ.) : « Quod Mariæ præsidium orando quærimus, hoc sane, tanquam in fundamento, in *munere* nititur *conciliandae* nobis *divinae gratiae*, quo ipsa continenter fungitur apud Deum, dignitate et meritis acceptissima, longeque cœlitibus sanctis omnibus potentiâ *antecellens* ».[1]

[1] — In epistola nuper ad episcopos totius mundi missa (apr. 1921), Emus Card. Mercier notat officium et missam *Mariae mediatricis* jam fuisse tum belgicis tum hispanicis dioecesibus a S. Sede concessa, et id enixis votis exposcit ut tandem dogma *mediationis universalis* B. M. Virginis solemni Ecclesiæ voce proclametur. (Cf. la *Documentation catholique*, 4 juin 1921).

QUÆSTIO OCTAVA

DE CULTU B. VIRGINIS MARIÆ

Extremæ huic quæstioni præfatio detur a *Leone XIII* sic exordiente (encycl. 1892 *de Rosario*) : « Magnae Dei matris amorem et cultum quoties ex occasione liceat excitare in christiano populo et augere, toties Nos mirifica voluptate et lætitia perfundimur, tanquam de ea re quæ non solum per se ipsa præstantissima est multisque modis frugifera, sed etiam cum intimo animi Nostri sensu suavissime concinit. Sancta nimirum erga Mariam pietas, semel ut pæne cum lacte suximus, crescente ætate, succrevit alacris valuitque in animo firmius : eo namque illustrius menti apparebat quanto illa esset et amore et honore digna, quam Deus ipse amavit et dilexit primus,» etc.

Duo tractabimus ; *an* et *qualiter* Maria colenda sit.

ARTICULUS I.

Utrum cultus aliquis sit B. M. Virgini exhibendus.

Tria sub hoc titulo investiganda latent, nempe *legitimitas*, *necessitas* saltem aliqualis, atque *efficacitas* cultus Marialis.

Conclusio 1ª.—Cultus Dei Matris omnino legitimus est.

1° Id plane comperitur ex demonstrata liceitate cultus sanctorum *in genere* (Disp, V, Q. IV). Si enim sanctos quoslibet, *a fortiori* electissimum illum sanctitatis florem honorare fas erit.

2° *a*) Archæologorum studio repertæ sunt *imagines* Deiparæ quæ ad III et II usque sæculum ascendunt[1], quæque non tam artis quam honoris causa depictæ sunt.— *b*) Jam ab antiquitate exstabant *templa* in honorem B. M. Virginis erecta, v. g. tempore Liberii R. P. (sæc. IV) ecclesia *S. Mariae Majoris*.— *c*) Vetustiores *liturgiae* multa ac illustria exhibent cultus Marialis monumenta (ap. Knoll, *de Deo consumm.* S. II, c. III, a. 4, n. 804).— *d*) Inter Patres antiquosque Mariæ præcones eminet *S. Ephrem* qui (*op. cit.*) sæc. IV amplissimis verbis Deiparam celebravit, eam salutando, reverendo, apprecandoque. Consentit sæc. V *S. Basil. Seleuc.*

[1] — De Rossi, *Imagini scelte della B. V. M.* (Roma, 1863).

(Orat. 39) inquiens : « Quis ingentem Deiparæ potentiam non miretur? Quis non miretur quantopere superemineat quotquot honoramus sanctos? » *Damascenus* (De imag. Orat.) cultum Virginis ante se obtinuisse luculenter testatur[1].

3° Quid hoc cultu rationabilius? *a*) Deus ipse, Virginem in matrem eligens, summo eam honore insignivit. *b*) Porro « *matri regis* non debetur æqualis honor honori qui debetur regi ; debetur tamen ei *quidam honor consimilis*, ratione cujusdam excellentiæ » (III, Q. XXV, a. 5 ad 1). *c*) Nec ullus vir cordatus inficiari poterit hominum *Coredemptricem* et *Matrem*, *Dominam* et *Reginam* totius mundi, præcipuam quamdam venerationem, sub Deo et Christo, sibi vindicare.

Conclusio 2ª.— Cultus B. Virginis quodammodo necessarius dici debet.— Dico *quodammodo* necessarius : ubi notetur *a*) necessitatem istam non esse accipiendam quoad eos qui *invincibiliter* Mariam ignorant, sed *b*) quoad illos qui Dei Matrem sibi agnitam aut *contemnunt* aut honorare atque *invocare omnino negligunt*[2]. *c*) Horum enim salus, etsi *absolute* possibilis, *de facto* tamen ac moraliter impossibilis fere videtur.

1° Revera *Ecclesia* non desistit Mariæ cultum instantissime commendare ; quem præ primis urget *Leo XIII* (v. g. encycl. *Adjutricem populi*) : « Mariæ fidendum, Mariæ supplicandum ».— 2° Hoc ipsum infertur ex *Mediationis* officio quod Deus Virgini constituit, juxta verba *S. Bernardi* (Serm. in Nat. B. V. M. n. 7) : « Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur ; quia *sic est voluntas Ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Hæc, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis.»— 3° Hinc sicuti sincera erga Mariam devotio haberi solet tanquam *praedestinationis signum*[3], ita, ex opposito, aversio ab illa quasi sinistrum augurium de perditione prænuntiat ; vere clamat *S. Anselmus* (Orat. 47 ad S. V. M.) : « Nihil sum, inquit, et ad nihilum me venturum scio, nisi

[1] — Cf. Petavium, l. XIV, c. 8-9 ; — Passaglia, *De imm. V. Conc.* passim.

[2] — Non tamen exigitur Mariæ invocatio in *singulis* necessitatibus. « Enim vero quum precando confugimus ad Mariam, ad Matrem misericordiæ confugimus ita in nos affectam, ut qualicumque necessitate, ad immortalis præsertim vitæ adeptionem, premamur, illico nobis et *ultro, ne vocata quidem, præsto sit semper* atque de thesauro largiatur illius gratiæ qua inde ab initio donata est plena copia a Deo » (Encycl. *Magnæ Dei Matris*).— Ipsa certe prima gratia, puta orationis, per Mariam nondum invocatam nobis obvenire merito judicatur.

[3] — S. Alph. Lig., *Glor. Mar.*, P. I, c. VIII, 3.

digneris me adjuvare.» Similia loquuntur, inter alios, *S. Bonaventura*, *S. Antoninus*, necnon *S. Alph. Lig.*, penes quem (*op. cit.* c. VIII, 1) plura magni ponderis testimonia reperire est.

Conclusio 3ª.— CULTUS VIRGINIS DEIPARÆ UBERRIMIS FRUCTIBUS ABUNDAT.

Prob : — 1° *a priori* ex maxima efficacia qua Mariæ mediationem certo pollere superius demonstravimus. — Huc spectant verba *Angelici* (Exp. in Sal. Ang.): « In omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Unde (Cantic. IV) : *Mille clypei*, i. e. remedia contra pericula, *pendent ex ea* etc. Item in omni opere virtutis potes eam habere in adjutorium ».

2° *A posteriori :* quantus enim fuerit atque sit Mariæ influxus *doctrinalis*, *moralis* ac *socialis*, testatur historia, contestatur experientia.

a) *Doctrinalem* quidem Virginis influxum summatim describit *Leo XIII* in suis de Rosario Litteris (præsertim in encycl. *Adjutricem populi*). Ubi docet Mariam non solum *sceptrum orthodoxae fidei* præstitisse, sed et confirmasse ; quatenus fidei per Apostolos diffusio, ejus per Patres Doctoresque expositio ac declaratio, frequens adversus hæreticos propugnatio (v. g. contra Albigenses agente S. Dominico), solemnis dogmatum definitio, unitatis religiosæ constitutio, demum jugis apud fideles veritatis conservatio, magnam pertem (auctore Deo) ex Deiparæ patrocinio repetenda est.— Nec prætereundum quod *objective* se tenet, nempe mysterium *Virginis-Matris* ita esse *Dei-Hominis* mysterio sociatum ut uno corruente, aliud corruat, consistente uno, aliud consistat necesse est.

b) *Moralis* quoque Deiparæ influxus haud impar exercetur secundum rationem causæ *intercessoriae* et *exemplaris*.— Sicuti enim doctores suam sapientiam, ita et sancti, Ecclesiæ duces, pontifices, pastores, ne dicam singulos fideles, virtutem animi, robur, consilium, se a Dei matre accepisse fassi sunt ; inter quos eminet *Leo XIII* inquiens (encycl. *Laetitiae sanctae*) : « Cœlestis Reginæ vox ipsa exaudiri videtur Nos benigne tum erigentis in asperrimis ecclesiæ temporibus, tum consilii copiâ ad instituta communis salutis proposita adjuvantis, tum etiam admonentis ut pietatem omnemque virtutis cultum in christiano populo excitemus. ». — Mariam quasi virtutum omnium exemplar perpetuo habuerunt et imitari conati sunt tum ii qui communem *praeceptorum* implen-

dorum perfectionem prosecuti sunt, tum ii qui sanctiorem vitam secundum evangelica *consilia* instituerunt. Mirandum sane est, quot religiosi cœtus, præeunte Deiparæ nomine ac favore, orti sint et efflorescant !

c) Tandem *socialia* Mariæ beneficia quis enarrabit ? — In ejus similitudinem formata mulier, deque turpi, in qua jacebat, conditione reducta, regenerata est, et per mulierem domestica societas ; Sacræ Familiæ typus ad imitandum propositus ; populus christianus singulari præsidio a Regina mundi protectus, quam ideo « catholicæ gentes christianorum Auxiliatricem, Opiferam, Solatricem, bellorum Potentem, Victricem Paciferam consalutarunt » (encycl. *Supremi Apostolatus*) ; litteræ, pulchræ artes, ut sculptura, pictura, Mariali cultu afflatæ, ditatæ, nobilitatæ ; etc., etc.— Reliqua bene multa silentio præterimus[1].

ARTICULUS II.

Quinam cultus Mariae impertiendus est.

Frequens est in Protestantium ore calumnia, quod catholici Mariæ Virgini cultum impendunt latreuticum seu *mariolatriam* quamdam Deo injuriosam exercent. Illorum quidem non pauci ideo cultum Mariæ veluti illicitum aut exaggeratum traducunt, quia Christum, non quasi Hominem-Deum, sed quasi hominem Deo conjunctum considerant, cujus mater nequit proprie dici Dei Genitrix.

Propositum est duo breviter adstruere, scil. *speciem* cultus Marialis, necnon elementa seu rationes quibus in sua specie *constituitur* vel *integratur*.

Conclusio 1ª.— B. Virgini Mariæ debetur, non adoratio latriæ, sed hyperduliæ veneratio (III, Q. XXV, a. 5).

1ª *Pars* ostend.— Etenim adoratio latriæ aut est absoluta, aut relativa. Atqui neutra Mariæ debetur : ergo. *a*) Non latria *absoluta :* siquidem hæc, ut patet, soli Deo convenit ; Deipara vero, quantumvis naturæ gratiæque muneribus perfecta, pura creatura est. *b*) Non latria *relativa* (qualis exhibetur Cruci) : quæ enim creatura secundum se venerabilis est, eam non expedit colere cultu latreutico relativo seu ut imaginem Dei, ne occasio creaturam, qua talem, adorandi præbeatur. Atqui creatura rationalis, secus ac creaturæ in-

[1] — Cf. Aug. Nicolas, *Marie vivant dans l'Eglise.*

sensibiles, maximeque Dei genitrix *secundum se* venerabilis est. Ergo.

2ª *Pars* uno verbo expeditur : nam *hyperdulia* theologico usu nuncupatur honor duliæ præstitus eminentiori objecto, reliqua excedenti. Atqui B. Virgo, utpote Mater Dei, maximam sane propriissimamque dignitatem præ cunctis creaturis sibi vindicat. Ergo.

Conclusio 2ª.— FACTA DISTINCTIONE INTER DEVOTIONEM IMPERFECTAM ET PERFECTAM ERGA B. V. MARIAM, QUOD UTRAQUE FERAT VEL EXIGAT DETERMINATUR.

Devotio erga B. V. Mariam duplex est, imperfecta et perfecta : *imperfecta* quidem, si nonnulla sincera obsequia, aliis tamen haud mediocribus neglectis, B. Virgini impendat ; *perfecta* vero, si cuncta vel pleraque Dei Matri grata vel honorifica exhibeat.

1ª *Pars* esto de devotione *imperfecta* (quæ cum *falsa*[1] non est confundenda).— 1° Devotio imperfecta vel inchoata id saltem exigit, nempe ut quis *veneratione affectuque* internum mentis et cordis obsequium B. Virgini deferat ; ex quo externæ quædam interni animi significationes certis ritibus vel precandi formulis promantur.— 2° Etiam *peccatores*, quos ipsa hortatur Ecclesia ut Mariam invocent tanquam *refugium peccatorum*, devotionem illam habere ac exerere possunt, dummodo tamen vere ac sincere compescendis suis vitiis vires intendant ad eumque finem Deiparæ patrocinium implorent.

2ª *Pars* sequitur de devotione *perfecta ;* quæ tribus constare videtur, scil. cultu *honoris*, *imitationis* ac *invocationis*[2].

[1] — B. Grignon de Montfort, *Traité de la vraie dévotion à la Ste Vierge* (1 P., II, 1°), in septem classes distribuit falsos cultores Mariæ, recensens « les dévots *critiques*, qui ne croient rien et critiquent tout ; les dévots *scrupuleux*, qui craignent d'être trop dévots à la Ste Vierge, par respect pour J.-C. ; les dévots *extérieurs*, qui font consister toute leur dévotion en des pratiques extérieures ; les dévots *présomptueux*, qui, sous prétexte de leur fausse dévotion à la Ste Vierge, croupissent dans leurs péchés ; les dévots *inconstants*, qui par légèreté, changent leurs pratiques de dévotion, ou les quittent tout à fait à la moindre tentation ; les dévots *hypocrites*, qui se mettent des confréries et portent les livrées de la Ste Vierge afin de passer pour bons ; et enfin les dévots *intéressés*, qui n'ont recours à la Ste Vierge que pour être délivrés des maux du corps ou obtenir des biens temporels ».

[2] — Juxta B. Grignon de Montfort (*op. cit.*), perfecta illa devotio hoc assequi debet ut quis se totum Mariæ devoveat ; unde per Mariam Deo offeratur. Haec quidem totalis sui oblatio immediate facta Mariæ et per Mariam Christo nihil habet quod non adamussim consonet officio *Mediatricis apud Mediatorem*.

1° *a*) Ad *honoris* cultum pertinet quidquid mentis, oris, vel operis, tale sit quod summam Dei Genitricis excellentiam, bonitatem, potentiam, commendet : v. g. ejus privilegia meditari, laudes celebrare, templa vel imagines frequentare, consociationes ingredi, etc.

b) Cultus *imitationis*, ut patet, in eo est quod Mariæ virtutes (omnibus enim omnium ætatum ac conditionum hominibus aptissimum se præbet exemplar) imitari studeamus ; nam « eam oculis et cogitatione intuentes, non animos, quasi divini Numinis fulgore perstricti, despondemus, sed ex ipsa allecti communis propinquitate naturæ, fidentius ad imitationem enitimur. Cui studio si nos, ea maxime adjuvante, totos dediderimus, licebit profecto virtutis tantæ sanctitatisque lineamenta saltem exprimere » (encycl. *Magnae Dei Matris*).

c) Succedit cultus *invocationis* (cui maxime Protestantes adversantur).— Ad hunc cultum suadendum referuntur quæ supra (Disp. V, Q. IV, a. 2) de *invocatione sanctorum* generatim disputavimus. Explicite vero Mariam invocarunt aut invocandam docuerunt non solum Doctores moderni, sed et *antiqui Patres* et *scriptores*, puta *S. Irenaeus* (cont. Hær. l. V, c. 19), *S. Ephrem* (Serm. de V. M. laud. et Or. ad SS. Dei Genit.)[1], *S. Gregorius Naz.* (Orat XXIV, n. 11), *S. Proclus* (Orat. 6), etc., etc.— Sane, ostensum est Mariam esse Mediatricem nostram apud Deum ideoque pro nobis intercedere ; quod plures e Protestantibus concedunt. Jamvero ex illo posito aliud sponte consequitur, scil. quod congruit B. Virginem rogare ut nobis præstet suæ mediationis beneficium. Nec enim hoc dignitatem Christi offuscat, sed magis illustrat : siquidem *a*) potestatem invocatæ Virginis quasi irradiationem potestatis Christi et Dei agnoscimus ; *b*) petimus ab ea ut ipsa nobis Christi gratiam deprecetur ; *c*) vis autem petitionis nostræ fructus est meritorum Christi Mediatoris.

[1] — Libet initium vetustæ illius ac locupletissimæ *orationis* (*Op. omn.*, t. III) recitare : « Immaculata et intemerata, incorrupta et prorsus pudica atque ab omni sorde ac labe peccati alienissima, Virgo Dei Sponsa ac Domina nostra ; quæ Deum et hominem mundo mirifica ac gloriosa conceptione tua peperisti, Deumque Verbum hominibus miro modo conciliasti et rebellem humani nostri generis naturam cœlestibus consociasti ; unica spes desperantium, oppressorum auxilium, et ad te recurrentium præsentaneum sublevamen, omniumque denique Christianorum firmum præsidium ; me maximum peccatorem enormibusque meis cogitationibus, verbis ac factis effectum vilissimum, atque adeo fallaces voluptatum illecebras animo plane servili atque abjecto amplexatum, ne averseris, obsecro : quin potius, sicut mitissimi ac clementissimi Dei mater es, ita me peccatorem benignissime suscipe » etc.

3° Trinam illam cultus Marialis formam, scil. honorem, imitationem, invocationem, collatam reperimus in *Rosarii* religione, quam Leo XIII iteratis Litteris enixissime inculcavit. *a*) Quod enim Mariæ cultor Rosarii coronam die noctuque secum teneat, res est Deiparæ *perhonorifica*. *b*) Item, quod ille mentem intendat in meditandis mysteriis, quibus vita Christi ejusque SS. Matris expressa continetur, fieri non potest quin cor ad *imitandum* salubria illa exempla mox provocetur. *c*) Tandem (ut passim docet S. Pontifex) nulla est *precandi* formula B. Virgini gratior aptiorque ad demerendum ejus auxilium, quam Rosarium Mariale.

Placet suavem hunc de Maria tractatum claudere verbis Pontificiis (encycl. *Adjutricem populi*) : « Vox valeat nostra, ad extremum spiritum clamans : *Monstra te esse Matrem*[1] ».

[1] — Inter opera polemica recentioris ævi de Immaculata Virg. Maria commendatum volumus jam laudatum opus *Mary, the Mother of Christ*, etc., by R. F. Quigley (2 ed.) ; ubi egregius scriptor non solum dogma Imm. Conceptionis erudite vindicat, sed ulterius cultum Dei Matris, adhibitis etiam Anglicanorum sententiis, solide confirmat, variasque Protestantium objectiones, puta quæ petuntur ex S. A ph. Lig., peremptorie refellit.

DISPUTATIO SEPTIMA

DE INGRESSU CHRISTI IN MUNDUM

Exactis iis quæ ad Christi Matrem pertinent, mox reducimur in Christum ipsum considerandum secundum ea quæ in humana natura sibi unita gessit vel passus est, quæque D. Thomas tam concinnis lucubrationibus descripsit.— Primum de *ingressu* ejus in mundum sermocinabimur. Circa quod quatuor quæstiones declarandæ occurrunt : *prima* de conceptione Christi ; *secunda* de ejus nativitate ; *tertia* de legalibus circa eum servatis ; *quarta* de ejus baptismo.

QUÆSTIO PRIMA

DE CONCEPTIONE CHRISTI

Christi conceptio, pro præsentis quæstionis exigentia, dupliciter spectari potest, nempe vel quoad *materiam* corporis concepti (art. 1), vel quoad conceptionis modum seu *ordinem* (art. 2) ; quandoquidem jam in anteactis disputationibus de principio *activo* conceptionis Christi prolisque conceptæ *perfectione* sufficienter diximus.

ARTICULUS I.

De materia conceptionis Christi hujusque genealogia.

(Q. XXXI)

Titulus ipse satis per se indicat duo sub propositum præsentis articuli cadere, scil. carnalem Christi procreationem ejusque humanam genealogiam ;— quæ summatim tractabimus.

Conclusio 1ª.— CHRISTUS, DE GENERE ADAMICO ORIUNDUS, SPECIALITER DICENDUS EST FILIUS ABRAHÆ ET DAVID ; IN IIS VERO ALIISQUE PATRIBUS FUIT EJUS CORPUS, NON SECUNDUM ALIQUID SIGNATUM, SED SECUNDUM ORIGINEM.— Carnem Chris-

ti, jureque merito, fuisse de *Adamo* sumptam, alibi (Disp. II, Q. III, a. 2) sufficienter patefecimus : reliqua in conclusione enunciata singillatim attingamus.

1° *a*) Multiplici Scripturarum testimonio constat Christum secundum carnem ab Adam descendisse per *Abraham* et *David*. Quid luculentius textu Ap. (Rom. I, 3) : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* ?— Ex quo colligimus *Virg. Mariam*, per quam tantum Christus humanam generationem sortitus est, fuisse de stirpe Davidica.— Id ulterius confirmat communis, quam efferunt, traditio, scil. Joseph, qui erat de tribu Juda et familia David (Matth. I ; Luc. I-II), Mariam uxorem duxisse, propterea quod hæc, utpote hæres, lege tenebatur *agnato* viro nubere[1].

b) Quare vero Christus *filius Abrahæ* et *David* speciatim nominetur, tria evincere videntur : 1um est quod illi Patres, præ aliis, divinas de Christo promissiones acceperunt ;— 2um, quod munere regio, prophetico ac sacerdotali, expressius præfigurarunt Eum qui futurus erat rex, propheta et sacerdos ; — 3um, quia per Abraham primo circumcisum et David manifestissime a Deo electum ostenditur Christum, utriusque filium, in salutem esse et Judæis et Gentilibus (art. 2).

2° Tenendum est (contra *Galatinum* aliosque veteres) corpus Christi non esse formatum ex *designata* incorruptaque *materiæ portione* transfusa successive ab Adam usque ad B. Virginem[2].— *Ratio* est, *a*) quia corpus Christi non refertur ad Adam aliosque patres nisi mediante corpore matris ejus. Porro corpus Deiparæ non fuit in patribus secundum materiam signatam, sicut nec corpora aliorum hominum. *b*) Item materia corporis Christi fuit sanguis B. Virginis ; materiale autem principium sanguinis non provenit a parentibus, sed ex alimentorum transmutatione. *c*) Tandem sequeretur Christum non esse filium David aliorumque majorum, sed solius Adami ; quod falsum est (art. 6).

3° Itaque concludimus Christum fuise in Adam virtualiter et *secundum originem*, quatenus scil. per virtutem generativam Adæ aliorumque patrum factum est ut materia corporis Christi ad conceptum in sinu Virginis *praepararetur*, non tamen *foecundaretur* (quod fuit Sp. Sancti) ; unde dicitur fuisse in Adam secundum *corpulentam substantiam*, non secundum *seminalem rationem* (art. 6 ad 1).— Qua de causa, ex vi et ratione conceptus, peccatum Adæ, seminali

[1] — Cf. Knabenbauer, *Comm.* in Matth. I, p. 41-42.

[2] — Huic errori consonat doctrina Rosminii de Immaculata Conceptione Mariæ (prop. 34a inter propp. damnatas).

ratione propagatum, nullo modo ad Christum devenire debuit (art. 7).

Conclusio 2ª.— Convenienter genealogia Christi ab Evangelistis contexta est.— Hac de re (quæ proprius ad *biblicam* provinciam pertinet) pauca tantum, quasi summa quæstionis lineamenta, proponemus.

1° Uterque evangelista, Matthæus et Lucas, ordinem generationis Christi, *non per Mariam*, sed per putativum patrem, *Joseph*, deducunt. Quod factum videtur triplici ex motivo : *a*) scil. quia non est Scripturarum usus ut mulierum in generationibus ordo texatur ; *b*) quia, cum Maria esset ex familia David viroque propinqua, omnes fere Joseph majores Mariæ quoque ac Christi majores existebant ; *c*) demum, quia, posito vero conjugio inter Mariam et Joseph, hic magis fuit pater Christi quam sit pater adoptans filii adoptati, prolemque conjugis pro *sua* quodammodo habebat[1].

2° Fatendum est Matthæum inter et Lucam apparentes antilogias observari, eamque imprimis quod apud Matthæum (I, 16) Joseph ponitur filius *Jacob*, apud Lucam vero (III, 23) filius *Heli*. Communior responsio est quam ipse *Angelicus* adhibet (art. 3 ad 2), videl. Jacob et Heli fuisse fratres uterinos (ab eadem matre), ita ut ille per patrem a Salomone descenderet, iste vero a Nathan, alio filio David[2]. Cum vero alteruter sine liberis decessisset, ex lege leviratus frater superstes defuncti uxorem duxit, de qua natus est Joseph ; qui idcirco et naturalem et legalem patrem habuit.— Uter vero naturalis pater fuerit, Jacob vel Heli, res est satis dubia quam prosequi et definire nostrum non est.— Cæterum ex plurium sententia colligitur[3] Matthæum recitasse generationem Christi *regiam*, Lucam autem *sacerdotalem*. Unde Matthæus *descendendo* ab Abraham usque ad Joseph generationes enumerat, in Messia veluti demonstrans regiæ potestatis divinarumque promissionum hæredem quo nostra natura suscepta est gratiaque nobis de cœlo allata ; Lucas vero (post baptismum Christi) hujus genealogiam *ascendendo* a Joseph ad Deum usque reducit, quasi volens ostendere nos munere Summi Sacerdotis mundari a peccatis Deoque reconciliari (art. 3, ad 3).

[1] — Cf. Knabenbauer, *l. cit.*
[2] — Id., *Comm.* in Luc. III, p. 170.
[3] — *Ibid.*, pp. 173-175.

ARTICULUS II.

De modo et ordine conceptionis Christi.

(Q. XXXIII)

Quæstio est physiologico-philosophica non parum controversa, utrum statim a fecundationis tempore humanus fœtus rationaliter animetur (quod plerique moderni sentiunt), aut potius ex vi generantis impressa in semine processus embryonis fiat per quasdam formas intermedias usque ad definitivum formationis stadium seu infusionem animæ rationalis (prout Aristoteles et S. Thomas instituerunt).— Quidquid sit de conceptione aliorum hominum[1], ad præsens vindicandum Homini-Deo suscipimus conceptionis modum seu ordinem quem ipsa Incarnationis ratio exigere videtur : tria concludemus.

Conclusio 1ª.— CORPUS CHRISTI FORMATUM SEU ORGANIZATUM FUIT IN PRIMO CONCEPTIONIS INSTANTI (art. 1).— Hanc sententiam *Suarez* (Disp. XI, S. 2), prolatis plurimis auctoritatibus, ita certam esse statuit ut eam negare *temerarium* ac erroneum sit.

Sane, in conceptione corporis Christi tria est considerare : unum *praeambulare*, quod est motus localis sanguinis ad locum generationis ; aliud *principale*, quod est formatio corporis ex tali materia ; tertium *consequens*, scil. augmentum usque ad perfectam quantitatem. Atqui licet primum et tertium aliquod temporis spatium admiserint, ipsa tamen formatio corporis, in qua præcipue conceptio consistit, facta est *in instanti* : quod triplici ratione suadetur. *a*) *Primo*, quia tanto aliquod agens citius potest materiam disponere, quanto majoris virtutis est. Porro principium activum conceptionis Christi fuit agens infinitæ virtutis, scil. ipse Sp. Sanctus. Ergo etc. *b*) *Secundo*, quia juxta verba Symboli, *Qui conceptus est de Sp. Sancto, tota* corporis conceptio Filio Dei attribui debet. Atqui congrum non erat ut divina persona corpus nondum perfecte formatum assumeret. Ergo formatio vel organizatio ista subito, non successive, contigit. *c*) *Tertio* accedit differentia inter conceptionem et augmentum corporis Christi (resp. ad 4). Augmentum enim fetus jam formati fit per ipsius vim augmentativam, formatio vero per vim gene-

[1] — Sententiam thomisticam egregie exponit ac tuetur Illmus Lorenzelli, *Phil. theor. instit., Psych. intell.* P. III, 1. 3 : *De humani foetus animatione.*

rantis. Porro Christi corpus informabatur animâ specie conformi animabus nostris ; unde mirum non est quod, secundum vim illius animæ et in ostensionem veritatis humanæ naturæ, legem ordinarii progressus augmentativi secutum sit. At, ipso Sp. Sancto in viri generantis locum agente, oportuit ut formationis opus statim suam perfectionem assequeretur.

Conclusio 2ª.— In primo eodem conceptionis instanti corpus Christi animatum est anima rationali (art. 2).

1° Id expresse docet *Joan. Damascenus* (Orth. Fid. l. III, c. 2) inquiens : « Simul atque caro exstitit, simul quoque Dei Verbi exstitit caro, simul caro animata, rationis particeps et intelligentiæ ».

2° Hoc ipsum *ratione* evincitur.— *a*) Constat enim ex *Symboli* verbis supra citatis (quibus conceptio de Filio Dei prædicatur) corpus Christi, dum conciperetur, fuisse a Verbo Dei assumptum. Atqui Verbum Dei (uti ostensum est Disp. II, Q. III, a. 5) corpus assumpsit mediante anima, animam vero mediante spiritu seu gradu intellectivo. Ergo.— *b*) Nec obstabat infusioni animæ rationalis *exigua* prorsus *quantitas* embryonis mox formati. Quamvis enim anima requirat in materia cui infunditur debitam quantitatem, hæc non caret aliqua latitudine, intra cujus limites ratio hominis salvari potest. Sufficiens itaque fuit, etsi satis parva, dimensio corporis Christi, cui informando statim ab initio anima rationalis accessit (resp. ad 2).

Conclusio 3ª.— Caro Christi simul concepta est atque a Verbo assumpta (art. 3).— Id *de fide* est, prout eruitur ex *Conc. Ephesino* aliisque Conc. generalibus (ap. Suarez, in Q. VI, Disp. XVI, S. 1).

1° Sane, præter ea quæ jam ex Symbolo (in concl. præc.) observavimus, præsto est Patrum auctoritas, e quibus audiatur magnus *Augustinus* (Cont. serm. Arianorum. c. 8) : « Nec sic assumptus est (hominis filius) ut prius creatus post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur ».— 2° Etenim alibi (Disp. IV, Q. I, a. 3) determinavimus propriam esse hanc propositionem « Deus factus est homo », non autem aliam « homo factus est Deus ; » quod ideo prohibetur, quia id quod est hominis non præexstitit assumptioni quasi per se subsistens.— 3° Si caro Christi fuisset prius concepta quam assumpta, habuisset aliquando aliquam hypostasim præter hypostasim Verbi, et sic aut unio Incarnationis non contigisset in unitate personæ (quod contrariatur fidei), aut destructa fuisset propria carnis hypostasis in assumptione (quod valde inconveniens est). Ergo.

QUÆSTIO SECUNDA

DE NATIVITATE CHRISTI

Jam in asserenda Deiparæ Virginis maternitate nonnulla circa Filii Dei temporalem nativitatem tetigimus ; quibus nunc succedunt considerandæ *circumstantiae* natalium (art. 1) natique Filii *manifestatio*. Hæc vero sub triplici respectu inquirenda est, quatenus dubitatur quibus hominibus (art. 2), per quæ media (art. 3), quove ordine et modo (art. 4) Christum manifestari oportuerit.

ARTICULUS I.

De loco et tempore nativitatis Christi.

(Q. XXXV, aa. 7-8)

Præfari licebit verbis *D. Bernardi* (Vig. Nativ. Dom. Serm. 1) : « Quid annuntiari dulcius poterat? quid delectabilius commendari? Quid tale unquam auditum est, aut quid simile aliquando mundus accepit? *J. C., Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judae* ».— Pro circumstantiis *loci* et *temporis* illorum natalium, a Matth. II et Luc. II enarratis, duo distinctim concludenda erunt.

Conclusio 1.ª— CONVENIENTISSIME CHRISTUS IN BETHLEHEM NASCI VOLUIT.

Dupliciter hoc probabimus, *absolute* et *comparative*.

1° *Absolute.*— *a*) Ex *nominis* congruentia. Apud Hieronymum (ep. ad Eustochium, *Epitaph. matris*) leguntur verba S. Paulæ ingredientis specum Domini : « Salve, Bethlehem, *domus panis*, in qua natus est ille panis qui de cœlo descendit. Salve, Ephrata, regio uberrima atque *fructifera*, cujus fertilitas Deus est. De te quondam Michæas (V, 2) vaticinatus est : *Et tu Bethlehem, domus Ephrata, non minima es in millibus Juda. Ex te mihi egredietur qui sit princeps in Israël.*» — *b*) Ex *indole civitatis*. Christus enim secundum carnem erat ex *semine David*, cui de Messia specialis facta fuerat repromissio. Jamvero David natus erat in Bethlehem (1 Reg. XVI, 18). Itaque, ut ex ipso nativitatis loco persona Messiæ et promissionis impletio ostenderetur, in eadem urbe Christus nasci voluit.

2° *Comparative.*— *a*) Licet enim Christus *Jerusalem* consummandæ suæ missioni elegerit, convenienter tamen Bethlehem ad nascendum prætulit ; nam » per hoc hominum gloriam confutavit qui gloriantur de hoc quod ex civitatibus nobilibus originem ducunt, in quibus etiam præcipue volunt honorari. Christus autem e converso in civitate ignobili nasci voluit, et in civitate nobili pati opprobrium » (art. 7 ad 1). — *b*) Hinc nec *Romam* pro patria elegit, ne transformatio humanæ societatis potestati vel nomini tantæ Urbis, non Deo, tribueretur. At, ut suam demonstraret potestatem et in signum perfectæ victoriæ, in ea civitate, quæ caput mundi erat, caput suæ Ecclesiæ dominanter constituit (resp. ad 3)[1].

Conclusio 2ª.— CHRISTUS CONGRUO ADMODUM TEMPORE NATUS EST.

Prob.— 1° *Generaliter.* Hæc inter Christum aliosque homines existit differentia quod isti nascuntur subjecti necessitati temporis, Christus vero, tanquam omnium temporum dominus, nascendi tempus, sicut et matrem et locum, sibi elegit. Atqui quæ a Deo sunt, ordinata sunt apteque disposita. Ergo.

2° *Specialiter.*— *a*) Sane sub *Augusti regno*, quo totus orbis in pacem compositus unius principis imperio subdebatur, congruebat Eum nasci qui *est pax nostra* (Eph. II, 14) quique suos in unum congregaturus erat ut esset *unum ovile et unus pastor* (Joan. X, 16).— *b*) Pariter decebat Salvatorem nostrum in lucem edi *tempore census*, quo, præcipiente Cæsare Augusto, universus orbis veluti tributarius describeretur : tum ut Romana archivia publico suffragio nativitatem tanti Regis promerent ; tum quia Rex iste, mortalitate ac servitute suscepta, nos erat ad vitam libertatemque reducturus.— *c*) Tandem Christus « asperitatem *hiemis* elegit ad nativitatem, ut ex tunc carnis afflictionem pateretur pro nobis » (art. 8 ad 3).

[1] — Christum eo usque demissionis et humilitatis amorem protulisse ut in *præsepio* natus reclinaretur, fides nos edocet (Luc. II, 7).— Antiqua vero, pluriumque suffulta Patrum testimonio, traditio habet, Puerum-Deum inter *duo animalia*, bovem scil. et asinum, jacuisse (vid. *Suarez*, in Q. XXXV, Disp. XIII, S. 3, n. 10).

ARTICULUS II.

De iis quibus Christi nativitas manifestata est.
(Q. XXXVI, aa. 1-3)

Manifestatio Christi nati primum spectanda venit quoad *eos* quibus facta est ; de qua re duo in dubium vocantur, scil. num *aliquibus tantum* fieri debuerit, numque ii privilegiati testes *convenienter electi* sint.

Conclusio 1ª.— NON OMNIBUS, SED TANTUM QUIBUSDAM, CHRISTI NATIVITATEM MANIFESTARI CONGRUUM FUIT.— Agitur profecto non de manifestatione per intrinsecam visionem mysterii Incarnationis, sed de Christi nati portentosa *attestatione*, qualem pastores et Magi admirati sunt.

1ª *Pars* concl. negativa est, et suadetur triplici ratione : — 1ª est, quia communis manifestatio probabilius prohibuisset humanam *redemptionem* in Cruce peractam, scribente Apostolo (1 Cor. II, 8) : *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.*— 2ª est, quia fulgidis signis de Christo nato omnium oculos percellentibus, plerique forte non tam ex auctoritate Dei quam ex motivis illis externis credidissent : quod aut sustulisset aut certe minuisset fidei meritum.— 3ª est, quia obscuritas pueri fere incogniti, cæterorum puerorum ad instar, favebat demonstrandæ veritati humanitatis Christi.

2ª *Pars* affirmat fuisse conveniens ut *aliquibus* saltem Christi nativitas innotesceret.— 1° Et sane pertinet ad divinæ sapientiæ ordinem ut dona, secreta, consilia, non immediate ad omnes, sed quorumdam ministerio ad alios gradatim deveniant.— 2° Porro *Maria* quidem et *Joseph* jure fuerant de proxima Christi nativitate instructi, unde possent sive in utero sive in præsepio divinæ Proli reverentiam exhibere. At eorum testimonium de Filio, utpote domesticum, non omnem suspicionem effugisset, ideoque oportuit eventum illum aliis extraneis manifestari (art. 2 ad 2).— 3° Nec thesi officit *turbatio* subsecuta ex illa manifestatione : quippe id potius commendabat summam Christi dignitatem et potestatem, quod eo mox nato, terræ rex infernique princeps infremerent (*ibid.* ad 3).

Conclusio 2ª.— CONVENIENTER ELECTI SUNT ILLI QUIBUS CHRISTI NATIVITAS MANIFESTATA EST.

Etenim salus, quæ futura erat per Christum, ad omnem spectabat hominum diversitatem, juxta illud (Coloss. III, 11) : *Non est Gentilis et Judaeus... Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus.* Atqui id in ipso Christianismi ortu optime est præsignatum per hoc quod Christus hominibus omnium conditionum revelatus est :— *a*) innotuit enim Judæis et Gentilibus, scil. pastoribus et Magis ab Oriente[1] profectis. *b*) Illi proximi erant, isti a distanti regione venerunt. *c*) Magi fuerunt sapientes et potentes, pastores vero simplices et viles. *d*) Inter nobilis eventûs testes alii justi erant, scil. Simeon et Anna, alii peccatores, quos, sin Magos, saltem pastores non temere dixeris. *e*) Tandem utrique sexui, ut patet ex eisdem Simeone et Anna, manifestatio præfata contigit[2].

ARTICULUS III.

De mediis per quae nascens Christus innotuit.

(Art. 4-5)

Sub hoc titulo inquirendum proponitur quibus *mediis* seu nuntiis conveniens fuerit Christum electis personis supra memoratis manifestari : de quo argumento unum prævia oratione negabimus, ut via pronior affirmandæ veritati sternatur.

Conclusio 1ª.— NON DECUIT CHRISTUM SUAM PER SEIPSUM NATIVITATEM COMPERTAM FACERE.

Summa ratio est, quia, fide divinitatem humanitatemque Christi simul confitente, oportebat ita Christum natum innotescere, ut demonstratio ejus divinitatis fidei humanitatis non præjudicaret. Atqui hoc factum esse videmus, dum ex una parte Christus a patrandis miraculis abstinens seseque more aliorum infantium gerens, nativitatem infirmitati humanæ similem exhibuit, ex altera vero parte per Dei creaturas divinitatis virtutem in se monstravit. Ergo.— Qua in

[1] — Probabilius est Magos vel ab Arabia (Ubaldi, *Intr. in S. Script.* ed. 3, p. 327) vel a Perside (Fouard, *La Vie, de N. S. J. C ;* Knabenbauer in Math. II) venisse.— Eos fuisse viros probos, nobiles, rerum naturalium sideraliumque peritos, communius conceditur. Num autem reges etiam exstiterint, dubitatur (affirmat Suarez ex plurium sensu in Q. XXXVI, Disp. XIV, S. 2 ; negat Knabenbauer, *l. cit.*)

[2] — « Credibile est (notat *S. Thomas*) etiam in aliis partibus mundi aliqua indicia nativitatis Christi apparuisse, sicut Romæ fluxit oleum, et in Hispania apparuerunt tres soles paulatim in unum coëuntes » (art. 3 ad 3). — Cf *Sylvium* in h. l ; *Suarez* in Q. XXXVI, Disp. XIV, S. 1.

re, nedum ostenderit se frustra scientiam a conceptionis instanti accepisse, maximam e contrario sapientiam declaravit : quid enim sapientius, quod quis congruo tempore lateat, tempore autem congruo se ipsum manifestet, juxta illud (Eccli. XX, 6) : *Est tacens non habens sensum loquelae, et est tacens sciens tempus aptum* (a. 4 ad 2) ?

Conclusio 2ª.— DECENTER CHRISTI NATIVITAS PER ANGELOS ET STELLAM MANIFESTATA EST.

1° Audiatur *Angelicus* graphice, ut assolet, rem exponens (art. 5) : « Sicut manifestatio syllogistica fit per ea quæ sunt magis nota ei cui est aliquid manifestandum, ita manifestatio quæ fit per signa debet fieri per ea quæ sunt familiaria illis quibus manifestatur. Manifestum est autem quod viris justis est familiare et consuetum interiori Sp. Sancti instinctu edoceri absque signorum sensibilium demonstratione, scil. per spiritum prophetiæ. Alii vero, corporalibus rebus dediti, per sensibilia ad intelligibilia adducuntur. Judæi autem consueti erant divina responsa per angelos accipere, per quos etiam legem acceperant, secundum illud (Act. VII, 53) : *Accepistis legem in dispositione Angelorum.* Gentiles vero, et maxime astrologi, consueti sunt stellarum cursus inspicere. Et ideo justis, scil. *Simeoni* et *Annae*, manifestata est Christi nativitas per *interiorem instinctum Sp. Sancti*, secundum illud (Luc. II, 26) : *Responsum acceperat a Sp. S., non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Pastoribus autem et Magis, tanquam rebus corporalibus deditis, manifestata est Christi nativitas per visibiles apparitiones. Et quia nativitas non erat pure terrena, sed quodammodo cœlestis, ideo per signa cœlestia utrisque Christi nativitas revelatur... Rationabiliter autem *pastoribus*, tanquam Judæis, apud quos frequenter factæ sunt apparitiones angelorum, revelata est nativitas Christi per *Angelos ; Magis* autem assuetis in consideratione cœlestium corporum manifestata est per signum *stellae* ».

2° *Qua ratione* signum illud sidereum Magis Christum natum revelaverit, ex duobus colligi potest (resp. ad 4) :— *a*) Primo namque non solum expectatio Messiæ inter Hellenistas gentesque per Orientem, ex Judæorum dispersione, Danielis prophetia, oraculis sibyllinis, etc., sparsa erat (*Kbabenbauer* in Matth. II, p. 83), verum, ut plures sentiunt, vaticinium *Balaam, orietur stella ex Jacob* (Num. XXIV, 17), late diffusum poterat mentes ad agnoscendum in nova stella promissum Regem excitare. *b*) Dein suppetebat *illustratio interna* gratiæ et fidei, juxta illud *S. Leonis M.* (Serm. 34, in

Epiph. IV, c. 3) : « Præter illam stellæ speciem quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit ».

ARTICULUS IV.

De ordine et modo manifestationis Christi.

(Art. 6-8)

Quæ Christi infantiam ejusque manifestationem attinent, sicut et quælibet vitæ Salvatoris mysteria, non sine speciali Dei providentis consilio evenisse credenda sunt. Ea motus ratione, Angelicus Doctor diligenter exquisivit tum *ordinem* diversarum manifestationum Christi, tum *indolem* stellæ Magorum istorumque itineris religiosi.

Conclusio 1ª.— CHRISTI NATIVITAS CONVENIENTI ORDINE MANIFESTATA EST.

Enim vero hæc manifestatio ita facta est, ut primo et ipsa nativitatis nocte *pastores* ad Christum natum convocaret (Luc. II) ; secundo, ut ad eumdem Christum adorandum *Magos* appelleret, qui (probabiliter) advenerunt circa tertiam decimam diem nativitatis, quo tempore festum Epiphaniæ celebratur[1] ; tertio, ut quadragesimo die a nativitate *Simeonis* et *Annae* animos præsentiâ pueri in templo oblati lætificaret. Jamvero ordo ille trium manifestationum conveniens fuisse deprehenditur ex figurali et prophetico significatu *vocationis ad fidem*, quam Apostolus (Rom. XI) primo ad electos Judæos, postea ad plenitudinem gentium, ultimo seu finaliter ad plenitudinem populi Israël pervenientem ostendit. Nam « per pastores significantur Apostoli et alii credentes ex Judæis quibus primo manifestata est fides Christi, inter quos non fuerunt multi *potentes*, nec *multi nobiles* (1 Cor. I, 26). Secundo autem fides Christi pervenit ad plenitudinem gentium quæ est præfigurata per Magos. Tertio autem pervenit ad plenitudinem Judæorum, quæ est præfigurata per justos ; unde et in templo Judæorum est eis Christus manifestatus » (art. 6).

[1] — Hæc opinio de tempore adventus Magorum sua certe probabilitate non caret ; de qua vid. Ubaldi, *Introd. in Sac. Script.*, Vol. I, th. 10.— Contradicunt tamen Cornely (Introd. III, p. 203), Knabenbauer (in Matth. II, p. 72), aliique ponentes Magorum adventum post purificationem B. M. Virginis.

Conclusio 2ª.— PRÆJACTIS QUIBUSDAM CIRCA NATURAM STELLÆ MAGORUM, STATUITUR MAGOS CONGRUE AD CHRISTUM ADORANDUM VENISSE.

1ª *Pars* de natura *stellae* decl.— Et 1° licet non omnibus constet stellam istam in Oriente visam Magos per totum iter ceu comitem duxisse (quod plures præsertim recentiores negant), pro certo habendum est eam, ad aliquem eventum signandum specialiter ordinatam, non fuisse de stellis communiter apparentibus, sed quidpiam miraculosum secum tulisse.— 2° *a*) Celebris est Kepleri sententia de *conjunctione planetarum* quam ipse, sicuti tempore suo, ita et tempore nativitatis Christi accidisse doctis calculis reputavit ; ex quo Magorum attentio excitari potuit. At (fatente ipso Keplero, ap. *Knabenbauer* in Matth. II, p. 85-86) hypothesis illa de se sufficiens ad propositum dici nequit nisi adjuncta supponatur *stella* quæ primo in Oriente mire apparuerit, et rursus, se in aërem vicinum terræ demittens, *steterit* supra ubi erat puer (Matth. II, 9). *b*) Satius est, juxta communem traditionis sensum[1], stellam intelligere *divinitus formatam*, nempe phænomenon stellæ simile docileque divinæ voluntati, prouti tradit *S. Augustinus* (Cont. Faustum, l. II, c. 5) : « Non ex illis erat hæc stellis, quæ ab initio creaturæ itinerum suorum ordinem sub Creatoris lege custodiunt ; sed novo Virginis partu *novum sidus* apparuit.»

2ª *Pars* concl. suadetur triplici ex capite.— 1° Ex *motivo* impellente et finali Magorum. *a*) Ipse enim *Sp. Sanctus* Magos, quasi primitiàs gentium in Christum credentium, efficaci inspiratione fidei et devotionis impulit ad debitam reverentiam Salvatori exhibendam[2]. *b*) Illi autem, divinæ voci obsequentes, non *regem* terrenum colendum quæsierunt, sed *coelestem*, in quo adorando se salutem, quæ secundum Deum est, consecuturos minime dubitarunt.— 2° Ex Magorum *processu*. Divino enim nutu factum est quod Magi, deficiente stellæ adspectu, Regem natum inquirerent in Jerusalem : tum ut in civitate regia primo Christi nativitas publice annuntiaretur ; tum ut Judæi suum testimonium de Messia nascituro *in Bethlehem Judae* (Matth. II, 4) perhiberent, similes fabris arcæ Noë qui aliis, ubi evaderent, præstiterunt,

[1] — Hunc sequitur Fouard, *La vie de N. S. J. C.*, t. I, app. IV.

[2] — « Une étoile qui ne paraissait qu'aux yeux n'était pas capable d'attirer les mages au Roi nouveau-né ; il fallait que l'étoile de Jacob, et la *lumière du Christ* se fût levée dans leur cœur. A la présence du signe qu'il leur donnait au dehors, Dieu les toucha au dedans par cette inspiration dont Jésus a dit : *Nul ne peut venir à moi si mon Père ne le tire* » (Bossuet, *Elévations à Dieu sur tous les mystères*, XVIIe Sem., 2e Elév.).

at diluvio perierunt, aut lapidibus milliariis qui viam ostendunt, nec ambulant.— 3° Ex *muneribus* adorando Christo oblatis. Communis enim sententia est (*Knabenbauer*, in Matth. II, p. 93-94) Magos adoratione latriæ puerulum esse prosecutos, ideoque ei obtulisse *aurum* quasi supremo Regi ; *thus*, pertinens ad divina sacrificia, quasi vero Deo ; *myrrham* vero, in honorandis defunctorum corporibus adhibitam, quasi Victimæ pro nobis morituræ[1].

QUÆSTIO TERTIA

DE LEGALIBUS CIRCA PUERUM JESUM SERVATIS

Legalia circa Jesum impleta ad duo reduci possunt, scil. ad circumcisionem cum nominis impositione (art. 1) et ad oblationem in templo (art. 2).

ARTICULUS I.

De Christi circumcisione et nominatione.

(Q. XXXVII, aa. 1-2)

Mos erat apud Judæos, ex Abrahæ exemplo (Gen. XVII) ortus, ut ipso *circumcisionis* die *nomina* pueris imponerentur, quasi hactenus perfectum esse non habuissent ; quod et nunc in baptismo observatur.— De utroque Legis dispositu in ordine ad Christum sub uno articulo opportune dissertabitur.

Conclusio 1ª.— OMNINO DECUIT UT PUER CHRISTUS CIRCUMCIDERETUR.

1° Factum ipsum *fide* certificatur (Luc. II, 21) : *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer*, etc.— At, cum satis constet Hominem-Deum, etsi moralibus nonnullisque positivis sui Patris præceptis subjectum, *haud* tamen *fuisse legi* puris hominibus præscriptæ *obnoxium* (art. 4), inquirendum restat num et quare circumcisio in eo conveniens fuerit.

2° Igitur dico pluribus de causis Christum debuisse circumcidi :— *a*) *Primo*, ut ostenderet contra Manichæum aliosque hæreticos veritatem humani sui terrenique corporis ;— *b*) *secundo*, ut approbaret circumcisionis ritum, quem Deus

[1] — De *morali* horum munerum interpretatione, prout fidelium interest, cf. S. Thom. Opusc. LIX, *de Humanitate J. C. D. N.*, c. 7.

olim in signum initi fœderis cum suo populo instituerat ;— *c*) *tertio*, ut suaderet se esse de genere Abrahæ qui primus circumcisionem susceperat quasi signaculum justitiæ et fidei in Christum venturum ; — *d*) *quarto*, ut Judæis, qui forte eum ceu incircumcisum repudiare vellent, excusationem tolleret ; — *e*) *quinto*, ut nobis tum obedientiam in implendis iis quæ nostro tempore præcepta sunt[1], tum humilitatem et mortificationem seu spiritualem circumcisionem suo commendaret exemplo ;— *f*) *sexto*, ut factus in similitudinem carnis peccati, quamvis peccati expers, remedium ac cauterium, quo infecta caro mundari consueverat, non respueret, sed personâ peccatoris veluti indutus jam ab infantia primitias sui sanguinis pro nobis funderet ;— *g*) *septimo*, ut legis onus in se sustinens, alios a legis onere liberaret, secundum illud (Gal. IV, 4-5) : *Misit Deus Filium suum... factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.*

Conclusio 2ª.— CONVENIENTER CHRISTO IMPOSITUM EST NOMEN « JESUS » (Luc. II, 21).— Id quadrupliciter probatur.

1° Ex nominis *auctore*.— Licet enim præfatum nomen conjunctim a B. Virgine (Luc I, 31) et S. Joseph (Matth. I, 25) puerulo divino fuerit impositum, tamen Scriptura etiam tradit illud *de cælo* per Angelum fuisse allatum ideoque divinitus inditum : quod sane requirebat personæ nominandæ dignitas.

2° Ex nominis *proprietate*.— Nomina enim debent rebus nominandis respondere. Unde vel propriam rei naturam designant, ut in generibus et speciebus ; vel, si sint nomina singularium hominum, imponuntur ab aliqua speciali circumstantia, puta temporis, cognationis, eventus, qualitatis ; nomina autem divinitus imposita semper significant aliquod donum gratuito a Deo collatum, ut patet de Abram quem Deus *Abraham* seu *patrem multarum gentium* appellavit (Gen. XVII, 5) et de Simone qui *Petrus*, quasi Ecclesiæ fundamentum, dictus est (Matth. XVI, 18). Atqui ex una parte hoc Christo gratiæ munus singularissimum contigit ut per ipsum omnes spiritualiter salvarentur ; ex altera parte, nomen *Jesus* idem sonat ac *Salvator* (cf. *Knabenbauer* in Matth. I, p. 62). Ergo.

[1] — Christus circumcisionem suscepit eo tempore quo erat sub præcepto ; at sublata per ejus passionem vetustate primi hominis, cujus spoliationem figurabat ritus ille, jam a morte Christi legalis circumcisio amplius non permittitur, prout definivit *Conc. Florent.* sub Eugenio IV (cf. I-IIæ, Q. CIII, a. 4, necnon Cajet. in III, Q. XXXVII, a. 1).

3° Ex nominis *comprehensione.*— Ad illud enim nomen commode reduci possunt omnia Christi nomina, sive metaphorica, sive propria. *a*) *Metaphorica* quidem, ut *pastor, ostium, via ;* quippe hæc aliaque similia eatenus Christo conveniunt quatenus est hominum *Salvator. b*) *Propria* vero, ut Emmanuel, Admirabilis, Princeps pacis, etc ; nam *Emmanuel* (nobiscum Deus) designat causam salutis quæ est unio divinæ humanæque naturæ in persona Verbi, *Admirabilis* significat vere miram ac efficacissimam viam qua salutem assequimur, *Princeps pacis* demonstrat Christum datorem beatitudinis qua salvati homines pacifice fruuntur (art. 2 ad 1) : quæ cunta pertinent ad *Salvatorem.*— Ipsa vox *Christus* non tam proprie Messiæ convenit quam *Jesus*, quandoquidem vi suæ significationis communis est iis qui uncti sunt regali, sacerdotali vel spirituali oleo gratiæ, nec nisi per derivationem antonomasiæ filio Mariæ deputata est.

4° Ex nominis *virtute.*— Est enim appellatio *Jesus*, præ cunctis aliis, suave quiddam, spirans misericordiam animisque sponte ingerens amorem ac fiduciam. Eleganter *S. Thomas* (Opusc. LIX, a. 6) : « Sciendum, ait, quod hoc nomen *Jesus* est magnæ et multæ virtutis. Est enim pœnitentibus in refugium, ægrotantibus in remedium, pugnantibus in subsidium, orantibus in suffragium, quia confert veniam a peccatis, gratiam sanitatis, victoriam tentatis, virtutem et fiduciam impetrandæ salutis. De primo dicitur (1 Joan. II, 12) : *Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus*... De secundo dicitur (Cant. I, 2) : *Oleum effusum nomen tuum.* Oleum enim levamen est doloris, sic et hoc nomen Jesus... De tertio dicitur (Prov. XVIII, 10) : *Turris fortissima nomen Domini*... De quarto dicitur (Joan. XIV, 13) : *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam* ».

ARTICULUS II.

De oblatione Christi in templo.

Certe Christus (ut jam monuimus) nulli observantiæ legali *de jure* subjectus erat, ideoque non magis lege oblationis in templo quam circumcisionis ritu tenebatur.— Quæstio est num debuerit se sinere in templo offerri, reliquorum puerorum ad instar.

Conclusio.— Convenienter Christus in templo a parentibus oblatus est.

1° Etenim apprime decuit Christum sub lege fieri, ut, legis observantias in seipso terminans, *eos qui sub lege erant* redimeret et obedientiæ exemplo fideles instrueret atque ædificaret. Porro de prole genita duplex in lege præceptum vigebat : unum quidem *generale* quoad omnes, ut scil. completis diebus purificationis matris aliquid offerretur tum in sacrificium *expiatorium* peccati in quo proles erat concepta et nata[1], tum in holocaustum veluti prolis *consecratorium* (Lev. XII) ; aliud vero *speciale* de primogenitis (masculis), quæ Deus sibi deputaverat et potissimo jure reservaverat in ejus memoriam quod olim percutiendo primogenita Ægypti pepercerat primogenitis Israël (Ex. XIII) : unde primogeniti hominum (sicut et quorumdam animalium) quinque siclis redimendi erant (Num. XVIII, 15-16). Atqui Christus ex muliere natus erat quasi unus nostrum et promogenitus. Ergo merito recitata præcepta, speciale scil. et commune, circa Christum observata fuisse, Evangelista testatur (Luc. II, 22-24) : *Tulerunt illum in Jerusalem ut sisterent eum Domino* etc., etc.

2° Convenientia oblationis Christi in templo ulterius eruitur ex *speciali significatione mystica.*— *a*) Nam « sicut Filius Dei non propter seipsum factus est homo et circumcisus in carne, sed ut nos per gratiam faceret deos, et ut spiritualiter circumcidamur ; sic *propter nos* sistitur Domino, ut discamus *Deo præsentare nosmetipsos ;* et hoc post circumcisionem ejus factum est ut ostendat neminem, nisi *circumcisum vitiis, dignum esse divinis conspectibus* » (art. 3 ad 2). — *b*) Præterea « Levit. XII præcipitur ut qui possent, agnum pro filio aut filia, simul et turturem sive columbam offerrent ; qui vero non sufficerent ad offerendum agnum, duos turtures vel duos columbarum pullos offerrent. Dominus ergo, qui *cum dives esset, propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus* (2 Cor. VIII, 9), pro se *pauperum hostiam* voluit offerri, sicut et in ipsa nativitate pannis involvitur et reclinatur in præsepio »(*ibid.* ad 4).

QUÆSTIO QUARTA

DE BAPTIZATIONE CHRISTI

Reliqua, quæ infantiam, adolescentiam et vitam Christi attinent usque ad baptismum, proprie spectant sive ad *commentatores* S. Scripturæ sive ad *hagiographos*, ideoque eis de-

[1] — Cf. Cajet. in h. l ; — Suarez in Q. XXXVII, Disp. XVI, S. 1, n. 9.

scribenda linquuntur.— Auctoris vestigia sectando mox properabimus ad *baptizationem* Christi quæ tripliciter considerari potest, nempe vel in *præparatione* per baptismum Joannis (art. 1), vel *in se* suisque circumstantiis (art. 2), vel in cœlestibus *signis* quibus honestata est (art. 3).

ARTICULUS I.

De baptismo Joannis.

(Q. XXXVIII)

Erat baptismus ille non quidem sacramentum, sed « quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi » (art. 1 ad 1) ; unde aliqualiter seu dispositive pertinebat ad Legem Novam.— Præadmissa facti veritate, quam omnes Evangelistæ declarant, totam quæstionem a D. Thoma expositam intra unius articuli limites comprehendemus hoc conclusionum ordine ut primo dicamus de *ipso baptismo* Joannis, secundo de ejus *causa* et *effectu*, tertio de ejus *subjecto*.

Conclusio 1ª.— Conveniens fuit Joannem baptizare.— Agitur de convenientia, non de necessitate.

Hoc quodruplici ratione evincitur : — 1° ut, Christum alios que baptizando, præcursor[1] ritu quodam medio Vetus Testamentum clauderet Novumque aperiret ; unde *S. Thomas* (resp. ad 2) : « Joannes non solum fuit propheta, sed *plus quam propheta* (Matth. XI, 9). Fuit enim terminus legis et initium Evangelii ; » — 2° ut concurrentibus turbis ad baptismum Christum manifestaret, juxta verba ipsius J. B. (Joan. I, 31) : *Ut manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans ;* — 3° ut suo baptismo homines ad Christi baptismum assuefaceret ; — 4° ut, pœnitentiam prædicans, rectas dispositiones ad suscipiendum baptismum Christi induceret.

Conclusio 2ª.— Baptismus Joannis non ita erat a Deo, ut gratiam de se conferre posset (art. 2-3).

1ª *Pars* esto de *auctore* baptismi Johannici : — ubi duo distinguamus oportet, nempe *ritum* baptizandi et baptismi *effectum*.

1° *Ritus*, ut liquet ex Joan. I, 33, non ab hominibus institutus est, sed *a Deo*, qui familiari Sp. Sancti revelatione

[1] — De persona *Præcursoris* ejusque officio, vid. plura apud Suarez, in Q. XXXVIII, Disp. XXIV-XXV.

Joannem ad baptizandum misit.— Huic equidem datum non esse ut *ullum signum faceret*, res est in Scripturis testata (Joan. X, 41) eoque suffulta motivo quod secus homines ex æquo Joanni et Christo attendissent ; at se S. Præcursor suamque divinam missionem satis commendavit tum austeritate vitæ, tum prophetiæ auctoritate (Is. XL, 3) : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini*, etc.

2° *Effectus* illius baptismi fuit *ab homine ;* quippe per eum corpus solum aquâ mundabatur, juxta illud (Matth. III, 11) : *Ego baptizo vos in aqua... ipse vos baptizabit in Sp. Sancto.* Unde baptismus ille dicitur *Joannis*, quasi vim a Joanne derivans.

2ª *Pars* jam facili negotio suadetur.

Etenim tota Joannis doctrina et operatio præparatoria erat ad Christum, eo modo quo ministerium inferioris artificis consistit in præparanda materia ad formam a principali artifice inducendam. Atqui gratia dispensanda erat hominibus per Christum, secundum illud (Joan. I, 17) : *Gratia et veritas per J. C. facta est.* Ergo baptismus Joannis gratiam de se non conferebat, sed solum ad Christi gratiam recipiendam disponebat triplici initiatione, scil. *doctrinali*, *rituali* et *morali*. — Neque asserto nostro contradicit sententia illa (Marc. I, 4) : *Fuit Joannes in deserto baptizans et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, nec etiam altera (Matth. III, 6) : *Baptizabantur... confitentes peccata sua ;* siquidem ex his id unum colligitur, baptismum Joannis fuisse *signum* quoddam *inducens ad pœnitentiam* et protestationem immutationis animi qua baptizati poterant peccatorum veniam consequi.

Conclusio 3ª.— OPORTUIT E JUDÆIS ALIOS PRÆTER CHRISTUM A JOANNE BAPTIZARI, TUM ANTE TUM POST CHRISTI BAPTIZATIONEM, QUIN ILLE PRIMUS BAPTISMUS BAPTISMI CHTISTIANI LOCUM SUPPLERE POSSET (art. 4-6).

1ª *Pars* in compertis est, tum quia secus potuisset dici Joannis baptismum, soli Christo collatum, digniorem esse baptismo Christi quo alii baptizantur; tum quia (ut dictum est) utile erat Judæos ad baptismum Christi prævio ritu disponi.— Dico *Judæos ;* nam aperire *gentilibus* viam salutis Ei reservabatur qui est *exspectatio gentium* (Gen. XLIX, 10).

2ª *Pars* uno verbo suadetur ; quippe baptismus Joannis præparatorius erat non solum ad hoc quod Christus baptiza-

retur, sed etiam ad hoc quod alii ad Christi baptismum accederent : quod nondum fuit impletum, Christo baptizato.

3ª *Pars* denique evincitur Scriptura et ratione : *a*) *Scriptura* quidem ; nam Baptista ait (Marc. I, 8) : *Ego baptizavi vos aqua ; ille vero baptizabit vos Sp. Sancto ;* quibus verbis significatur eosdem illos a Christo fuisse baptizandos. Unde D. Paulus id fieri jussit (Act. XIX). *b*) *Ratione* vero; quia baptismus Joannis neque gratiam neque characterem producere valebat.— Ex quo rationabiliter infertur et *Apostolos* et ipsum *Joan. Baptistam* fuisse baptismo Christi baptizatos[1].

ARTICULUS II.

De baptizatione Christi.

(Q. XXXIX, aa. 1-4)

Venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem ut baptizaretur ab eo (Matth. III, 13).— Quod reapse Christus susceperit baptisma, res est extra omne dubium posita, sed convenientia nunc inquiritur et inspici potest tripliciter, tum quoad *factum* ipsum, tum quoad *tempus*, tum quoad *locum*. Unde tria concludenda occurrunt.

Conclusio 1ª.— Conveniens fuit Christum baptizari, non proprio sed Johannico baptismate (art. 1-2).

1ª *Pars* ex tribus colligitur : — 1° quia sic Christus tactu mundissimæ suæ carnis *aquas sanctificavit*, i. e. destinavit ad sacramentale ministerium Christiani baptismi.— 2° Quia, quamvis ipse non esset peccator, corpus tamen assumpsit de *natura peccatrice* et baptismi lavacro indigente.— 3° Quia voluit *exemplo* externæ ablutionis suadere baptismum gratiæ quem omnibus suscipiendum imperavit.

2ª *Pars* decl.— Etenim primum movens in aliquo genere immobile est secundum illum motum : ergo institutor Christiani baptismatis non erat hoc baptismi genere baptizandus.— Præterea baptismus est quoddam spirituale remedium; quanto autem aliquid perfectius est, tanto minori remedio indiget. Jamvero Christus, ab ipsa conceptione gratiâ repletus, maxima in se perfectione gaudebat, adeoque nequaquam instrumento gratiæ effectivo *propter se* egebat. Igitur remanet ut baptismum initialem Joannis susceperit in aliorum bonum et exemplum.

[1] — Cf. *Sum. th.*, III, Q. LXXII, a. 6, ad 2.

Conclusio 2ª.— CHRISTUS CONGRUE FUIT TRIGESIMO CIRCITER ÆTATIS SUÆ ANNO BAPTIZATUS ; prouti evenisse constat ex Luc. III, 21-23.

Sane 1° Christus manifestatione sui baptismatis publicum docendi agendique munus inauguravit. Atqui, secundum legem communem, ad auspicandum vitæ publicæ munera requiritur *ætas perfecta*, qualis est *triginta* circiter annorum : quod exemplo *Josephi* præsidis Ægypti (Gen. XLI, 46), *Davidis* regis (2 Reg. V, 4), et *Ezechielis* prophetæ (Ezech. I, 1) confirmari potest. Ergo.— 2° « *Utilitas*, quæ a Christo provenit hominibus, præcipue est per fidem et humilitatem ; ad quorum utrumque valet quod Christus in pueritia vel adolescentia non cœpit docere, sed in perfecta ætate. Ad *fidem* quidem, quia per hoc apparet in eo vera natura humanitatis, quod per temporum incrementa corporaliter profecit ; et ne hujusmodi profectus putaretur phantasticus, noluit sapientiam suam vel virtutem manifestare ante perfectam corporis ætatem. Ad *humilitatem* vero, ne ante perfectam ætatem aliquis præsumptuose prælationis gradum et docendi officium assumat » (art. 3 ad 2).

Conclusio 3ª. — CONVENIENTER CHRISTUS ELEGIT BAPTIZARI IN JORDANE.

Ratio est (etsi mystica tantum), quia baptismus Christi quem præsignabat baptismus Joannis, hunc effectum habet ut homines in Dei regnum introducat. Atqui *a*) fluvius Jordanis fuit per quem filii Israël terram promissam, regni Dei figurativam, ingressi sunt ; *b*) Elias quoque pallio divisit aquas Jordanis, quando in curru igneo, quo ignis Sp. Sancti significatur, jamjam erat in cœlum rapiendus (4 Reg. II). Ergo.

ARTICULUS III.

De signis cœlestibus in baptizatione Christi proditis.

(Art. 5-8)

Recensenda supersunt signa seu *prodigia* quæ, teste Evangelio, baptizationem Christi comitata sunt, quæque eam divino veluti charactere sigillarunt : — hæc tria fuerunt, scil. apertio *cælorum*, Sp. Sancti sub specie *columbæ* descensio, et paternæ *vocis* auditio.

Conclusio 1ª.— CONGRUE FACTUM EST UT CHRISTO BAPTIZATO CŒLI APERIRENTUR, PER MODUM INSOLITÆ VISIONIS.

1ª *Pars* de *convenientia* apertionis cælorum tribus persuadetur.— 1° Cum Christus facto recepti baptismi voluerit baptismum nostrum consecrare, ea in illo baptizando demonstrari debuerunt quæ pertinent ad efficaciam baptismi nostri. Atqui hæc tria habentur, nempe *vis principalis* qua baptismus agit, *fides* de divinis, et jus consequens ad *supernam felicitatem ;* quæ tria plane sunt cœlestia seu ad cœlum spectantia. Ergo non immerito significari censentur per *cælos baptizato* Christo *apertos.*— 2° Signanter quoque apertio illa facta refertur Jesu *orante* (Luc. III, 21) : ex una enim parte, homini baptizato necessaria est jugis oratio ad hoc quod cœlum introëat ; ex altera parte, salus per baptismum non parum dependet ex virtute orationis Christi.— 3° Non diffiteor cœlorum aditum nobis reclusum esse per Christi *passionem* velut per causam communem et totalem ; et ideo in ejus *baptismo* cœli aperti describuntur, quia ostendendum erat baptismum esse primum viæ gradum quo, applicatis patientis Christi meritis, homines ad cœlum pergere debent.

2ª *Pars* additur de *modo* quo cœli aperti sunt.— Qua in re tenendum existimamus non reseratione elementorum seu corporum cœlestium ruptura id factum esse, sed *sensibili* quadam et insolita *apparitione*, sive (ut probabilius est) splendor in superiore aëris regione quasi hiatus et cœli apertura visus fuerit, sive in imaginatione Christi species divinitus formatæ sint quibus apertio cœli spiritualis per baptismum designaretur (art. 5 ad 2).

Conclusio 2ª.— Conveniens fuit ut in Christum baptizatum Sp. Sanctus sub specie columbæ descenderet.

1° Concl. evincitur ratione *generali ;* quippe congruum erat Sp. Sanctum sic in Christum visibiliter delabi, non sane ad eum sanctificandum qui jam sanctissimus erat, sed ut postea in omnes baptizatos invisibiliter descendere crederetur.— Licet vero, ad significandum fervorem Apostolorum inter pressuras prædicantium, idem Spiritus in *igneis linguis* apparuerit, merito tamen in *specie columbæ* super Christum baptizatum descendisse refertur ; quod per respectum ad baptismum christianum quadrupliciter ostenditur : *a*) *primo* ex simplicitate columbæ, qua exprimitur cordis sinceritas requisita in baptizatis. *b*) *Secundo* ex columbæ mansuetudine cui datum est ferre « ramum olivæ » ; unde significatur effectus baptismi reconciliantis peccatorem cum Deo. *c*) *Tertio* ex gregali seu amicabili columbæ indole, qua alter baptismi effectus, scil. ecclesiastica unitas, designatur. *d*) *Quartam* rationem repetit *S. Thomas* ex septem columbæ proprietatibus,

quasi significativis septem donorum Sp. Sancti, quæ gratia baptismi secum adducit[1].

2° Concl. *expl.*— *a*) Disputant theologi, num columba, in qua apparuit Sp. Sanctus, fuerit *verum* animal. Post quosdam veteres *affirmat* hic *D. Thomas* (art. 7), tum quia perfacile erat Deo omnipotenti veram columbam formare ; tum quia, sicuti missio visibilis Filii fuit in vero corpore, ita et missio visibilis Sp. Sancti contigisse non incongrue judicatur. Attamen perspicienti differentiam finis inter utramque missionem parum cogens ratio allata videbitur. Unde ipse *Angelicus* (1 S. D. XVI, Q. un., a. 3 ad 3) contrariam sententiam docuerat, quam Cajetanus, Suarez, Billuart, aliique multi sequuntur : satis enim superque erat ad apparitionem mere *repræsentativam imago* corporea columbæ oculis adstantium objecta.— *b*) Atque, quando dicitur Sp. Sanctus visibiliter in Christum descendisse, id intelligendum non est quasi columbam *in unitatem personæ* assumpserit (quod minime requirebatur) ; sed hoc accipitur ratione *repræsentationis*, in quantum scil. columba dotibus suis, puritate, amore, fœcunditate etc., figurabat Sp. Sanctum vel ejus dona, eaque demonstrabat jam tunc fuisse in Christo ac fore dein in animas baptizatorum effundenda.

Conclusio 3ª.— CONVENIENTER, CHRISTO BAPTIZATO, VOX PATRIS FILIUM PROTESTANTIS PERSONUIT, NEMPE « HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, IN QUO MIHI COMPLACUI » (Matth. III, 17).

Dico *a*) *vox Patris ;* quia licet sonus ille a tota sit Trinitate formatus, solus tamen Pater in ea declaratus est ut prolator creatæ vocis et testis Verbi increati.— Dico *b*) quoque *personuit ;* quatenus vox illa fuit sonus realis, omnibus audibilis, prout clare insinuat Scriptura dicens (Luc. III, 22) : *Vox de cœlo facta est.*

[1] — « Columba enim *secus fluenta habitat*, ut inde, viso accipitre, mergat se et evadat : quod pertinet ad donum *sapientiæ*, per quam sancti secus Scripturæ divinæ fluenta resident, ut incursum diaboli evadant.— Item columba *meliora grana eligit* ; quod pertinet ad donum *scientiæ*, qua sancti sententias sanas, quibus pascantur, eligunt.— Item columba *alienos pullos nutrit* ; quod pertinet ad donum *consilii*, quo sancti eos homines, qui fuerunt pulli, i. e. imitatores diaboli, doctrinâ nutriunt et exemplo.— Item columba *non lacerat rostro* ; quod pertinet ad donum *intellectus*, quo sancti bonas sententias lacerando non pervertunt, hæreticorum more.— Item columba *felle caret*, quod pertinet ad donum *pietatis*, per quam sancti ira irrationabili carent.— Item columba *in cavernis petræ nidificat ;* quod pertinet ad donum *fortitudinis*, qua sancti in plagis mortis Christi, qui est petra firma, nidum ponunt, i. e. suum refugium et spem.— Item columba *gemitum pro cantu habet* ; quod pertinet ad donum *timoris*, quo sancti delectantur in gemitu pro peccatis » (art. 6 ad 4).

Conclusionis *ratio* sic assignari potest. In baptismo Christi, quasi exemplari, demonstrari debuit id quod in baptismo nostro perficitur. Atqui baptismus noster consecratur invocatione et virtute Trinitatis (Matth. XXVIII, 19). Ergo, ut in Christo baptizando totius Trinitatis mysterium demonstraretur, congruum fuit, præter Christum baptizatum et Sp. Sanctum in specie columbæ descendentem, Patris personam voce declarari.— *Conf.* hoc ipsum ex art. 8 (ad 3). Scil. decebat Christi *divinitatem*, attestante Patre, in *baptismo* manifestari, tum quia tunc Christus publicum officium exequi auspicabatur, tum quia filii Dei adoptivi ad similitudinem Filii naturalis instituuntur in baptismo cujus Christi baptizatio signum fuit.

DISPUTATIO OCTAVA

DE PROGRESSU CHRISTI IN MUNDO

Sub hoc disputationis capite inquirenda veniunt quæ, a baptismo in Jordane usque ad passionem, publicum Christi ministerium comprehendunt ; ad quæ pertinent tum ejus *exempla* in more vivendi tentationesque propulsandi, tum ejus *doctrina* ac *miracula* sive in genere sive in specie spectata.— Hinc disseremus *primo* de modo conversationis Christi ; *secundo* de ejus tentatione ; *tertio* de ejus doctrina ; *quarto* de ejus miraculis generatim sumptis ; *quinto* de miraculo Transfigurationis.

QUÆSTIO PRIMA

DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI

Christi vita in terris considerari potest aut secundum quod *socialis* fuerit (art. 1), aut secundum *modum* quem *in societate* humana tenuerit (art. 2).

ARTICULUS I.

De conversatione Christi inter homines.

1° Præsupponimus Christum haud duxisse vitam *religiosam*, qualis ex emissione trium votorum, scil. obedientiæ, virginitatis et paupertatis, efflorescit ; ait enim *D. Thomas* (II-IIae, Q. LXXXVII, a. 4 ad 3) : « Christo secundum se non competebat *vovere*, tum quia Deus erat, tum etiam quia, in quantum homo, habebat firmatam voluntatem in bono quasi comprehensor existens ».— At 2° suboriri dubium potest, quid convenientius Christo fuerit, *solitariam* ac eremiticam, aut *socialem* vitam inter homines degere ; cui dubio responsum mox offertur.

Conclusio.— CONGRUE CHRISTUS ELEGIT INTER HOMINES CONVERSARI ; LICET QUANDOQUE NON MINUS CONGRUE SOLITUDINEM QUÆSIERIT.

1ª *Pars* est de *ordinaria* Christi vita, et suadetur dupliciter :

1° Ex *vitae genere.*— Quamvis enim vita contemplativa, sejunctaque ab hominum tumultu, simpliciter sit melior quam ea activa vita quæ totaliter in occupatione exteriori consistit (II-IIæ, Q, CLXXXII, a. 1) ; tamen vitæ activæ opus ex plenitudine contemplationis consequens, ut doctrina et prædicatio, præeminet simplici contemplationi, sicut majus est illuminare quam lucere solum (*ibid.* Q. CLXXXVIII, a. 6). Talem vitam Christus, comprehensor simul et doctor, elegit.

2° Ex *Incarnationis fine.*— *a*) Primo enim venit Christus in mundum ut *testimonium perhiberet veritati* (Joan. XVIII, 37) ; qua de causa ipsum oportebat, non se in solitudine occultare, sed potius in publicum procedere vitamque socialem agere.— *b*) Secundo venit etiam ad hoc ut homines *a peccato liberaret* (1 Tim. I, 15) ; pastor autem ovem perditam requirit, medicus ad infirmum accedit.— *c*) Tertio venit Christus ut per ipsum habeamus *accessum ad Deum* (Rom. V, 1-2) ; de quo cœlesti introïtu congruebat fiduciam hominibus ingenerari per familiarem Domini conversationem.

2ª *Pars* eruitur ex verbis *D. Thomas* (Q. XL, a. 1 ad 3) : « Dicendum quod actio Christi fuit nostra instructio. Et ideo ut daret *exemplum praedicatoribus*, quod non semper se darent in publicum, quandoque Dominus se a turbis retraxit. Quod quidem legitur fecisse propter tria : *a*) quandoque quidem propter *corporalem quietem ;* unde (Marc. VI, 31) dicitur quod Dominus dixit discipulis : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum*... *b*) Quandoque vero causa *orationis ;* unde dicitur (Luc. VI, 12) : *Factum est in illis diebus exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei*... *c*) Quandoque vero, ut doceret *favorem humanum vitare* ».— Nota, lector, postremam hanc Salvatoris instructionem eamque animo commenda.

ARTICULUS II.

De vivendi more Christi Domini.

(Q. XL, art. 2-4)

Peccata, quibus homines indulgent, ad tres præcipuos fontes reduci possunt, prout instituit B. Joannes (1 Ep. II, 16) : *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae :* quibus designantur *voluptatum* amor, *divitiarum* cupiditas, et effrena *elatio.* Tale igitur vitæ genus Christus suscipere debuit, quo efficacius homines a triplici illa ad peccandum pronitate contineret : inde habes trium conclusionum sequentium rationem et nexum.

Conclusio 1ª.— CONVENIENTER CHRISTUS NEC AUSTERAM NEC MOLLEM, SED TEMPERATAM VITAM COMMUNIUS DUCENDAM ELEGIT.

1° Legitur (Matth. XI, 18-19) : *Venit Joannes neque manducans, neque bibens... Venit Filius hominis manducans et bibens ;* ex quibus colligitur Christum, ut homines ad bonum converteret, duplicem iniisse viam, scil. magnæ austeritatis per præcursorem Joannem, per se vero moderatæ temperantiæ.— 2° Sane Salvator noster non solitarie vixit, sed socialiter inter homines versatus est. Porro qui cum aliquibus conversatur, maxime si eos ad se attrahere velit, convenientissimum est ut se eis in vivendi genere conformet, juxta illud Ap. (1 Cor. IX, 22) : *Omnibus omnia factus sum.* Ergo Christus, communi more vivens, medium quoddam inter nimiam corporis castigationem et voluptuosam mollitiem tenere debuit.— 3° Id *conf.*, quia Christus in sua conversatione exemplum perfectionis dedit quod omnibus, pro sua cuique conditione, competeret. Atqui licet summa illa vitæ severitas, qua quis cibi potusque abstinentiam colit, valde utilis sit, non tamen *per se* ad salutem pertinet, nec majori hominum parti convenit. Ergo sapientissimum fuit quod Christus, ad commendandam austeriorem vitam, jejunio quidem plurium dierum se dederet, at frequentius communem vivendi morem, severo quam suavi proximiorem, sectaretur[1].

[1] — "Tout son emploi, tout son exercice est d'obéir à deux de ses créatures. Et en quoi leur obéir ? dans les plus bas exercices, dans la pratique d'un art mécanique. Où sont ceux qui se plaignent, qui murmurent, lorsque leurs emplois ne répondent pas à leur capacité, disons mieux, à leur orgueil ? Qu'ils

Conclusio 2ª.— CHRISTUM DECUIT IN HOC MUNDO PAUPEREM VITAM DUCERE ; QUÆ HUJUSMODI FUIT UT QUANDOQUE NULLIUS REI DOMINIUM HABERET.

1ª *Pars* ostend. quadruplici ratione.— 1° Ex *prædicationis officio.* Hoc enim Christi munus potissimum fuit ut mundo veritatem prædicaret. Atqui prædicatores verbi Dei a secularium rerum cura omnino absoluti sint oportet, tum ut liberius prædicationi vacent, tum ne, divitias possidendo, cupiditatis suspicionem injiciant. Unde ipse Dominus Apostolos mittens dixit (Matth. X, 9) : *Nolite possidere aurum, neque argentum.*— 2° Ex *Redemptionis œc nomia.* Sicut enim mortem corporalem assumpsit Christus ut nobis vitam largiretur spiritualem, ita corporalem paupertatem sustinuit ut nobis spirituales divitias promereretur, juxta illud (2 Cor. VIII, 9) : *Propter vos egenus factus est... ut illius inopia vos divites essetis.*— 3° Ex *Divinitatis manifestatione ;* pronum namque erat ut tanto major divinitatis virtus in Christo ostenderetur, quanto per paupertatem videbatur abjectior.— 4° Ex *humilitatis exemplo ;* « in eo enim qui ex necessitate pauper est, humilitas non multum commendatur ; sed in eo qui voluntarie pauper est (sicut fuit Christus), ipsa paupertas est maximæ humilitatis indicium » (art. 3 ad 3).

2ª *Pars* decl.— Et 1° advertimus sermonem hic non esse de *dominio excellenti*, quod certe Christo ratione Unionis hypostaticæ super omnes creaturas competebat, sed de dominio *usuali* penès homines.— 2° Negandum non est Christum aliquando rerum quarumdam *dominium*, saltem *in communi* seu simul cum discipulis, habuisse : id enim definivit *Joannes* XXII (in *Extrav.*, tit de verb. sign.) et eruitur ex variis Scripturæ locis, præsertim ex Joan. (XII, 6 ; XIII, 29), ubi videmus *loculos* fuisse Christi et collegii Apostolici communes.— At 3° nec dubium est quin interdum Christus *communi* etiam *dominio caruerit*, prout declaravit *Nicolaus IV*[1] (cap. *Exiit*, de verb. signif. in 6) ; siquidem legitur (Matth.

viennent dans la maison de Joseph et de Marie, et qu'ils y voient travailler Jésus-Christ. Nous ne lisons point que ses parents aient jamais eu de domestiques, semblables aux pauvres gens dont les enfants sont les serviteurs. Jésus a dit de lui-même qu'il *était venu pour servir.* Les anges furent obligés, pour ainsi dire, à le venir servir eux-mêmes dans le désert, et l'on ne voit nulle part qu'il eût de serviteurs à sa suite. Ce qui est certain, c'est qu'il travaillait lui-même à la boutique de son père » (Bossuet, *Elévations sur les myst.*, XXe Sem., 8e Elev.).— Vid. plura particularia, v. g. de vestitu et calceatu Christi, apud Suarez, in Q. XL, Disp. XXVIII, S. 3.

[1] — De conciliatione inter Nicolaum IV et Joan. XXII, cfr. Bellarm., *de Rom. Pont.* l. IV, c. 14.

VIII, 20) : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet ; mulieres aliquae* sequebantur Christum, *quae ministrabant ei de facultatibus suis* (Luc. VIII, 2-3). Quo Christi exemplo inducti sunt religiosi Mendicantes[1], qui neque in particulari neque in communi temporalium dominium retinent.— 4° Immo probabile videtur (ut sentiunt *Suarez*, *Billuart*, etc.) Christum, non quidem regulariter aut frequentius, sed nonnunquam *mendicasse*, puta in triduo quo duodennis a parentibus aberat (Luc. II, 46). Id aperte docet *S. Thomas*, Opusc. XIX, c. 7, nec inconveniens est : quippe ea sola reprehenditur mendicitas quæ, voluntati contraria, ad furandum mentiendumve impellit. Christus vero sponte pauper ac mendicus exstitit.

Conclusio 3ª. — CHRISTUS IN OMNIBUS CONVERSATUS EST SECENDUM PRÆCEPTA LEGIS, QUAM MULTIPLICITER IMPLEVIT.

1° Jam supra plerasque tetigimus rationes, ob quas Christus se ultro veteri Legi subjecerit. Huic subjectioni minime repugnat quod curaret homines *sabbato* (Luc. XIII-XIV), Judæis hoc illi exprobrantibus ; siquidem opus istud divinum erat, de necessitate salutis, et ad Dei cultum seu glorificationem pertinens (art. 4 ad 1).— 2° *Sex modis* (docet *Sylvius* in h. l.) Christus *legem* veterem *implevit :* scil. illam servavit ; manifestavit mysteria in ea latentia ; præstitit promissa et præfigurata in lege ; verum legis sensum exposuit ; dedit gratiam et virtutem qua legem impleamus ; illam passione consummavit.

QUÆSTIO SECUNDA

DE TENTATIONE CHRISTI

« Uti Moyses, fœderis veteris mediator, in sacra solitudine et jejunio per 40 dies ante legis promulgationem cum Deo conversatus est, ita Christus novi fœderis auctor ; dein victoria triplici de diabolo reportata principem mundi ejusque regnum a se iri destructum portendit. Quare Messiæ jejunium et tentatio præparatio est et præludium quoddam operis commissi » (Knabenbauer in Matth. IV).— Tentatio Christi spectari potest vel *absolute* (art. 1), vel in suis *circumstantiis* (art. 2) : en dicendorun partitio.

[1] — De his contra calumniam tuendis fortiter ac egregie scripsit *D. Thomas*, Opusc. XIX ; ubi reperies optimam nostrisque etiam temporibus accommodatam ordinum religiosorum defensionem.— Circa eosdem ordines opportune quoque legi possunt quae, contra doctrinas *Americanismi* voce dictas, scribebat Leo XIII (Litt. *Testem benevolentiae*).

ARTICULUS I.

De tentatione Christi absolute sumpta.

Duo circa Christi tentationem generatim spectatam exponenda se præbent, *possibilitas* et *convenientia ;* de quibus Auctoris doctrinam unica conclusione bimembri comprehendemus.

Conclusio. — POSSIBILE, QUIN IMO, CONVENIENS FUIT CHRISTUM A DIABOLO TENTARI.

1ª *Pars* eruitur 1° ex *facto* ipso ab Evang. relato (Matth. IV, 1) : *Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Quibus verbis exprimitur causa simul efficiens et finalis secessionis Christi in desertum : *efficiens* quidem, quæ fuit interna ac divina motio ; *finalis* vero, quia, præter propositum sibi jejunium, volebat Christus, non activam diaboli tentationem (hanc Deus permittit tantum), sed passivam hujus tentationis experientiam, ex qua nullum sibi imminere posse periculum probe sciebat.

2° Tentatio significare potest duplicem actu , nempe aut *explorandi* quod non plane constat, aut *inducendi ad malum* : utroque modo *potuit* diabolus Christum tentare.— *a*) Primo namque, quanquam dæmones pluribus ex signis, sive propheticis, sive miraculosis, conjectare poterant Christum esse Deum, tamen ex altera parte perspectis in eo infirmitatis humanæ vestigiis, non ut certam atque exploratam habebant ejus divinitatem, ideoque illum tentare voluerunt : quod colligitur ex eo quia tentator narratur ad Christum accessisse *postquam esuriit* (Matth. IV, 2), et tentando dixisse : *Si Filius Dei es*, etc. (ibid. v. 3 et 6)[1].— *b*) Præterea, tentatio ad malum inductiva tribus modis agitur, suggestione externa ac interna, delectatione et consensu. Christum autem a diabolo tentatum contendimus per solam *externam suggestionem.*

2ª *Pars* ostend. quadruplici argumento : — 1° Ex *Redemptoris* auxiliandi modo. Congruum enim erat ut sic Christus tentationes nostras suæ tentationis merito vinceret, sicut mortem nostram sua venerat morte superare.— 2° Ex *cau-*

[1] — Quanam ratione dæmones Christum successive cognoverint, erudite inquirit *Suarez*, Disp. XXXI, S. 3 ; ubi statuit primum eos certo agnovisse in Christo Messiam, dein (ante mortem) probabiliter putasse ipsum esse Deum, post resurrectionem vero nullam de ejus Divinitate dubitationem habuisse.

telae nostrae studio : nam *non est servus major domino suo* (Joan. XIII, 16), ideoque si Christum ipsum, mox de baptismo reducem, diabolus ausus est tentare, quis, quantumcumque sanctus, se a tentatione immunem æstimabit? Unde dicitur (Eccli. II, 1) : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem.* — 3° Ex beneficio *exempli*, quo a Christo instruimur quali oporteat animi constantiâ tentationes vincere ut coronam pugnæ mereamur.— 4° Ex *fiducia* quam nobis de sua misericordia Christus inspirat ; *non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autem per omnia* etc. (Heb. IV, 15)[1].

ARTICULUS II.

De circumstantiis tentationis Christi.

(Q. XLI, ; 4)

Tentatio Christi considerari potest quoad *locum*, *tempus*, et *modum* seu ordinem ; quæ tria trium conclusionum materiam suppeditant.

Conclusio 1ª.— Congrue Christus in deserto tentationem passus est.

1° Enim vero Christus, ob causas mox recensitas, propria voluntate se diabolo ad tentandum exhibuit. Atqui diabolus eo maxime ducitur ad aliquem attentandum, quod eum solitarium cernit suæque perfectionis studio vacantem. Igitur congruum fuit ut Salvator in eremum secederet quasi ad certaminis campum gradiens.— 2° Nemo objiciat, periculosum in hoc datum fuisse a Christo exemplum. Duplex enim *tentationis occasio* secernitur : *una* ex parte hominis se *peccato* exponentis (a qua Christus, utpote impeccabilis, longe abfuit), et hæc constanti opera vitanda est ; *altera* ex parte diaboli invidentis iis qui magna in suî bonum Deique hono-

[1] — Consolatoria sunt ea quæ scribit *Angelicus* (Opusc. LX, a. 11) : « Sic paratus est (Christus) cadentem suscipere et eripere fugientem, ut videri possit, relictis omnibus, ei soli operam dare. Propterea expedit omni animæ Deum semper intendere tanquam proprium, non tantum adjutorem, sed etiam *inspectorem*. Unde legitur de *B. Antonio* quod cum semel a daemonibus in varias formas mutatis laceratus fuisset, subito quidam radius lucis dæmones effugavit, statimque sanatus, et Christum præsentem intelligens dixit : *Ubi eras, bone?* Et vox ad eum : *Antoni, hic eram, sed expectabam certamen tuum* ».

rem suscipiunt, et hæc, nedum vitanda sit, magis est conquirenda secundum Sp. Sancti consilium et Salvatoris exemplum.

Conclusio 2ª.— CONVENIENS FUIT UT CHRISTUS POST JEJUNIUM TENTARETUR.— Ubi præmittendum censeo quod nonnulli (*S. Thom.*, *Suarez*, etc.) uti probabile habent, scil. Christum, per 40 dies secessûs, frequentes diaboli impugnationes expertum esse ; nunc vero non agitur nisi de *tentationibus visibilibus* quas narrant Matthæus et Lucas.

Itaque triplex ratio assignari potest tentationis Christi *post transactum in contemplatione et oratione jejunium* : — 1ª est, ut doceret austeritatem vitæ, tentationis probatione firmatam, optimam esse ad prædicandi officium dispositionem. Hinc dicitur (Act. I, 1) quod *coepit Jesus facere et docere* ; — 2ª est, ut ostenderet quantum intersit nos jejunio sive carnis sive voluntatis contra tentationes armari. Unde Ecclesia ex Christi exemplo jejunium quadragesimale, veluti saluberrimam virtutis initiationem, instituit ; — 3ª est, ut demonstraret nec eos qui corpus proprium affligunt posse seipsos ab omni incursu diabolico securos æstimare.

Conclusio 3ª.— CONVENIENTISSIMO MODO SE CHRISTUS A DÆMONE TENTARI PERMISIT ,TENTATIONEMQUE PROPULSAVIT.

1ª *Pars* ostend.— 1° Ex *ordine* tentationis. Astutus enim animarum hostis virum spiritualem non statim tentat de gravibus peccatis, sed a levioribus incipiens paulatim ad graviora progreditur : quod in tentando protoparente Adamo observatum est. Siquidem primo de esu ligni vetiti (Gen. III, 1), secundo de inani scientiae gloria (v. 5), tertio de extrema cupiditate divinæ similitudinis (*ibid.*) mentem ejus sollicitavit. Jamvero hunc ipsum tentationis ordinem servavit diabolus in impugnando novo Adam, Christo. Quippe *a*) *primo* tentavit ipsum de *cibo* per miraculum conversionis lapidum in panem inordinate obtinendo, cum se cibandi media communia suppeterent. *b*) *Secundo* petiit a Christo ut per ostentationem seu *vanam gloriam* se de pinnaculo templi deorsum mitteret ac præsumptuose angelicam opem exspectaret. *c*) *Tertio*[1] tentationem ad id perduxit quod est *maximae cupiditatis*, gestu, sermone, descriptione proponens mundanas divitias ac illecebras quas Christus per adorationem mali Angeli adipisci suadebatur.— 2° Ex *materia* ten-

[1] — Hunc Matthaei ordinem ordini Lucæ in triplici Christi tentatione præferendum esse plures tum antiqui tum moderni sentiunt ; inter quos Fouard, *La Vie de N. S. J. C.*, t. I, l. II, ch. 3.

tationis. Nam *a*) ex una parte tres illæ tentationes (ut scite demonstrat *Cajet.* in art. 4) hujusmodi erant quibus sperare poterat diabolus se exploraturum num Christus esset Filius Dei ; *b*) ex altera parte, tria illa tentationum capita, quæ sunt *carnalis*, *spiritualis* et *mundana* cupiditas, virtute cunctas peccandi causas præcontinent.

2° *Pars* ut illustretur, referre primum juverit verba *Angelici* (art. 4. ad 6) : " Christus, cum passus fuisset tentationis injuriam, dicente sibi diabolo : *Si Filius Dei es* etc., non est turbatus nec diabolum increpavit. Quando vero diabolus Dei sibi usurpavit honorem, dicens : *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, exasperatus est et repulit eum dicens : *Vade Satana ;* ut nos illius discamus exemplo nostras quidem injurias æquanimiter sustinere, *Dei* autem *injurias nec usque ad auditum sufferre* ».— Succedit *Suarezius* (in Q. XLI, disp. XXIX, S. 4, n. 3) ex Christi exemplo docens tentationes superandas : « *primo*, verbo Dei et Scripturis Sanctis utendo ; *secundo*, divina mandata in memoriam revocando ; *tertio*, divinis promissionibus confidendo ; *quarto*, tentatoris insidias percallendo, et nulla in re earum, quas intendit, ei cooperando, sed magnâ fiduciâ in Deum, et auctoritate etiam, si opus fuerit, illum repellendo ».

QUÆSTIO TERTIA

DE DOCTRINA CHRISTI

Qualis quantaque in Christo fuerit scientiæ perfectio qua totius humani generis doctor constitueretur, alibi (Disp. III, Q. IV) satis, ni fallor, declaratum est.— Neque sub præsenti capite intenditur objectiva seu *dogmatica* eorum quæ Christus docuit discussio (id enim vario Theologiæ tractu peragitur), sed magis *historica* Christi doctoris consideratio. — Scilicet inquiremus cum D. Thoma tum de genere *auditorum* quos Christus docere debuerit (art. 1), tum de *docendi modo* quem in tanto Magistro mirandum sane nemo ullus non confitebitur (art. 2).

ARTICULUS I.

De auditoribus Christi docentis.

(Q. XLII, a. 1)

Ex historia evangelica compertum habemus Christum, in obeundo munere sibi demandato, vix egressum esse de Palestinæ limitibus solisque *Judaeis* communiter prædicasse ; quod ipse testatus est dicens (Matth. XV, 24) ; *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israël.*— Dubium est modo dissipandum, num conveniens fuerit omnium hominum Salvatorem intra limites illos verbum veritatis coercere.

Conclusio.— CONVENIENTER CHRISTI PRÆDICATIO A JUDÆIS INSTRUENDIS, IISQUE SOLIS, PROFECTA EST, UT DEINCEPS MEDIANTIBUS APOSTOLIS AD GENTES DEVENIRET.

1ª *Pars* suadetur ex quatuor rationibus : — 1ª est *historica*, nempe ut Christus ostenderet per suum adventum impleri promissiones antiquitus factas, non gentilibus, sed Judæis, qui eas religiose custodiebant, subindeque paratiores erant ad Messiam agnoscendum. Hinc Ap. (Rom. XV, 8) : *Dico Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis* (Judæorum) *propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.*— 2ª est *dogmatica ;* cum enim divina Providentia ordinem hierarchicum in dispensandis suis beneficiis observet, v. g. penes Angelos superiores et inferiores, idem ordo exigebat ut Judæis vero Deo propinquioribus Christi doctrina prius proponeretur, et per eos ad gentes transmitteretur.— 3ª est *apologetica*, ut nempe Judæos sibi conciliaret eisque excusationem auferret quam verisimiliter allegassent, dicentes ideo se Dominum rejecisse, quia ad gentes et Samaritanos processerit.— 4ª est *moralis ;* licet enim jam ex unione hypostatica Christus super gentes æque ac Judæos potestatem generalem haberet, hujus tamen potestatis *exercitium* in gentiles meruit per passionem et crucis victoriam ; quod significatum intelligitur his verbis (Joan. XII, 24-25) : *Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Cf. Apoc. II, 26 ; Philipp. II, 8-10.

2ª *Pars* manifesta est ex pluribus Scripturæ locis, signatius ex prophetia (Is. XLIX, 6) : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob... Ecce dedi te in lucem gentium ;* et (LXVI, 19) : *Mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes... Et annuntiabunt gloriam meam gentibus.* Christus

enim fuit in lumen et salutem gentium per discipulos ad prædicandum missos : quod universa Religionis historia confirmat.— Ne tamen populis exteris salutis spes præclusa videretur, aliquos gentilium, ut mulierem Samaritanam et Chananæam, Salvator per se instruxit aut ad fidei beneficia admisit.

ARTICULUS II.

De Christi docendi ratione.

(Art. 2–4)

Narrat Evangelium quod Christus tanta doctrinæ vi Judæos edoceret et argueret ut ipsi pontificum et Pharisæorum ministri exclamare coacti sint (Joan. VII, 46) : *Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo.*— Omissâ doctrinæ Christi speculativæ et moralis *objectivâ excellentiâ* (qua divinitas legationis Messiæ ipsiusque personæ evincitur), præstantiam Christi doctoris modo illustrabimus ex singulari *docendi ratione* qua doctores omnes, velut sapientissimus antecessor, præcelluit.

Conclusio.— Inter ea quæ doctorem Christum præcipue commendant, eminent flagrans veritatis zelus, apta doctrinæ divulgatio, nobilior docendi methodus, maxima quoque in dicendo potestas.

1° *Flagrans veritatis zelus.*— *a*) Studium hoc potissime enituit in eo quod Christus acriter et publice obstinationem et vitia suorum auditorum intrepidus carperet, juxta illud prophetæ (Is. VIII, 14) : *Erit... in lapidem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israël.*— *b*) Sane « salus multitudinis *est praeferenda paci* quorumcumque singularium hominum. Et ideo quando aliqui sua perversitate multitudinis salutem impediunt, *non est timenda eorum offensio a praedicatore* vel *doctore*, ad hoc quod multitudinis saluti provideat. Scribæ autem, et Pharisæi, et principes Judæorum sua malitia plurimum impediebant populi salutem, tum quia repugnabant Christi doctrinæ, per quam solam poterat esse salus, tum etiam quia pravis suis moribus vitam populi corrumpebant. Et ideo Dominus, non obstante offensione eorum, publice veritatem docebat quam illi oderant, et eorum vitia arguebat » (art. 2)[1].

[1] — Aureum plane documentum altoque animo retinendum : quo reprehenduntur et *molliorum praedicatorum* lenocinia et *liberalium* hodiernorum placita qui falsam pacem in veritatis detrimentum ac ruinam ore mellifluo dictitant.

2° *Apta doctrinae divulgatio.*— *a*) Christus enim, nedum ex invidia aliave de causa scientiam suam occultaverit, libenti prorsus ac generoso animo eam integraliter communicavit ; quare ipse dixit (Joan. XVIII, 20) : *In occulto locutus sum nihil.* Quod ex ejus persona jampridem auctor sacer sic asseruerat (Sap.VII, 13) : *Quam* (sapientiam) *sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo.*— *b*) Præterea, non solum paucis, sed *omnibus* Judæis, doctis et indoctis, discipulis et turbæ, doctrinam suam palam proposuit ; ex quo prædicatores utiliter discant non solum honorificos ambire cœtus, sed et viles et rusticanas animas haud dedignari.— *c*) Apto quoque et *accommodato* auditoribus sermone Christus locutus est, ita ut turbis quidem nonnulla sapientiæ divinæ arcana sub parabolarum seu familiarium similitudinum cortice exponeret, discipulis vero magis ad illa capienda idoneis nudam et apertam veritatem proferret.

3° *Nobilior docendi methodus.*— *a*) Excellentiori enim doctori excellentior congruit docendi modus. Porro nobilius est doctrinam auditorum cordibus *oraliter* imprimere quam *scripto* tradere ; hoc enim ad illud ut medium ad finem ordinatur, atque immediata illa mentis impressio proprius ad Dei actionem accedit. Ergo etc.— *b*) Item, « lex vetus in sensibilibus figuris dabatur, ideo etiam convenienter sensibilibus signis scripta fuit. Sed doctrina Christi, quæ est *lex spiritus vitae,* scribi debuit *non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus,* ut Ap. dicit 2 Cor. III, 3 » (art. 4 ad 2).— *c*) Rursus doctrina Christi altior et amplior est quam litteris comprehendi valeat, juxta illud (Joan. XX, 30) : *Multa quidem et alia signa fecit Jesus... quae non sunt scripta in libro hoc ;* cf. *ibid.* XXI, 23. Si autem Christus scripto doctrinam suam mandasset, nihil majus de ea homines æstimarent quam quod Scriptura contineret.— *d*) Tandem, Christo nihil scribente (nullum enim ejus librum canon Scripturæ exhibet), hoc modo provisum est ut *ordine quodam* doctrina, ab ipso discipulis proposita, per hos dein verbo et scripto ad omnes perveniret.

4° *Maxima in dicendo potestas.*— *a*) Hoc testatur Evang. (Matth. VII, 29) : *Erat enim docens eos sicut potestatem habens.* — *b*) Præterea « in hoc maxime potestas divina in Christo monstrata est quod *discipulis* suis *tantam virtutem contulit* in docendo, ut gentes, quæ nihil de Christo audierant, converterent ad ipsum » (art. 1 ad 2).— *c*) « Potestas autem

Christi in docendo attenditur et quantum ad *miracula* per quæ doctrinam suam confirmabat ; et quantum ad *efficaciam persuadendi ;* et quantum ad *auctoritatem loquentis*, quia loquebatur quasi dominium habens super legem, cum diceret : *Ego autem dico vobis ;* et etiam quantum ad *virtutem rectitudinis*, quam in sua conversatione monstrabat, sine peccato vivendo » (*ibid.*)[1].

QUÆSTIO QUARTA

DE MIRACULIS CHRISTI

Post doctorem, *thaumaturgum* considerare libet ; cujus opera tanto magis omnium sanctorum operibus præstiterunt, quanto perfectius Christi humanitas, ceu docile instrumentum, Divinitati conjungebatur (cf. Disp. III, Q. V).— De miraculis Christi solita brevitate dissertabimus primum *in genere* (art. 1), deinde *in specie* (art. 2).

ARTICULUS I.

De miraculis Christi in genere.

(Q. XLIII, aa. 1-3

Exploratam hic sive in Philosophia sive in Theologia fundamentali præsupponimus theoriam generalem miraculorum.— Nec propositum est contra hodiernos incredulos et scientiam (ut aiunt) *criticam* varia Christi opera miraculosa vindicare ; quod magis ad apologetas[2] aut commentatores Scripturæ pertinet.— Duo tantum pro instituti nostri modulo inquiremus, scil. *num* et *quando* Christus miracula operari debuerit.

Conclusio 1ª.— NON QUIDEM ABSOLUTE NECESSARIUM, AT VALDE CONVENIENS FUIT UT CHRISTUS MIRACULA PERPETRARET.

1ª *Pars* ex eo innotescit, « quia Christi virtus non erat alligata miraculis, sed poterat *aliis modis* veritatem doctrinæ suæ ostendere et confirmare, atque ita eam prædicare ut

[1] — Leg. Monsabré, Conf. 45e, *Le docteur* (1880).

[2] — Cf. Portmans, *La Divinité de J. C.*, Troisième Etude : *Les œuvres de J. C. sont les œuvres d'un Dieu.*

exterius sufficienter proponeretur, et interius etiam sufficienter excitaret atque illuminaret hominem » (*Suarez*, Disp. XXXI, S. I, n. 5).— Nec obstant verba Christi (Joan. XV, 24) : *Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ibi enim (ut probabilius exponitur) loquitur Christus *ex suppositione* prædictionum propheticarum de futuris Messiæ miraculis ; quæ si ipse non præstitisset, nequaquam dignus esset cui fides messiana adhiberetur.

2ª *Pars* prob.— Et 1° huc spectat commendatio suorum miraculorum a Christo facta (Joan. X, 38) : *Si mihi non vultis credere, operibus credite ;* nam (*ibid.* V, 36) *ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me.*— 2° Divinitus homini conceditur miracula patrare propter duo : *primo* quidem et principaliter in *confirmationem doctrinae* quæ rationem humanam excedit, ideoque per argumentum divinæ virtutis probari indiget ; *secundo* ad ostendendam (saltem ordinarie) *praesentiam Dei in homine* per gratiam. Atqui utrumque circa Christum erat hominibus manifestandum, scil. tum quod doctrinam traderet divinam, tum quod non adoptionis tantum, sed hypostaticæ unionis gratiâ esset Filius Dei. Ergo. — 3° Non diffitemur majoris esse meriti (per se) credere sine miraculis quam miracula ad credendum requirere, et illo primo modo nonnulli discipuli (de quibus Joan. I, 35 sqq.) Christo adhæserunt ; at iis qui cor suum obdurant melius est ut vel per miracula convertantur ad fidem quam quod in infidelitate permaneant (art. 1 ad 3).

Conclusio 2ª. — CONGRUE CHRISTUS MIRACULA AGERE AUSPICATUS EST SUB INITIO VITÆ SUÆ PUBLICÆ, hoc est in Canæ nuptiis (art. 3).

1° *Rem* ipsam assertam legimus (Joan. II, 11) : *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaeae.* Qua de causa fidem facere nequeunt quæ in pseudo-evangelio (de *infantia Salvatoris*) narrantur circa miracula Christi-pueri, quæque intemperato cuidam pietatis studio adscribenda sunt. Nec enim, positis præmaturis illis operibus, opus fuisset ministerio Joannis præcursoris ad Messiam manifestandum.— 2° *Ratio* rei superius enunciatæ est, quia miracula patrata sunt a Christo ut et doctrinam suam confirmaret et se divina virtute pollere ostenderet. Porro, *a*) quod ad *primum* attinet, non erant miracula prius facienda quam Doctoris vox resonaret ; Christus autem (ut jam constitit) nec incœpit nec incipere debuit suum magisterium ante perfectam ætatem. *b*) Quantum ad *secundum*, sic decuit Christum signis portentosis deitatem suam demonstrare ut nullum fidei de

veritate suæ humanitatis præjudicium fieret ; quod exigebat eum in prima ætate a miraculis faciendis abstinere, ne a spectantibus existimaretur phantasma seu spiritus in carne magis quam homo.

ARTICULUS II.

De singulis miraculorum Christi speciebus.

(Q. XLIV)

Christum congruebat miraculose agere, nec qualitercumque, sed ita ut, quasi supremus omnium Dominus, universam naturam creatam ab angelicis spiritibus ad imas usque materiales creaturas sibi plene famulanterque subjectam moderari videretur. Idcirco miracula, quæ fecit, in quatuor classes a *D. Thoma* præclare distribuuntur pro quadruplici distinctione *Angelorum, corporum cœlestium, hominum, rerumque inferiorum.* Totidem statuentur conclusiones.

Conclusio 1ª.— CONVENIENTER CHRISTUS MIRACULA OPERATUS EST CIRCA SPIRITUALES SUBSTANTIAS (art. 1).

1° *Circa Angelos bonos.*— Etenim homines per Christum erant spiritus cœlestibus consociandi, secundum illud (Coloss. I, 20) : *Pacificans per sanguinem crucis ejus sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.* Jamvero ad excitandum in hominibus desiderium angelicæ illius societatis apprime expediebat Angelos sensibiliter apparere : quod quidem opportune factum est in Christi nativitate, ressurrectione et ascensione.

2° *Circa Angelos malos.*— *a*) Ut enim significaretur dæmonum potestatem a fidelibus excludendam esse et principem hujus mundi ejiciendum foras (Joan. XII, 31), recte Christus obsessos a dæmonibus liberavit.— *b*) Porro hæc liberatio, miraculose effecta, principaliter ordinabatur ad *salutem animae*, ideoque ut homines exemplis sensibilibus discerent quam gravis et nefasta sit diaboli tyrannis, permisit Dominus spiritus nequam, quos ejiciebat, nocumentum aliquod inferre vel in corpore (v. g. hominem discerpendo) vel in rebus (v. g. porcos ingrediendo et præcipitando in mare).

Conclusio 2ª.— CONVENIENTER CHRISTUS MIRACULA QUÆDAM PATRAVIT CIRCA CŒLESTIA CORPORA (art. 2).

1° Namque miracula Christi talia esse debebant quæ manifestius ejus doctrinæ ac personæ divinitatem demonstrarent. Hoc autem non ita evidenter ostenditur per transmutationes corporum inferiorum, quæ tot causarum actioni particulari subjacent, quam per immutationem cursûs aut influxus corporum cœlestium firmiores seu universaliores sidereæ œconomiæ leges observantium. Ergo conveniens fuit ut, quandoque saltem, Christus etiam circa orbes cœlestes miracula perageret.

2° Id maxime fieri debuit, quando infirmitas humanæ naturæ patentius se prodens illustriora quoque in Christo divinitatis argumenta requireret : — *a*) Hinc in Christi *nativitate*, ne tanta pueruli humilitas cœlestem ejus originem offuscaret, insolita in cœlo stella visa est quasi Dei ipsius protestatio.— *b*) Hinc etiam in *passionne*, ubi major adhuc apparuit humanitatis Christi demissio, stupendiora cœli phænomena produci oportuit ; idcirco *tenebrae factae sunt in universam terram... et obscuratus est sol* (Luc. XXIII, 44-45) per radiorum suspensionem aut nubium interpositionem, aut (prouti quidam senserunt) per eclipsim præternaturalem.

Conclusio 3ª.— CONVENIENTER CHRISTUS INNUMERA FERE EGIT MIRACULA CIRCA HOMINES (art. 3).

1° *Circa animas.*— *a*) Præter enim justificationem quæ communiter non est miraculum, sed ad quam quasi ad finem miracula ordinantur, Christus *corda* quorumdam peccatorum, v. g. latronis in cruce, extraordinarie commovit et simplicibus discipulis divinam *sapientiam* infudit, mirantibus Judæis (Act. IV, 13) ; quæ duo possunt dici miracula non quidem quantum ad internam mutationem, sed quantum ad externam manifestationem. *b*) Miraculosa Christi virtus non minus in hoc eluxit quod (sensu Patrum *Hieron.*, *August.*, etc.) modo majestate sua soloque faciei fulgore homines ad se *alliceret* (Matth. IX, 9), modo ignea quadam oculorum radiatione eos *perterreret* aut prosterneret (Matth. XXI, 12 ; Joan. XVIII, 6), modo vi occulta minitantibus turbis *se illico subduceret* (Luc. IV, 30 ; Joan. VIII, 59).

2° *Circa corpora.*— *a*) Nam ea quæ sunt ad finem, debent fini esse proportionata. Atqui Christus ad hoc in mundum venerat et docebat ut homines salvos faceret (Joan. III, 17). Ergo conveniens fuit ut *curando miraculose* homines (quod frequentissime ac diversissime præstitit) se spiritualem ac universalem hominum salvatorem esse ostenderet. Quam ob rem, quoties alicui corpori sanitatem restituebat, toties ægrotantis animam etiam curabat aut utcumque reficiebat, sic de-

monstrans quanta sæpe connexio sit inter peccata animæ et vitium corporis. *b*) *Modus* miraculorum, quibus Christus corporum infirmitatibus tanto misericordiæ sensu subveniebat, ex tribus illustrari potest. *Primo* non quomodocumque, sed *perfecte* sanabantur miseri Christo oblati ejusque actioni beneficæ subjecti. *Secundo* frequenter in curandis infirmis Salvator non sola potestate divina *imperans* utebatur, sed ministerium quoque *sui corporis* in bonum hominum assumpti adhibebat, ægrotos tangendo, manus eis imponendo, oculos eorum liniendo, etc. *Tertio* communiter sanationes illas miraculosas *in instanti* exequebatur ; attamen interdum eas gradatim perficere voluit, prouti factum est in casu cæci (Marc. VIII, 23) qui aut in pœnam suæ infidelitatis, aut in majorem humanæ cæcitatis manifestationem, per gradus quosdam visum recuperavit.

Conclusio 4ª.— CONVENIENTER CHRISTUS PLURA FECIT MIRACULA CIRCA CREATURAS IRRATIONALES (art. 4).

Ratio luculenta suppetit ex demonstranda divinitate Christi per ejus dominium in omnem creaturam : unde tum animalia, tum plantæ, tum varia naturæ elementa præpollenti Thaumaturgo obsequium miraculosum præstiterunt : — *a*) *animalia* quidem, saltem *aquatica* (terrestria enim, sensitivæ naturæ nostræ propinquiora, satis in homine comprehendebantur). Quo pertinet copiosa piscium captura, quam describunt Lucas (V) et Joannes (XXI).— *b*) *Plantae* quoque, puta quando Christus verbo ficum arefecit (Matth. XXI, 19) ; quod quidem, quanquam non erat tempus ficorum (Marc. XI, 13), congrue peregit ad significandam suam potestatem et justitiam in Judæos fructibus vacuos.— *c*) Varia tandem *naturae elementa :* panes enim multiplicavit (non per creationem, sed per extraneæ materiæ conversionem), ventis et mari efficaciter imperavit. « Circa passionem *divisum est velum* ad ostendendum reserationem mysteriorum legis ; *aperta sunt monumenta*, ad ostendendum quod per ejus mortem mortuis vita daretur ; *terra mota est et petrae scissae sunt* ad ostendendum quod lapidea hominum corda per ejus passionem emollirentur, et quod totus mundus virtute passionis ejus erat in melius commutandus » (resp. ad 3)[1].

[1] — Leg. Monsabré, Conf. 46e, *Le thaumaturge et le prophète.*

QUÆSTIO QUINTA

DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI

Non solum circa cuncta creaturarum genera, sed et circa *seipsum* Christus præclara quædam edidit prodigia inter quæ recensetur *transfiguratio ;* de ea nunc agere propositum est illam considerando vel *secundum se* (art. 1), vel secundum *circumstantias* (art. 2).

ARTICULUS I.

De transfiguratione secundum se.

(Q. XLV, aa. 1-2)

Transfigurationis nomine intelligitur illa « claritatis assumptio » ab Evangelistis descripta, qua *resplenduit facies* Christi *sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix* (Matth. XVII, 2) ; — ex quo nemo intulerit substantiam ipsam corporis Christi fuisse immutatam : quippe per illa verba tantum significatur insolitus faciei splendor et candor vestium.— Duobus responsum dabimus, nempe *qua de causa*, et quonam *claritatis genere* Christus se coram discipulis transfiguraverit.

Conclusio 1ª.— CONVENIENS FUIT UT CHRISTUS SE SUIS DISCIPULIS TRANSFIGURATUM OSTENDERET (art. 1).

Etenim Dominus, prænuntiata sua passione, discipulos induxerat ad sectanda magistri patientis vestigia, eo quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. XIV, 21) ; per hoc autem homo incitatur ad asperum iter ingrediendum, quod ei sub jucunda præmii specie viæ terminus reveletur. Atqui terminus passionis Christi fuit non solum gloria animæ (qua jam fruebatur), sed et corporis felicitas ; cui justorum sors adsocianda est, juxta illud (Phil. III, 21) : *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ergo etc.— Non absimilia locutus est *S. Leo M.* (Serm. 51, c. III) de transfiguratione dicens : « Illud principaliter agebatur, ut de cordibus *discipulorum* crucis scandalum tolleretur ; nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas passionis, quibus revelata esset absconditæ excellentia dignitatis. Sed non minore providentia spes sanctæ Ecclesiæ fundabatur, ut *totum corpus Christi*

agnosceret quali esset commutatione donandum, et ejus sibi honoris consortium membra promitterent qui in capite præfulsisset.»

Conclusio 2ª.— CLARITAS CHRISTI IN TRANSFIGURATIONE FUIT CLARITAS GLORIÆ QUANTUM AD ESSENTIAM, NON TAMEN QUANTUM AD ESSENDI MODUM (art. 2).

1ª *Pars* ostend.— Claritas corporis gloriosi, juxta quamdam proportionis legem, ab animæ claritate derivatur ; quod autem in Christo mortalem vitam degente præmatura animæ gloria non redundaret ad corpus, dispensatione divina factum est, ut Salvator in corpore passibili redemptionem nostram expleret. Atqui, ex una parte, Christo per hoc adempta non est *potestas* extendendi gloriam animæ ad corpus ; ex altera parte, constat de facto corpus ejus fuisse in transfiguratione claritate perfusum. Ergo reliquum est ut hæc corporea Christi claritas a Divinitate simul animæque gloria processisse dicatur.

2ª *Pars* decl. ex tribus differentiis inter corpus Christi *transfiguratum* et corpus *glorificatum*.— *a*) Nam ad corpus glorificatum redundat claritas ab anima sicut qualitas quædam permanens ; in transfiguratione vero effulsit eadem claritas per modum *passionis transeuntis*.— *b*) In glorificatione claritas, agilitas, subtilitas, impassibilitas, se habent ut *dotes* sibi evincem connexæ ; in transfiguratione autem sola fuit claritas (quin dici posset dos seu qualitas immanens), etsi Christus aliqua trium aliarum *dotium vestigia* interdum ostenderit, puta ambulando super mare, egrediendo de clauso utero Virginis, aut de manibus Judæorum se illæsum eripiendo.— *c*) Tandem fulgere corporaliter in corpore glorioso naturale quiddam, non miraculosum ,est ; quod autem fulgor solis in corpore Christi passibili apparuerit, id *miraculi* rationem habuit.

ARTICULUS II.

De circumstantiis transfigurationis.

(Art. 3-4)

Ex Evangelio (Matth. XVII, 1) habemus transfigurationis *locum* fuisse *montem excelsum*[1], quem ideo Christus elegisse

[1] — Per illas voces *Thabor* significari, communior suasio est ; quam contra quosdam recentiores defendunt Fouard (La Vie de N. S. J. C., l. V, c. 3) et Knabenbauer (in Matth. XVII, 1).

censetur, quia « necesse est omnibus qui Deum contemplari desiderant, ut non in infimis voluptatibus jaceant, sed amore supernorum semper ad cœlestia se erigant » (*S. Th.*, Opusc. LXX, a. 16).— Porro ex gloria corporis transfigurati quasi effectus prodiit *vestium fulgor*, ad designandam futuram sanctorum claritatem quæ superabitur a claritate Christi, sicut candor nivis a solis splendore exceditur (art. 2 ad 3) ; justi enim sunt veluti Christi vestes et ornamentum.— Jam ad reliqua transfigurationis adjuncta, scil. *testes* et *Patris testimonium*, festinamus.

Conclusio 1ª.— CONVENIENTER CHRISTUS EX UTROQUE TESTAMENTO TESTES TRANSFIGURATIONIS ASSUMPSIT (art. 3), prout legitur (Matth. XVII ; Marc. IX ; Luc. IX).

1° Christus transfigurari voluit ut suam hominibusque communicandam ostenderet gloriam. Jamvero ad gloriam cœlestem adducuntur per Christum homines, non solum qui post eum fuerunt, sed et qui eum præcesserunt ; unde, eo ad passionem properante, turbæ præcedentes et sequentes ei clamabant *hosanna* (Matth. XXI), quasi salutem petentes. Ergo conveniens fuit ut tum de *Veteri*, tum de *Novo* Testamento communis redemptionis et gloriæ testes adessent.

2° De Veteri Testamento apte inducti sunt *Moyses* et *Elias* ;[1] de Novo autem, *Petrus*, *Jacobus* et *Joannes*.— Nam quantum ad 1ᵘᵐ, plures a Patribus assignantur rationes : e quibus *a*) *una* est, ut Christus præclarissimorum virorum antiquæ Legis sibi obsequentium *Dominum* se demonstraret ; *b*) *altera* est, ut per *legem*, quam dedit Moyses, et per *prophetas*, inter quos præcipuus fuit Elias, se prædicatum ac præmonstratum fuisse ostenderet.— Quantum ad 2ᵘᵐ, advertemus alta mysteria non esse omnibus immediate exponenda, sed per majores, ceu veritatis nuntios, suo tempore ad alios deferenda esse. Quam ob rem Christus tres potiores gloriæ suæ testes assumpsit, nempe *Petrum* ardore et potestate summa, *Joannem* virginitate divinoque amore, *Jacobum* futuri prærogativa martyrii excellentem.

Conclusio 2ª.— CHRISTUM IN TRANSFIGURATIONE DECEBAT TESTIMONIO PATERNÆ VOCIS HONORARI (art. 4).

[1] — Juxta Auctorem (art. 3 ad 2), anima *Moysis* non in proprio, sed in *assumpto* corpore apparuit ; *Elias* autem secundum proprium corpus venisse creditur de illo eminenti loco (quicumque sit) ad quem in curru igneo raptus est.

1° Sane adoptio hominum in filios Dei fit secundum quamdam imaginis conformitatem ad Filium Dei naturalem, *imperfecte* quidem per gratiam viæ, *perfecte* vero per glorian patriæ ; adeo ut imitandam illam Filii Dei dignitatem præcognoscere perutile sit planeque conveniens. Atqui primam gratiam per baptismum consequimur ; in transfiguratione autem revelata est claritas futuræ gloriæ. Ergo tam in baptismo quam in transfiguratione congruebat Christi naturalem filiationem hominibus manifestari testimonio Patris dicentis : *Hic est Filius meus dilectus* etc.— Quod quidem in utroque adventu factum est parallela *Trinitatis* demonstratione : sicuti enim in baptismo, ita et in transfiguratione apparuit Pater in voce, Filius in homine, Sp. Sanctus vero (loco columbæ) visus est in nube lucida obumbrante discipulos electorumque protectionem contra adversa quæque designante.

2° « Conveniens fuit discipulos voce paterna *terreri* et prosterni ut ostenderetur quod excellentia illius gloriæ, quæ tunc demonstrabatur, excedit omnem sensum et facultatem mortalium... Ab hac autem fragilitate sanantur homines per Christum, eos in gloriam adducendo ; quod significatur per hoc quod dixit eis : *Surgite, nolite timere* » (resp. ad 4).

DISPUTATIO NONA

DE EXITU CHRISTI AB HOC MUNDO

Christo, rationalium creaturarum capiti, tria attribuuntur munera præcipua, scil. *Doctoris*, *Sacerdotis* et *Regis*.— Atque *Doctor* ille seu propheta e cœlo profectus, quanta scientiæ laude, quanta docendi vi, auctoritate, nobilitate præstiterit, satis a nobis supra exploratum est ; qui per totum vitæ suæ sive privatæ sive publicæ curriculum, et de imo antri bethlehemitici et de alta crucis cathedra, verbis et factis, documentis et exemplis, hominum mentes instruxit et collustravit. — Pari dignitate mediator fuit Christus, *Sacerdos* et Redemptor, quatenus gratiam humanæ salutis, inchoative quidem singulis suis actibus, at consummative passionis merito et mortis sacrificio liberaliter procuravit.— *Rex* tandem, omnium præstantissimus, in eo manifeste agnoscitur quod Ecclesiam, doctrinæ custodem gratiæque dispensatricem, legibus constituerit, sacramentis muniverit, jugique (quem visibiliter Papa exserit) influxu potestatis illam gubernet, jam Patri in cœlis conregnans cunctosque homines judicaturus.

Modo, pro instituti ordine et exigentia, declarandum aggredimur *Redemptionis* opus ac mysterium quo Christus patiens et moriens supremo Mediationis et Sacerdotii munere naturam humanam, protoparentum casu collapsam, restaurare dignatus est (quam tractationem moderni vocant *Soteriologiam*).— Eo in proposito, quinque quæstiones ad trutinam theologicam vocabimus : *primam* de passione Christi ; *secundam* de causa passionis ; *tertiam* de passionis effectu seu fructu ; *quartam* de morte et sepultura Christi ; *quintam* de ejus descensu ad inferos.

QUÆSTIO PRIMA

DE PASSIONE CHRISTI

Passionis nomine hic intelliguntur non ea quæ Christus ab ipsa nativitate et per varias laboris et egestatis vices perpessus effertur, sed persecutiones et dolores quibus usque ad mortem dire vexatus et obrutus est ; — quæ quidem passio quadrupliciter spectari potest, et secundum *necessitatem* (art. 1), et secundum *convenientiam* (art. 2), et secundum *magnitudinem* (art. 3), et secundum temporis, loci ac personarum *circumstantias* (art. 4). Patet dicendorum ordo.

ARTICULUS I.

De necessitate passionis.

(Q. XLVI, aa. 1-2)

Occasio articuli desumpta videtur tum ex Scriptura sæpius edicente quod *oportuit* Christum pati, tum ex gradu præcipuo quem passio Salvatoris tenet in toto christiano systemate et œconomia salutis.— Idcirco magni refert statim ab initio constituere quodnam *necessitatis* genus passioni illi salutiferæ tribui valeat.

Conclusio 1ª.— CHRISTUM PATI NON FUIT NECESSARIUM INTRINSECE SEU METAPHYSICE; FUIT TAMEN NECESSARIUM EXTRINSECE, NON EX CAUSA MOTIVA DETERMINANTE, SED EX FINE UTCUMQUE EXIGENTE (art. 1).— Tres accipe partes.

1ª *Pars* ullo vix negotio suadetur : nam necessarium *intrinsece* seu *metaphysice* dicitur quod secundum suî naturam impossibile est aliter se habere. Atqui perspicuum est neque ex principiis essentialibus Dei, neque ex natura hominis passionis mysterium necessario consequi. Ergo.

2ª *Pars* eadem evidentia claret ; siquidem nec Deus, qui nequit cogi, stringente necessitate Christum pati definivit, nec ipse Christus coactionem in patiendo subiit quæ voluntati suæ electivæ repugnaret : voluntarie enim passus est.

3ª *Pars* concedit aliqualem necessitatem secundum *finem ;* quæ quidem triplici ex capite evinci potest : — 1° *Ex parte*

hominum ; hos enim quodammodo necessarium fuit per Christi passionem liberari, juxta illud (Joan. III, 14-15) : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari* (in cruce) *oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*— 2° *Ex parte Christi,* qui per humilitatem passionis meruit sublimationis gloriam ; unde dicitur (Luc. XXIV, 26) : *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?* — 3° *Ex parte Dei,* qui Domini passionem, in Scripturis prænuntiatam et in observantia V. L. præfiguratam, implendam definiverat ; et hoc est quod profertur (Luc. XXII, 22) : *Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit ;* et (*ibid.* XXIV, 44-46) : *Necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et psalmis de me... Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati.*

Conclusio 2ª.— NECESSITAS FINIS PASSIONEM CHRISTI EXIGENTIS NON FUIT ABSOLUTA, SED SUPPOSITIONIS TANTUM NECNON CONGRUENTIÆ (art. 2).

1ª *Pars* facile declaratur.

Et 1° simpliciter et *absolute* loquendo possibile fuit Christo hominem liberare *aliter quam per passionem.*— *a*) Operibus enim quibuscumque, imo *uno* caritatis *actu promereri* poterat salutem totius humani generis.— *b*) Nec Dei justitia omnino requirebat ut per opera pœnalia *satisfactio* pro peccatis exhiberetur : quemadmodum enim homo, remittens absque satisfactione offensam in se commissam, misericorditer at non injuste agit, ita Deus nemini injuriam fecisset peccata in se perpetrata impune condonando.

Item 2° ad ipsam satisfactionem pro peccatis necessaria non erat teterrima *mortis passio,* una etiam sufficiente Salvatoris lacryma.— Nam *a*) « injuria vel passio alicujus mensuratur ex dignitate personæ ; majorem enim injuriam patitur rex si percutiatur in facie, quam aliqua privata persona. Sed dignitas personæ Christi est infinita, quia est persona divina. Ergo *quaelibet passio* ejus, quantumcumque sit *minima,* est infinita ; quælibet ergo passio ejus *suffecisset* ad redemptionem humani generis, etiam sine morte » (*S. Th.* Quodl. II, Q. I, a. 2).— *b*) « Præterea, Bernardus dicit quod *minima gutta sanguinis* Christi suffecisset ad redemptionem humani generis. Potuisset autem aliqua gutta sanguinis Christi effundi sine morte. Ergo etiam sine morte potuisset per aliquam passionem humanum genus redimere» (*ibid.*).

2ª *Pars* habet passionem Christi fuisse necessaria m ex suppositione et congruentia, juxta verba Christi patientis (Matth. XXVI, 42) : *Si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.*

1° *Ex suppositione.* Impossibile enim est Dei præscientiam falli et ejus voluntatem seu dispositionem cassari. Atqui prædefiniverat Deus ab æterno ut omnia Christi merita ejusque antecedentes satisfactiones ad redimendum humanum genus *non deputarentur* nisi suprema passio et mors, quasi omnium passionum et meritorum consummativa, accederet. Ergo.— 2° *Ex congruentia ;* medium enim ad finem necessarium dici potest non solum illud sine quo finis non attingitur, sed etiam illud, quo deficiente, *non tam convenienter* finis obtinetur. Hujusmodi autem fuit passio Christi respectu humanæ salutis (prouti in art. seq. proxime ostendetur. Ergo.

ARTICULUS 11.

De convenientia passionis et supplicii Crucis.

(Art. 3-4)

1° « Si quid aliud humanæ menti et intelligentiæ difficultatem affert, certe *crucis mysterium* omnium difficillimum existimandum est, vixque percipi a nobis potest, salutem nostram ex cruce ipsa, et ex eo qui pro nobis ligno illi affixus est, pendere. Sed in hoc, ut docet Ap. (1 Cor. I, 21), summam Dei providentiam licet admirari : *Nam, quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* »(Catech. Trid. P. I, a. 4, n. 5).

2° Porro præter ea quibus inde a tractatus exordio Incarnationem Verbi convenientissimam fuisse probavimus, aliæ suppetunt rationes ad demonstrandum convenientiam passionis, qua est passio et electum medium ad finem humanæ salutis.— Passio autem considerari potest vel *in genere*, vel *speciatim* secundum quod in cruce consummata est : hinc duo singillatim concludenda.

Conclusio 1ª.— PASSIO CHRISTI, PRÆ CÆTERIS MEDIIS, CONGRUENTISSIME ELECTA EST AD LIBERATIONEM HOMINUM (art. 3).

Enim vero modus ad assequendum aliquem finem tanto convenientior est, quanto per ipsum plura fini expedientia

concurrant. Atqui per Christi passionem multa humanæ saluti utilia, sive ad faciendum bonum, sive ad superandum malum, concurrerunt quæ in quolibet alio medio liberativo deessent : ergo.

Prob. min : — *a*) nam *primo* per hoc Deus majorem homini caritatem et misericordiam ostendit quam si sola voluntatis benignitate ejus peccata dimisisset. Homo vero, tanto beneficio permotus, vehementius provocatur ad Deum diligendum, in quo perfectio humanæ salutis consistit ; unde ait Ap. (Rom. V, 8-9) : *Commendat caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus... Christus pro nobis mortuus est.*— *b*) *Secundo* Christus patiens singularissimum nobis dedit exemplum obedientiæ, humilitatis, justitiæ, constantiæ, aliarumque virtutum humanæ saluti deservientium[1] ; cujus exempli vis et meditatio non solum martyribus, sed et sanctis omnium temporum principium fuit calcandi mundi delicias altioraque petendi per viam asperam perfectionis cacumina ; unde dicitur (1 Pet. II, 21) : *Christus passus est pro nobis, vobis reliquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*— *c*) *Tertio* Christus per acerbissimam suam passionem ea ratione pro nobis satisfecit gratiæque et gloriæ dona promeruit quæ secundum *genus operis* proportionaretur immensis peneque infinitis hominum iniquitatibus atque necessitatibus.— *d*) *Quarto* per hoc major est inducta homini necessitas præcavendi peccatum, qui se a peccato redemptum cogitat pretioso Christi sanguine, secundum illud (1 Cor. VI, 20) : *Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.*— *e*) *Quinto* per passionem Hominis-Dei factum est ut homo qui, victus a diabolo, mortem meruerat, ipse sustinendo abjectionem et mortem diaboli superbiam vinceret mortemque superaret, adeoque propria veluti manu, justitiæ armis instructa, sceptrum inimicum confringeret ; quod commendat humanam dignitatem. Unde dicitur (1 Cor. XV, 57) : *Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum Nostrum Jesum Christum.*

[1] — Juxta *Catech. Trid.* (P. I, art. IV, n. 26), dicere possumus « Salvatorem nostrum, *quaecumque* vitæ *praecepta* toto praedicationis suae tempore verbis nos docuit, ea omnia uno passionis die *in seipso expressisse* ».— Iure *S. Bernardus* (Serm. *de Pass. Dom.* n. 1) : « Quis tam irreligiosus, qui non compungatur ? quis tam insolens, ut non humilietur ? quis tam iracundus, ut non indulgeat ? quis tam deliciosus, ut non abstineat ? quis tam flagitiosus, ut non contineat ? quis tam malitiosus, ut non poeniteat his diebus ? Merito quidem. Nempe adest passio Domini, usque hodie terram movens, petras scindens, aperiens monumenta ».

Conclusio 2ª.— CONVENIENTISSIMUM FUIT CHRISTUM PATI CRUCIS SUPPLICIUM (art. 4) ; — quod duplici ex capite ostendemus, scil. ex septem facti rationibus et ex septem verbis a Domino moriente prolatis.

1° Ex *rationibus facti ;* quarum duæ petuntur ex *genere mortis*, quatuor ex *forma crucis*, postrema ex *figuris*,— *a*) Congruebat primum *genus* illud supplicii *instructioni hominis ;* quippe huic ad rectam vitam opus est nec mortem nec ullum mortis genus horrescere, de eoque expediebat haberi ipsum Christi exemplum. Porro inter omnia mortis genera nihil erat *formidabilius*, nec præsertim *execrabilius* supplicio crucis solis olim mancipiis seu servis reservato. Ergo.— Secundo supplicium hoc congruebat etiam *operi Redemptionis ;* quatenus, sicuti homo pomum ligni vetiti sumens peccaverat, ita per Christum arbori crucis affixum a peccato liberaretur, unde diabolus « qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur » (Præf. *de Pass.*).

b) *Forma* ipsa crucis maxime est idonea fovendis in homine virtutibus fidei, spei, aliisque.— Per hoc enim quod sanctum illud patibulum et terram tangit et in aërem erigitur, persuasum habemus cuncta elementa fuisse contra dæmonum infestationes purgata et veluti consecrata.— Christus quoque in alto moriens ascensum nobis in cœlum parare videtur, secundum illud (Joan. XII, 32) : *Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.*— Item, figura crucis, a centro in quatuor extrema partita, apte significat providentiam ejus qui in ea pependit, ubique diffusam, cunctosque populos uno caritatis amplexu contingentem.— Amplius (secundum mysterium latitudinis, longitudinis, altitudinis, et profundi) « in homine crucifixo pulchre relucet typus hominis Christiani, qui ad bona opera extendit manus suas, per patientiam et longanimitatem persistit in laboribus hujus vitæ, per spem futurorum bonorum emergit supra mundum et per occultam Dei gratiam sustentatur ne succumbat » (*Billot* in h. loc. ex *S. Aug.* ep. 150, n. 64)[1].

c) Tandem, lignum Crucis, in quo Christus passus est, plurimis respondet *figuris* ; eas Auctor ex traditione recitat :

[1] — Meditare, lector, verba libelli aurei *de Imit. Chr.* l. II, c. 12 : « In cruce salus, in cruce vita, in cruce protectio ab hostibus ; — in cruce infusio supernæ suavitatis, in cruce robur mentis, in cruce gaudium spiritus : — in cruce summa virtutis, in cruce perfectio sanctitatis.— Non est salus animæ, nec spes aeternae vitae, nisi in cruce.— Tolle ergo crucem tuam, et sequere Jesum, et ibis in vitam æternam ».

« De diluvio aquarum humanum genus *arca lignea* liberavit ; de Ægypto Dei populo recedente, Moyses mare *virga* divisit, et Pharaonem prostravit, et populum Dei redemit ; idem Moyses *lignum* in aquam misit, et amaram aquam in dulcedinem commutavit ; et *ligneâ virgâ* de spirituali petra salutaris unda profertur ; et ut Amalech vinceretur, circa *virgam* Moyses expansis manibus extenditur, et lex Dei *arcae* Testamenti creditur *ligneae*, ut his omnibus ad lignum crucis, quasi per quosdam gradus, veniatur ». (Cf. Suarez in Q. XLVI, a. 4).

2° Ex *septem verbis* quæ Christus e cathedra crucis protulit, quæque gravissimis documentis referta sunt.— 1^{um} verbum est (Luc. XXIII, 34) : *Pater, dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt ;* ubi Christus sublimi exemplo nos edocet caritatem erga inimicos. — 2^{um} verbum est (*ibid.* v. 43) : *Amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso ;* quâ sententiâ Salvator, latroni pœnitenti beatitudinem promittens, homines præclare instituit de misericordia erga miseros.— 3^{um} verbum habetur ad Mariam et Joannem (Joan. XIX, 26-27) : *Ecce filius tuus. . . Ecce mater tua ;* ex quo, præter alia, discimus quodnam incumbat pietatis officium parentibus erga filios et filiis erga parentes. — 4^{um} verbum sequitur (Matth. XXVII, 46) : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ;* qua voce voluit Christus excessum suæ passionis et afflictionis declarare, subindeque nos ad fugam sæcularium deliciarum et ad amorem compassionis erga tam devotum Amicum excitare. — 5^{um} verbum refertur (Joan. XIX, 28) : *Sitio ;* quod non solum de sitis corporeæ cruciatu intelligendum est, sed et de desiderio, quo flagrabat Christus, gloriæ Dei et salutis hominum ; cujus exemplo nos ad similem benevolentiæ ac zeli amorem erga Deum provocamur. — 6^{um} verbum legitur (*ibid.* v. 30) : *Consummatum est*, scil. Scripturas implevi, opus Redemptionis perfeci, passione victoriam de diabolo reportavi ; qua recordatione nihil efficacius ad amorem gratitudinis erga Salvatorem in humanis cordibus gignendum aut confirmandum. — 7^{um} verbum esto (Luc. XXIII, 46) : *Pater in manus tuas commendo spiritum meum ;* quo Christus, se suamque vitam Patri committens, nos edocet amorem conformitatis ac fiduciæ quem paternæ Dei providentiæ debemus[1].

[1] — Ampliora de hoc argumento legi possunt penes Bellarminum, Opusc. *De septem verbis a Christo in cruce prolatis ;* ubi varii fructus singulorum verborum pie recensentur.

ARTICULUS III.

De magnitudine passionis.

(Art. 5-8)

1° D. Thomæ voce planeque mirandis documentis et sententiis introducimur ad contemplandum ac (si fieri posset) ad dimetiendum doloris abyssum, in quam Deus Pater dilectum Filium suum pro nobis humanatum prolabi permisit, imo et constituit. Hæ sane de passione Christi doctrinæ quam proficuæ sint, quam efficaces in hortandis ad virtutem populis, quam uberum salutis fructuum feraces, nemo est qui non perspexerit.

2° Clare liquet *passionem* hic sumi, non communiter pro qualibet mutatione, sed *proprie* pro abjectione dispositionis convenientis. Porro (ait *Cajetanus* in art. 5) « sunt duo genera passionum. Quædam *spirituales*, ut decipi, privari virtute et hujusmodi ; quæ longe fuerunt a Christo, quia derogarent perfectioni animæ ipsius. Quædam *corporales*, et hæ sunt duplices : quædam *ab intrinseco*, ut ægritudines corporales ; et de his non est quæstio quia non decuit Christum infirmari, sed sat fuit ab intrinseco habere passiones naturales absque ægritudine, ut famem, sitim, lassitudinem quoad corpus, et tristitiam, timorem et hujusmodi quoad partem sensitivam animæ. Quædam vero *ab extrinseco*, sive sint pure corporales, ut flagellatio, confossio et hujusmodi, sive aliqualiter spirituales, ut infamari et hujusmodi ; et similiter, sive extrinsece, ut spoliari et hujusmodi, sive intus, ut tristari ex sensatis et objectis. De his enim quæ ab extrinseco inferri possunt passionibus, absque spirituali damno in anima patientis, quæstio est.»

3° Magnitudo passionum Christi spectari potest aut secundum *vim ipsam passionum*, aut secundum rationem *subjecti patientis ;* primo modo, tum *extensive*, tum *intensive :* quam ob rem tres statuendæ sunt conclusiones.

Conclusio 1ª.— CHRISTUS PASSUS EST, NON QUIDEM OMNEM SPECIEM, SED OMNE GENUS PASSIONIS HUMANÆ (art. 5).

1ª *Pars* evidens est ; siquidem species passionum in infinitum multiplicari possunt, multæque sibi invicem contrariantur, ut combustio in igne et submersio in aqua.— Ubi (cum *Suarezio*) memoratam volumus blasphemiam *Calvini*

aliorumque hæreticorum ponentium Christum pertulisse cruciatus etiam morales damnatorum ; quod ejus sanctitati et felicitati spirituali plane repugnat.

2ª *Pars* ab Auctore adeo pulchra expositione evolvitur ut satius sit propria ejus verba, ne deflorentur, referre. Ait ergo *generalitatem* passionum Christi considerari posse tripliciter : — « *a) Uno modo* ex parte *hominum a quibus passus est.* Passus est enim aliquid et a gentilibus et a Judæis, et a masculis et a fœminis, ut patet de ancillis accusantibus Petrum. Passus est etiam et a principibus, et a ministris eorum, et a popularibus, secundum illud (Ps. II, 1-2) : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus.* Passus est etiam a familiaribus et notis, sicut patet de Juda eum prodente et Petro ipsum negante.— *b) Alio modo* patet idem ex parte *eorum in quibus homo potest pati.* Passus est enim Christus in suis amicis eum deserentibus ; in fama per blasphemias contra eum prolatas ; in honore et gloria per irrisiones et contumelias ei illatas ; in rebus per hoc quod etiam vestibus spoliatus est ; in anima per tristitiam, tædium et timorem ; in corpore per vulnera et flagella.— *c) Tertio,* potest considerari quantum ad *corporis membra.* Passus est enim Christus in capite pungentium spinarum coronam ; in manibus et pedibus fixionem clavorum ; in facie alapas et sputa, et in toto corpore flagella. Fuit etiam passus secundum omnem sensum corporeum : secundum tactum quidem, flagellatus et clavis confixus ; secundum gustum, felle et aceto potatus ; secundum olfactum, in loco fœtido cadaverum mortuorum, qui dicitur calvariæ, appensus patibulo ; secundum auditum, lacessitus vocibus blasphemantium et irridentium ; secundum visum, videns matrem et discipulum *quem diligebat* flentes.» — Ita Christus (apposite notat *Cajet.* in h. l.) universos dolores quodammodo *deificavit,* ut quæ naturaliter exosa et fugibilia sunt, tanto exemplo desiderabilia fierent super aurum et lapidem pretiosum et dulciora super mel et favum.

Conclusio 2ª.— Uterque Christi dolor, exterior scil. et interior, fuit maximus inter dolores præsentis vitæ (art. 6).— Dico : inter dolores *praesentis vitæ,* ne comparatio fiat cum dolore alterius vitæ et statûs.

Prob. concl. quadrupliciter.

1° Ex *causis doloris.*— Nam *doloris exterioris* causa fuit læsio corporalis. Atqui hæc læsio in Christo summam acer-

bitatem habuit, tum propter generalitatem suam, nam *a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas* (Is. I, 6) : tum propter genus supplicii Christo inflictum : quippe crucifixioni atrocitas per se inest et ex nervositate ac sensibilitate maxima partium confixarum, seu pedum et manuum, et ex pondere corporis continue dolorem augente et ex diuturnitate tormenti.— *Interioris* autem Christi *doloris* seu *tristitiae* vehementia incredibilis merito repetitur *a) primo* ex peccatis tam multis, tam gravibus humani generis, pro quibus sibi apprime notis satisfaciebat perinde ac essent sua, juxta illud (Ps. XXI, 1) : *Longe a salute mea verba delictorum meorum ; b) secundo* specialiter es deicidio Judæorum Salvatorem insectantium præcipueque ex discipulorum infidelitate et fuga ; *c) tertio* ex amissione vitæ corporalis quam Christi humanitas, pro æstimatione tanti boni, naturaliter ingentique repulsu abhorrebat.

2° Ex *subjecto doloris*.— Eo enim acutiores doloris stimuli sentiuntur quo subjectum patiens majori sit perceptibilitate præditum. Atqui perceptibilitas Christi patientis quam maxima fuit et secundum *corpus* optime complexionatum, utpote ipsa Spiritus Sancti operatione formatum, ideoque sensui tactus, quo percipitur dolor, adaptatissimum, et secundum *animam* cujus vires interiores efficacissime poterant omnes tristitiæ causas apprehendere. Ergo.

3° Ex *indole doloris*.— In aliis enim patientibus mitigatur pressurarum acerbitas virtutis ac rationis influxu directo vel indirecto : « sanctis hominibus, quicumque supplicia et cruciatus pertulerunt, non defuit animæ solatium divinitus datum, quo recreati tormentorum vim æquo animo ferre possent ; imo vero in cruciatibus plerique intimâ lætitiâ efferebantur ; inquit enim Ap. (Coloss. I, 24) : *Gaudeo in passionibus pro vobis* etc. Verum Christus Dominus amarissimæ passionis calicem, quem bibit, nulla suavitate permixta temperavit ; humanæ enim naturæ, quam assumpserat, sentire omnia tormenta permisit, non secus ac si homo, non etiam Deus fuisset » (*Catech. Trid.* P. I, art 4, n. 22).

4° Ex *fine doloris*.— In hunc enim finem Christus ultro se dolori subjecit, ut humanum genus a peccato liberaret ; unde tantam doloris quantitatem assumpsit, quanta fructui desiderato responderet. Atqui fructus iste omni calculo major est : ergo et ipse dolor.— Quibus ex causis *simul consideratis* manifeste apparet incomparabilis passionis Christi intensitas, effatique biblici phophetica veritas (Thren. I, 12) : *Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.*

Conclusio 3ª.— SI CONSIDERETUR PASSIO ANIMÆ CHRISTI EX PARTE SUBJECTI, SIC TOTA ANIMA PATIEBATUR ET SECUNDUM ESSENTIAM ET SECUNDUM POTENTIAS ; SI VERO CONSIDERATUR EX PARTE OBJECTI, SIC VIRES QUIDEM INFERIORES ANIMÆ PATIEBANTUR, NON TAMEN OMNIS POTENTIA, INCOLUMI MANENTE FRUITIONE PARTIS SUPERIORIS (art. 7-8).

1ª *Pars* ostend.— *a*) Etenim anima, qua informatur corpus passibile et dissolubile, patiente corpore et ipsa formaliter patitur. Atqui essentia animæ ita corpori conjungitur ut tota sit in toto et tota in qualibet parte ejus. Ergo tota anima Christi patientis *ratione essentiae* patiebatur.— *b*) Porro, in essentia animæ omnes potentias radicari philosophice exploratum est. Atqui patiente subjecto cui inest, necesse est ut potentia quodammodo patiatur. Ergo *omnes potentiae* animæ Christi aliqualiter, nempe *subjective*, passæ sunt.

2ª *Pars* prob.— Secundum illas vires Christus passione propria et simpliciter dicta patiebatur, quarum objecta poterant esse causa tristitiæ vel doloris. Atqui hujusmodi fuerunt *omnes vires inferiores* circa temporalia operantes, maxime visus et tactus, imaginatio et æstimativa, necnon ratio inferior[1] creatis rebus intendens ; quibus mala apprehendens tum sensibilia tum moralia, anima Christi angebatur tum in appetitu sensitivo, tum quoque in parte inferiori voluntatis. Ergo.

3ª *Pars* colligitur ex eo quod *ratio superior* in Christo visione Dei recreabatur, quæ sane non doloris, sed delectationis et gaudii causa existebat. Nec enim fruitio ista ullatenus impediebatur per passionem virium inferiorum, sicut nec passioni quidquam solatii ex fruitione obveniebat. Quocirca Christi patientis humanitas non incongrue comparatur monti cuidam excelso, vertice quidem emicanti et sereno, pedibus vero caliganti et tenebrato.— Igitur Salvatoris anima fruebatur simul et patiebatur *absque contradictione*, tum secundum essentiam, prouti subjectum erat hinc superioris illinc inferioris partis, tum secundum potentias, in quantum gaudium et tristitia vel non erant de eodem, vel non secundum idem. « Sic, ait *Angelicus* Opusc. LIX, a. 18, de eisdem (defectibus seu peccatis) de quibus Christus dolebat secundum sensum, et imaginationem, et rationem inferiorem, secundum rationem superiorem gaudebat, in quantum ea *ad ordinem divinae sapientiae* referebat.»

[1] — De distinctione inter rationem inferiorem et superiorem, cf. *Sum. th.* I, Q.LXXIX, a. 9.

Solv. obj. (cont. 2am concl.) — Obj. 1.— Virtus mentis tristitiam mitigat. Atqui fuit in Christo virtus perfectissima. Ergo.

Resp. *D. M...* quomodocumque, *N* ; secundum regulam rationis qua in passionibus quantitas proportionis constituitur, *C.— D. m :...* et ideo tristitiam assumpsit quæ regulam rationis non excederet, *C ;* ratio in Christo non exigebat maximam tristitiæ quantitatem, peccatorum expiandorum universitati respondentem, *N. — Neg. conseq.*

Obj. 2.— Majoris boni amissio gignit majorem dolorem. Atqui peccator se privando vita gratiæ majus bonum amittit quam Christus perdendo vitam naturæ. Ergo etc.

Resp. *C. M.— D. m :...* et Christus doluit tantum pro amissione vitæ suæ corporeæ, *N ;* doluit etiam pro amissa in hominibus vita gratiæ, et quidem dolore eo acerbiori quo ex majori sapientia et caritate ortus circa innumera simul peccata existeret, *C.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Innocentia patientis dolorem minuit. Atqui Christus innocenter passus est. Ergo.

Resp. *D. M :...* eo sensu quod deest morsus culpæ propriæ, *C ;* quasi patienti innocentiam suam apprehendenti nocumentum pœnæ, utpote indebitum, non sit longe gravius, *N. — C. m.— Neg. conseq.*

Obj. 4.— In his quæ Christi sunt, nihil fuit superfluum. Atqui minimus dolor ex infinita Christi dignitate suffecisset ad salutem humanam. Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :...* secundum absolutum valorem, *C ;* secundum humanorum operum proportionem cum immensis naturæ lapsæ debitis, *N.— Neg. conseq.*[1]

ARTICULUS IV.

De circumstantiis passionis.

(Art. 9-11)

Permulta, eaque non inutilia, passionis Christi adjuncta in quæstionem vocari possunt ac reapse penes plures auctores[2] fusiori calamo tractantur ; de quibus tria tantum, prout nostro congruit proposito, attingemus. Videlicet de *tempore* pas-

[1] — In prædicanda passione Christi excelluit magnus orator gallicus *Bossuet ;* vid. ejus sermones de hoc argumento.

[2] — Vid. Suarez et Billuart in h. quæst ; — Knabenbauer, *Comm.* in Evang. etc.

sionis Christi, de ejus *loco* ac de crucifixionis *comitibus* summatim dicemus.

Conclusio 1ª.— CHRISTUS CONVENIENTI ÆTATIS ANNO ANNIQUE TEMPORE PASSUS EST (art. 9.)

1a *Pars* de *aetate* (hæc fuit circiter 33 annorum) tribus persuadetur : — 1° quia vitam suam pro nobis dando in eo statu quo perfectior erat, Christus magis dilectionem suam erga homines commendavit.— 2° Quia non congruebat ut in eo senilis naturæ diminutio, sicut nec morbus, appareret. — 3° Quia in plena floridaque ætate moriens et resurgens, jam in seipso futuram resurgentium qualitatem præmonstrabat (resp. ad 4).

2ª *Pars* de *anni tempore* (quatenus præcise determinari velit) magnis implexa est difficultatibus quæ diu exercuerunt atque etiamnum exercent scriptorum catholicorum aciem, Non vacat in iis immorari, sed unum generalius, reliquis supersedentes, proferemus.— Passio Christi figurabatur per immolationem Agni paschalis, juxta illud Ap. (1 Cor. V, 7) : *Pascha nostrum immolatus est Christus ;* quandoquidem in veteri Paschate celebrabatur memoria liberationis Judæorum a servitute Ægypti, Christus autem quasi Agnus in cruce occisus per mortem suam homines a servitute peccati liberavit. Atqui agnus paschalis immolabatur quarta decima die primi mensis, nomine Nisan, ad vesperam (Exod. XII, 6). Ergo conveniens fuit ut Christus circa idem tempus (quidquid sit de exacta die vel hora) pateretur.

Conclusio 2ª. — CONVENIENTER CHRISTUS PASSUS EST IN JERUSALEM, MORTEMQUE OBIIT EXTRA PORTAM, IN CALVARIÆ LOCO (art. 10).

1ª *Pars* prob.— 1° *Jerusalem* locus erat a Deo electus ad *sacrificia* sibi offerenda ; hæc autem antiqua sacrificia præfigurabant sacrificium Crucis.— 2° Virtus passionis Christi de urbe illa veluti *de centro* quodam geographico et ethnologico ad totum mundum erat diffundenda.— 3° Maxime conveniebat *humilitati* Christi ut, sicut turpissimum genus mortis elegerat, ita in loco tam celebri pati non recusaret. — 4° Per hoc quoque ostendebatur Deicidii scelus ortum ducere ab ambitione et invidia *principum* populi Judaïci, in urbe Jerusalem morantium.

2ª *Pars* ostend.— Et 1° figuræ figurato respondente, sicuti olim vitulus et hircus, qui solemnissimo sacrificio ad expiationem totius multitudinis offerebantur, *extra castra* combu-

rebantur (Levit. XVI, 27), ita *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est* (Heb. XIII, 12).— 2° Sic nobis perhibetur exemplum exeundi a mundana conversatione sectandique viam dolorosam ; *exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes* (Heb. XIII, 13.)— 3° Juxta *Leonem M.* (serm. VIII de Pass., c. 5), Christus non in templo, sed foris et extra castra crucifixus est, ut « nova hostia novo imponeretur altari, et crux Christi, non templi esset ara, sed mundi.»

3ª *Pars* additur de *loco Calvariae ;* cujus denominationis ratio diverse assignatur (Knabenbauer in Matth.). — *Multi* enim antiqui volunt locum illum sic appellandum, quia ibi primi hominis sit conditum caput ; *alii*, quia ibi damnatorum capita truncarentur et crania jacerent ; *alii*, quia locus formam haberet cranii. In quacumque hypothesi congrue Christus ibi crucifixus est qui fuit secundus Adam, damnatorum hominum Redemptor, et totius humanitatis regeneratæ caput.

Conclusio 3ª.— NON SINE DIVINO CONSILIO FACTUM EST UT JUDÆI PERMITTERENTUR CHRISTUM CUM LATRONIBUS CRUCIFIGERE (art. 11).

Triplex enim symbolum vel mysterium in hoc deprehenditur : — 1ᵘᵐ est mysterium *humiliationis*, quatenus Christus non solum in se suscepit *maledictum* crucis (Gal. III, 13), sed et inter sceleratos quasi sceleratus crucifigi voluit, ut nos de maledicto peccati redimeret.— 2ᵘᵐ est mysterium *gratiae* et *praedestinationis*, gratiæ omnibus sufficienter concessæ, prædestinationis vero qua unus, alio resistente, justificatur secundum dexteræ sinistræque divisionem.— 3ᵘᵐ est mysterium *ultimi judicii :* tribunal enim ipsa crux fuit tunc ignominiosa, nunc gloriosa ; judex, Christus in cruce pendens ; salvandi et damnandi homines figurati sunt per latrones oppositi animi contrariæque positionis et sortis.

QUÆSTIO SECUNDA

DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI.

Quæstionem de passione Christi secundum se inspecta excipit altera de ejus *causa* effectrice ; quæ causa tripliciter considerari potest, nempe aut ex parte *Christi* ipsius (art. 1), aut ex parte *Dei Patris* (art. 2), aut ex parte *persecutorum* Salvatoris (art. 3).

ARTICULUS I.

Utrum Christus sibi ipsi obedientiaeque motivo mortem pepererit.

(Q. XLVII, aa. 1-2)

Geminum hoc titulo dubitationis momentum continetur, scil. *an* Christus suæ mortis *causa* quodammodo exstiterit et utrum ex motivo *obedientiæ* (de quo specialis difficultas est) mortem voluntariam passus fuerit.— Causa autem alicujus effectus duplex esse potest, directa et indirecta : *directa* quidem, quæ per se in effectum influit ; *indirecta* vero, quæ illum non impedit, cum impedire possit. Persecutores Christi directe eum occidisse in manifestis est, quia *sufficientem* ei mortis causam intulerunt *intentione* atque *effectu* secuto perfectam. Quid autem de Christo ? num seipsum aliqualiter morti tradiderit ?

Conclusio 1ª. — CHRISTUS INDIRECTE FUIT CAUSA SUÆ PASSIONIS ET MORTIS (art. 1) ; — ubi Dominus ut *homo* spectatur.

Prob.— 1° Ex *Scriptura* (Joan. X, 18) : *Nemo tollit eam* (animam meam) *a me* (scil. me invito), *sed ego pono eam a meipso ;* et (Eph. V, 2) : *Tradidit semetipsum pro nobis ;* quæ cum non possint intelligi de causalitate directa, ut evangelica passionis historia demonstrat, de indirectâ accipienda sunt.

2° *Ratione.*— *a*) Poterat Christus passionem suam et mortem impedire, sive adversariorum velle aut posse cohibendo, sive naturam suæ carnis contra quodcumque læsivum tuendo. Atqui de facto, nedum ejus anima a proprio corpore nocumentum illatum repulerit, minitanti morti animo libenti succubuit, præferens vitæ corporis animarum salutem. Ergo. Circa *maj.* notetur (ex *Cajetano* contra Scotum in h. l.) potestatem illam tribui animæ Christi, non secundum virtutem propriam in ipsa manentem, sed secundum virtutem *instrumentalem* quam a Verbo sibi unito participabat [1] ; sic enim, i. e. ut organum Verbi, poterat et voluntates persecutorum immutare et eorum potestatem refrænare et carnem suam ne læderetur a flagellis cæterisque læsivis conservare.— *b*)

[1] — Cf. Supra, Disp. III, Q. V, aa. 2-3.

Conf. arg. Nam, ut Christus ostenderet violentiam sibi illatam non prævalere contra voluntatem suam sed ei obsequi, corpus suum extenuatissimum in eo tamen vigore conservavit, ut etiam in extremis positus voce magna clamare valeret ; quod miraculosum visum est : siquidem *videns Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat* (Marc. XV, 39).

Conclusio 2.ª — PATRIS MANDATO ET LEGI OBSEQUENS, CONVENIENTISSIME CHRISTUS EX OBEDIENTIA PASSUS EST (art. 2).

1ª *Pars* est de Patris *mandato* et *lege*, cui Christus obtemperavit.— Mandatum hoc moriendi non uno modo a theologis intelligitur : *alii* enim (ut Billot, th. 29) negant fuisse præceptum *proprie* dictum ; *alii* ponunt præceptum vagum et dependens a Christi consensu ; *alii* illud coarctant ad mortis substantiam, exclusis circumstantiis. Nos (quod *D. Thomae* consonum putamus) tuemur præceptum verum, absolutum et generale.

1° Etenim suppetunt expressa *Scripturae* verba, quæ non sunt arbitrario a proprio sensu derivanda ; sic dicitur (Joan. X, 18) : *Hoc mandatum accepi a Patre meo*, scil. ponendi animam et sumendi eam. (*Ibid.* XIV, 31) : *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio ;* et (XV, 10) : *Si praecepta mea servaveritis... sicut et ego Patris mei praecepta servavi*, ubi præcepta a Patre data æquiparantur præceptis quæ Christus, non improprie sane, Apostolis imposuit.— Præterea Christus *factus* est *obediens usque ad mortem* (Phil. II, 8) ; vera autem et proprie dicta obedientia pro objecto habet voluntatem præceptivam superioris (II-IIæ, Q. CIV). — Hinc *S. Thomas* (art. 2 ad 2) : « Obedientia, etsi importet *necessitatem respectu ejus quod praecipitur*, tamen importat voluntatem respectu impletionis præcepti. Et talis fuit obedientia Christi ». Quis dubiam Angelici mentem effabitur ?

2° Cum Auctore (resp. ad 1) merito colligitur Christum patiendo, se sacrificando, et satisfaciendo, omnia V. L. præcepta implevisse, tum *moralia* in amore Dei et proximi fundata, tum *caeremonialia* ad sacrificia et oblationes præsertim ordinata et sacrificii Crucis præfigurativa, tum *judicialia* reparandis injuriis præcipue destinata. Unde, cum in his tribus generice claudantur mandata cujuscumque juris, sive naturalis, sive divini ac positivi, patet quam vere Christus in sua passione *omnem justitiam* perfecerit.

2ª *Pars* de convenientia *obedientiae* in Christo patiente

(quæ sane alteram partem confirmat) ex tribus evincitur : — Nam 1° conveniebat justificationi humanæ ut, *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituantur multi* (Rom. V, 19).— 2° Expediebat hominem Deo reconciliari per sacrificium acceptissimum. Atqui sacrificia plurimum pretii mutuantur ex obedientia ipsis certe anteponenda, juxta illud (1 Reg. XV, 22) : *Melior est obedientia quam victimae.* Ergo. — 3° Hoc conveniens erat victoriæ, qua Christus de morte et auctore mortis triumphavit ; vincere enim obedientiæ partus est (Prov. XXI, 28) : *Vir obediens loquetur victoriam.*

Solv. obj.— Obj. 1 (cont. 1am concl.).— Qui per violentiam interimuntur, nequaquam sunt causa suæ mortis, Atqui Christus violentiam passus est. Ergo.

Resp. *D. M:* Qui per violentiam interimuntur, nec eam cohibere possunt... *C ;* qui per violentiam interimuntur, quam possent at nolunt reprimere... *N.* — *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2 (cont. 2am concl.).— Illud dicitur aliquis ex obedientia facere, quod facit ex necessitate præcepti. Atqui Christus non ex necessitate, sed voluntarie passus est. Ergo.

Resp. *D. M :*... quatenus necessitas præcepti objective et moraliter urgeat, *C ;* quasi hæc necessitas subjective et physice determinet, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

1° Conceditur præcepto inesse vim quamdam necessitantem, scil. ex parte *objecti* et moraliter, non vero ex parte *subjecti* et per modum formæ physice determinantis.— Porro 2° libertas, ad virtutem requisita, essentialiter reponitur in immunitate a necessitate subjectiva, quin tamen excludatur moralis necessitas legis impositæ.— Imo 3° eo securius libertas in finem propositum contendit quo lex seu præceptum determinatiorem et efficaciorem influxum exerceat.— 4° Igitur Christus moriens, moralique necessitati præcepti divini contra naturalem repugnantiam obsequens, et obedientiæ actum præstitit et liberrimum voluntatis arbitrium demonstravit.

Obj. 3.— Charitas excellentior est quam obedientia. Atqui Christus legitur ex charitate passus (Eph. V, 2). Ergo.

Resp. *D. M :*... ita ut una alteri connexa sit, *C ;* sine mutuo nexu et influxu, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Eadem ratione Christus passus est ex charitate et obedientia, quia et præcepta charitatis *ex obedientia* implevit et obediens fuit *ex dilectione* erga Patrem præcipientem.

ARTICULUS II.

Utrum Deus Pater tradiderit Christum passioni.

Passio Christi non solum ex *causis proximis* judicanda est, sed altius repetenda et secundum ipsum *supremae causae* influxum consideranda.

Conclusio.— Vere Deus Pater Christum Filium passioni tradidit.

1° Etenim *Sacrae Litterae* id expresse tradunt.— Legitur (Is. LIII, 8) : *Propter scelus populi mei percussi eum ;* et paulo ante idem propheta, cum Dominum plagis et vulneribus affectum prævideret, dixit (v. 6) : *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit ; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.*— Eamdem rem gravioribus etiam verbis expressit Ap. (Rom. VIII, 32) : *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

2° *Triplici ratione* intelligitur Deum Patrem morti tradidisse Filium.— *a*) Cumprimis enim æterna sua voluntate *praeordinavit* passionem Christi ad humani generis redemptionem, juxta illud (Is. LIII, 10) : *Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* Nam, licet passio ex nequitia Judæorum persequentium et corruptione naturæ mala sit, tamen secundum quod est in Christo patiente cum omnibus circumstantibus, scil. cum ejus caritate et vi sua salvifica, bona dicenda est (3 S. D. XX, Q. I, a. 5), ideoque hoc modo potuit sub voluntatem et præceptum Dei directe cadere.— *b*) Deus quoque Christo inspiravit, caritate ei infusa, generosam voluntatem patiendi pro nobis ; unde Salvator oblatus est, *quia ipse voluit* (Is. LIII, 7).— *c*) Amplius, Deus ex una parte permisit ut persecutores Christi, malis passionibus abrepti, contra eum verbis et factis insurgerent ; ex altera parte, nedum illum a passione protegeret, miserandum Filium, omni ope destitutum ,hostilibus manibus veluti exposuit. Unde ait Christus Pilato (Joan. XIX, 11) : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.*

Solv. obj.— Obj. 1.— Iniquum et crudele est hominem innocentem passioni et morti tradere. Atqui Deus nec iniquus nec crudelis est. Ergo.

Resp. *D. M :...* secundum absolutum Dei dominium, *N ;* secundum suavem Providentiæ dispositionem, *S. d :* tradere morti innocentem contra ejus voluntatem, *C ;* posita in eo voluntate patiendi et satisfaciendi pro aliis , *N.— C. m.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Non videtur quod aliquis a seipso et ab alio simul morti tradatur. Atqui Christus tradidit semetipsum pro nobis. Ergo.

Resp. *D. M :...* eadem ratione, *C ;* diversa ratione, *N.— D. m :...* scil. ut *Deus*, tradidit seipsum eadem voluntate et actione qua Pater tradidit eum, et ut *homo*, voluntate a Patre inspirata, *C ;* secus, *N.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Et Judas, et Judæi, et Pilatus vituperantur, quia, suo quisque modo, Justum tradiderint. Atqui repugnat quod Deus consortium habeat cun iniquitate. Ergo.

Resp. *D. M :. ..* quia justum tradiderint, Judas ex cupiditate, Judæi ex invidia, Pilatus ex timore Cæsaris, *C ;* quasi non licuerit illum ex caritate tradere, *N. — D. m....* consortium formale seu ex parte intentionis, *C ;* consortium materiale seu ex parte rei factæ, *N.— Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Quanam scientia et malitia Christi persecutores eum ad mortem dederunt.

(Art. 4-6)

Ex narratione evangelica compertum habemus mortis Christi facinus (a dæmone instigatum) fuisse a Judæis velut præcipuis *auctoribus* machinatum, quod et ipsi confessi sunt dicentes (Matth. XXVII, 25) : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros ;* gentiles vero, scil. Pilatum et milites, fuisse tanti sceleris *executores*.— Id vero mysterio non vacat ; quippe per hoc satis præfiguratus est effectus passionis, quæ primum apud Judæos salutis fructus ubertim peperit (Act. II-III), mox vero Judæis prædicantibus in ipsas gentes convertendas est collata.— Modo discutiendum proponitur, quonam *scientiae* et *malitiae* gradu persecutores Christi horrendum Deicidii crimen perpetraverint.

Conclusio 1ª.— Christum esse Messiam probabilius cognoverunt primates Judæorum, haud plene tamen po-

PULARES SEU PLEBEII ; NEUTRI VERO EUM UT FILIUM DEI AGNOVISSE VIDENTUR (art. 5).

1ª *Pars* explicite ab auctore traditur , nec sine fundamento. Nam *principes* populi Scripturas noverant ; vitam, miracula, doctrinamque Christi perspiciebant ; unde pronum erat ut ex tot signis sagaciores saltem colligerent eum esse Messiam in Lege promissum, licet ignorarent *qualiter* Messiæ munus consummaturus esset.— *Populares* vero seu plebeii, quibus Scripturæ mysteria impervia erant, vix dubitative (paucis exceptis) ad hanc notitiam devenerunt ; et si qui aliquando signorum Christi multitudine doctrinæque efficacia permoti visi sunt, puta (Joan. VII), postea tamen a suis doctoribus decepti fuerunt et ab omni fide in Christum aversi.

2ª *Pars* decl.— 1° Huc quadrant plura sacra eloquia ; nam dicitur (1 Cor. II, 8) : *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent ;* (Act. III, 17) ait Petrus Judæis : *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri,* scil. per principes seducti ; et Dominus in cruce pendens (Luc. XXIII, 34) : *Pater,* inquit, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* — 2° Non diffitemur præsto fuisse Judæis et prodigia et vaticinia, et ipsa Salvatoris verba quæ luculenter Filium Dei demonstrarent ; nec omnino defuere, tum ante tum præsertim post resurrectionem, qui tam altum mysterium profiterentur. At de plerisque valet *D. Thomae* assertum « quod cognoverunt eum esse Filium Dei non per naturam, sed *per excellentiam gratiæ* singularis. Possumus tamen dicere quod etiam verum Dei Filium cognovisse dicuntur, quia evidentia signa hujus rei habebant ; quibus tamen *assentire propter invidiam et odium noluerunt* » (art. 5 ad 1).— Igitur 3° ignorantia, qua laborarunt, *affectata* erat, neque eos excusabat, sed magis eorum culpam aggravasse videtur. De eis dixit Christus (Joan. XV, 22) : *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent ; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Unde « Judæi peccaverunt, non solum tamquam hominis-Christi, sed etiam tanquam *Dei crucifixores* » (resp. ad 3).

Conclusio 2ª.— PECCATUM CRUCIFIGENTIUM CHRISTUM GRAVISSIMUM FUIT EX GENERE SUO, INÆQUALE TAMEN EX PARTE PECCANTIUM (art. 6).

1ª *Pars* elucet ex eo quod genus peccati sumitur ex objecto seu materia circa quam versatur. Atqui occisio Christi, non solum hominis, sed et Dei fuit occisio, ita ut verissima

sit propositio « Deus crucifixus est.» Ergo.— Notandum tamen est ex *D. Thoma* (III, Q. LXXX, a. 5) peccatum illud, etsi valde grave vereque abominandum, cedere odio Dei, blasphemiæ, aliisque peccatis formaliter Deum impetentibus ; quippe, quanquam materialiter Divinitatem attingebat, *formaliter* tamen magis humanitati adversabatur.

2ª *Pars decl.* secundum tres gradus. — 1ᵘˢ gradus est *principum* Judæorum, quorum peccatum gravissimum fuit tum ex genere suo, tum ex voluntatis malitia, prouti ipse Christus prophetice eis exprobrans prænuntiaverat (Matth. XXIII, 32) : *Et vos implete mensuram patrum vestrorum* (qui prophetas occiderunt). Inter illos vero tristem primatum tenet *Judas proditor* ob majorem Christi cognitionem, altiorem statum, viliorem ingratitudinem et proditionis turpitudinem (*Cajet.* in h. l.). — 2ᵘˢ gradus est *plebis* Judaïcæ, in qua certe minuebatur peccatum pro rata ignorantiæ. Unde illos plebeios excusavit S. Petrus (Act. III, 17) : *Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis.* — 3ᵘˢ gradus est *gentilium*, scil. Pilati maximeque militum, quorum peccatum magis adhuc excusabile fuit propter completam Legis nescientiam : Pilatus quidem timore Cæsaris Christum damnavit ; milites vero de præsidis mandato, non ex cupiditate sicut Judas, nec ex invido animo sicut Pharisæi, eum crucifixerunt.

QUÆSTIO TERTIA

DE EFFECTU PASSIONIS CHRISTI

Cum passio Christi æternaliter fuerit in bonum salutemque humani generis ordinata, potior omnibus ac suavior de tam suavi mysterio disputatio versatur circa ejus *effectus*.— Hoc autem gratissimum argumentum dupliciter considerari potest, aut quod *effectus* productos (art. 6), aut quoad varios producendi *modos* (art. 1-5) : qui quum quinque recenseantur, scil. meritum (art. 1), satisfactio (art. 2), sacrificium (art. 3), redemptio (art. 4), et efficientia instrumentalis (art. 5), idcirco sex articuli instituentur.

Admirationi esse non debet quod una Christi passio tot diversis rationibus humanam operata sit salutem : quo enim altior et universalior est causa, eo plures causalitatis modos sortitur.— Porro ad insinuandum jam ab initio discrimen proprium inter hos diversos modos, observabimus passionem

Christi posse salutem nobis afferre vel *per se*, scil. virtute instrumentaliter agente, vel *per alium*, scil. per Deum quem ad salutem principaliter operandam moveat. Movet autem passio Deum quadruplici ratione : primo, *dignitate* actionis exigentis, uti mercedem, gratiam nobis elargiendam, et hoc est *meritum* (ad quod respicit *justitia remunerativa*) ; secundo, gravitate *poenalitatis* voluntarie susceptæ ad solvendum pro nobis debitum, et hoc est *satisfactio* (pertinens ad *justitiam vindicativam*) ; tertio, caractere *victimæ* in cruce immolatæ ad honorandum et placandum Deum, et hoc est *sacrificium* (pertinens ad virtutem *religionis*) ; quarto, oblatione vitæ Christi ceu pretii liberationis nostræ, et hoc est *redemptio* (pertinens ad *justitiam* secundum quamdam *commutationis* rationem).

ARTICULUS 1.

Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum meriti

Plura jam alibi (Disp. IV, Q. IV, a. 3-4) de Christi meritis in genere disserta sunt ; modo ergo quæstio suboritur de vi meritoria *passionis*, cui præcipua quadam ratione humana salus attribuitur.— Quia autem meritum esse potest *de condigno* et *de congruo*, vix prænonere oportebit salutiferæ Christi passioni vindicari meritum simpliciter seu *condignum*, in justitiæ lege ac exigentia fundatum.

Conclusio.— CHRISTUS PER PASSIONEM SUAM NOBIS SALUTEM PROMERUIT ; prout definivit *Conc. Trid.* (Sess. VI, c. 7) : « Sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit.»

1° Sane meruit Christus per supplicium crucis exaltari et clarificari, juxta illa verba (Phil. II, 8-9) : *Factus obediens usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum.* Atqui Christum ipsum testantem habemus (Joan. XVII, 10), quod clarificatus est non solum in seipso, sed etiam in suis fidelibus. Ergo.

2° Perspicua est *ratio generalis.*— Nam Christo data est gratia non solum tanquam singulari personæ, sed insuper tanquam Ecclesiæ capiti et homini universali seu generis humani personam quodammodo gerenti : ergo ita se habent opera Christi relate ad totum humanum genus, sicut se habent

opera alterius hominis in gratia constituti relate ad ipsum. Atqui negaverit nemo quod in manifesto est, scil. quemcumque hominem justum, patiendo propter justitiam, sibi salutem mereri ; siquidem *beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (Matth. V, 10). Ergo.

Accedit *arg. speciale* ex conditionibus meriti.— Meritum enim subaudit actionem liberam, honestam, in alterius bonum vertentem, cui idcirco ex præordinatione quadam jus insit ad præmium. Atqui conditiones istæ apprime conveniunt passioni Christi : hæc enim per *liberrimum* voluntatis *actum* a Christo tolerata est ; *bonitatem* habuit non solum naturalis honestatis, sed et supernaturalis virtutis, maximo pollens valore eoque ferventiorem caritatem demonstrans quo acerbior fuit ; *Deum* extrinsecus *glorificavit ;* et ex Dei *præordinatione* (supra, Q. I, a. 1-2) sortita est ut *in salutem totius humani generis* redundaret. Ergo salutem illam verissime a Deo, quasi condignum præmium, promeruit.

Solv. obj.— Obj. 1.— Passio Christi fuit ab exteriori principio. Atqui nullus meretur nisi per id cujus ipse est auctor. Ergo.

Resp. *D. M* :... in quantum passio, *C* ; in quantum voluntatis actu acceptata, *N.— C. m.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Christus ab initio conceptionis meruit et sibi et nobis. Atqui superfluum est aliquem iterum mereri quod ante meruerat. Ergo.

Resp. *D. M* :... ita ut merita illa ex se et sine passione valerent juxta Dei dispositionem arcere omnia impedimenta salutis, *N ;* ita ut (disponente Deo) subordinarentur passioni *meritoriae simul* et *satisfactoriae* tanquam convenientiori medio salvandi genus humanum, *C.— Trans. m.— Neg. conseq.*

Obj. 3. — Radix merendi est caritas. Atqui caritas Christi non crevit in passione. Ergo.

Resp. *D. M.*:... nempe *vis* ipsa meritoria ex *charitate* dependet, *C ;* nec meriti *utilitates* ex *genere operis* pensandæ sunt, *N. — C. d. m ;*... quin etiam partæ fuerint novæ utilitates, *N ;* plurimæ utilitates ex ipsa indole passionis ortæ sunt, *C.— Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum satisfactionis.

Plura *praeobservanda* occurrunt.—1° Licet, *communius* spectata, *satisfactio* dici possit cujuslibet debiti integra solutio, attamen *strictius* definienda est *injuriae alteri illatae compensatio.* Quæ cum importet pœnale quiddam offenso exhibitum, patet discrimen inter satisfactionem et meritum : *satisfactio* enim maxime attenditur penes ipsum *opus poenaliter* præstitum in reparationem injuriæ, *meritum* vero penes *voluntatem* bene operantis in alterius commodum seu obsequium ; unde non omnis actio meritoria est satisfactoria, nec vice versa.— Itaque nomine *satisfactionis Christi* intelligenda est « reparatio injuriæ Deo per peccata hominum irrogatæ et solutio pœnæ debitæ.»

2° Christum *improprie* tantum satisfecisse tenuerunt *Sociniani* eorumque sequaces, ejus satisfactionem in eo ponentes quod et nos exemplo moverit ad pœnitendum et Deum Patrem oratione impulerit ad condonandum ; at catholici omnes in Christo agnoscunt verum ac *proprie* dictum satisfactorem.— Ex iis tamen nonnulli, ut *Durandus*, negant Christi operibus seu passionibus inesse (citra benevolam Dei acceptationem) valorem satisfactorium *de se* plene sufficientem, dum plerique *condignitatem intrinsecam* satisfactionum Christi tuentur.— Tandem, inter eos qui postremam hanc verioremque sententiam propugnant, quidam, ut cl. *Billot* (th. 51), arbitrantur Christum nequaquam potuisse secundum omnes *rigorosae* justitiæ conditiones satisfacere ; sed alii plures id signate affirmant.

3° Duo determinare propositum est, nempe (contra Socinianos) Christum proprie pro nobis satisfecisse, et (contra dissentientes catholicos) satisfactionem ejus omnibus strictæ justitiæ conditionibus honestatam fuisse.

Conclusio 1.ª — CHRISTUS, SE VADEM SEU SPONSOREM NOSTRUM CONSTITUENS, PROPRIE PRO NOBIS SATISFECIT ; quod expressis verbis continetur in *Conc. Trid.* (Sess. VI, c. 7).

1° Locupletia sunt *Scripturarum* eloquia ; pauca tantum proferam.— Ex V. T. habemus integrum caput (Is. LIII) ; ubi, inter alia, dicitur (v. 5-6) : *Ipse vulneratus est propter*

iniquitates nostras... livore ejus sanati sumus... posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.[1] — Ex N. T. præsto est illud (Gal. III, 13) : *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum*, quatenus (S. Thom. in h. l.) in se suscepit tum maledictionem culpæ in opinione hominum, tum maledictionem pœnæ. Nam, ut expressius tradit S. Petrus (1 Ep. II, 24), *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiae vivamus.*

2° Quandocumque Scripturæ vel Patres passionem ac mortem Christi exhibent velut salutis humanæ *pretium*, validum enunciatæ doctrinæ argumentum efferunt.— Præterea, ut quis *pro alio* satisfaciat, requiritur præexistens *debitum*, *opus* de se *aptum* ad satisfaciendum, et *acceptatio* illius substitutionis ex parte personæ læsæ. Atqui totum humanum genus, peccato Adæ infectum, tenebatur debito culpæ et pœnae ; Christi autem passio ,maximæ caritatis religionisque sensu informata (fuit quippe sacrificium), non solum esse poterat expletiva pœnæ, sed et reparativa injuriæ ; insuper substitutio Christi satisfacientis in hominum vicem per hoc habita est quod Deus factus homo Caput nostrum juridicum ipsa Incarnatione et missione sua constitueretur. Ergo.— *Ratio* autem præfatæ subrogationis Christi ea fuit quam passim SS. Litteræ (v. g. Rom. III, 25) innuunt santique Patres et Doctores explicatius tradunt, ut nempe *justitiae* æqualitas restitueretur : « quod factum est, dum ipse, qui absque peccato erat, mortem peccato debitam pati voluit, ut in se pœnam aliis debitam satisfaciendo susciperet » (C. G. IV, 55).

3° Nec thesi nostræ contradicit necessitas *poenalitatum quibus*, etiam post Christum passum, *subjicimur*. Tria enim, ut *S. Thomas* (*ibid.*) ostendit, evincunt quam congruæ sint illæ pœnalitates : 1ᵘᵐ est, « ut esset conformitas fidelium ad Christum, sicut membrorum ad caput ; unde, sicut Christus prius multas passiones sustinuit et sic ad immortalitatis gloriam pervenit ,sic decuit ut fideles ejus prius subjacerent passionibus et sic ad immortalitatem pervenirent, quasi *portantes in seipsis insignia passionis* Christi, ut similitudinem gloriæ ejus consequerentur, sicut Ap. dicit : *Haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi ; si tamen compatimur, ut et conglorificemur* » (Rom. VIII, 17).— 2ᵘᵐ est, « quia, si homines venientes ad Christum statim immortalitatem impas-

[1] — Prophetiam istam *Messianam* esse, docte evincit Knabenbauer (*Comm.* in h. l., p. 325 sqq).

sibilitatemque consequerentur, plures homines ad Christum accederent magis propter hæc corporalia beneficia quam propter spiritualia bona ; quod est contra intentionem Christi, venientis in mundum ut homines ab amore corporalium ad spiritualia transferret.» — 3um, est, « quia, si accedentes ad Christum statim impassibiles et immortales redderentur, hoc quodammodo compelleret homines ad fidem Christi suscipiendam ; et sic meritum fidei minueretur[1].»

Conclusio 2a.— SATISFACTIO CHRISTI FUIT EX SE VALORE INFINITA, IDEOQUE NON SOLUM CONDIGNA SEU ÆQUIVALENS, SED ET SUPERABUNDANS, IMO AD IPSUM JUSTITIAE RIGOREM EXACTA.— Discurramus per partes.

1a *Pars* de *infinitate* valoris satisfactionum Christi jam innotescere potest ex dictis de Christi meritis (Disp. IV, Q. IV, a. 4) ; at non abs re erit illam (contra Durandum et Scotistas) specialiter comprobare.

1° Igitur *Clemens VI* (in Extrav. *Unigenitus*) docet Christum non guttam sanguinis modicam, quæ tamen « *propter unionem ad Verbum* » pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed quoddam profluvium effudisse ; ex quo « *infinitus thesaurus* » hominibus comparatus est. Certe hic agitur de *infinitate* ab intrinseco, non ex sola Dei acceptatione. — 2° In merito et satisfactione seu injuriæ compensatione magis attenditur valor moralis quam physicus operis præstiti. Atqui ex infinita dignitate personæ agentis in Christo (*S. Thom.* h. art. ad 3) merita et satisfactiones *infinitum* ducebant valorem *moralem* : ergo. *Min. decl.* ex *Cajet.* (Comm. in III, Q. I, a. 2) : « Actiones Christi humanæ, scil. amare Deum, voluntarie pati, et hujusmodi, habent duas conditiones. Altera est, quod sunt res quædam *creatae*, et sic sunt *finita* entia simpliciter : non enim sunt Deitas. Altera est, quod sunt res *personæ divinæ*, ut proprii suppositi cujus sunt, et sic sunt *infinita* entia personaliter ; et sunt infinitæ efficaciæ *in tali genere*, puta meriti seu satisfactionis, ex hoc ipso quod sunt opera ipsius Dei, ut propriæ personæ exercentis opera[2].»

2a *Pars* sponte sequitur, scil. Christi satisfactionem fuisse non solum *aequivalentem*, sed cumulatam et *superabundantem*.

1° Sane *a*) *aequivalentem* seu condignam eam demonstrat

[1] — Sermonem contra Socinianos late persequitur *Billuart* (Diss. XIX, a. 4), qui cuncta eorum argumenta refellit.

[2] — Cf. Billiuart, *l. cit.* a. 5.

frequens Scriptura, puta quod in persona Christi dicitur (Ps. LXVIII, 5) : *Quae non rapui, tunc exsolvebam*, hoc est, debita ab aliis contracta integraliter solvi ; item illud (1 Joan. II, 2) : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. b) Superabundantia* autem perspicue eruitur ex Rom. (V, 15-21), cujus loci vis veluti summatur in hac sententia (v. 20) : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Unde *Chrysostomus* (Hom. 10 in Ep. Rom. n. 2) : « Multo plura quam debebamus, persolvit Christus, ac tanto plura, quanto stillam exiguam immensum pelagus excedit.»

2° Ille condigne satisfacit pro offensa qui exhibet offenso id quod æque vel magis diligit quam oderit offensam. Atqui Christus, ex caritate et obedientia patiendo, majus aliquid Deo exhibuit quam exigeret recompensatio totius offensæ humani generis : ergo. *Min.* decl. ex duplici capite. *a) Primo ex parte rei exhibitæ ;* nam non solum Christus passionem ac *dolorem* assumpsit *immensuratum* facileque omnium peccatorum debitis æquivalentem, sed in hostiam Patri obtulit propriam *vitam dignitate infinitam*, quoniam vita erat Dei-Hominis. *b) Secundo ex parte subjecti satisfacientis ;* gratia enim subindeque *caritas*, ex qua Christus passus est, *infinita* fuit non solum ea objectiva ratione quæ convenit omni gratiæ et caritati, in quantum tendit in Deum, sed etiam secundum plenitudinem illam quæ proprie Christo competebat ut principio universali salutis (Disp. III, Q. I, a. 6). Amplius, personalitas Verbi, morali modo influens (ut mox diximus) in passiones humanitatis, eas *per se* infinite *dignificabat ;* quæ infinitas, immediate a Deo emanans, erat subjectiva et *simpliciter*, longeque superior infinitate objectiva et *secundum quid* quam peccatum, mediante apprehensione hominis finita, ex offensa Dei majestate derivat.

3ª *Pars subjicitur* (contra quosdam theologos), et sic evinci potest.

Quatuor conditiones ad *rigorosam* satisfactionem requiri videntur : 1ª, ut sit *ad alterum* ; id quippe postulat justitia proprie dicta (II-IIæ, Q. LVIII, a. 2) ; 2ª, ut fiat *ex bonis propriis satisfacientis independenter a gratia* seu favore personæ offensæ ; secus enim satisfactio non solutio esset rigorosa debiti, sed remissio implicita vel explicita, partialis vel totalis ; 3ª, ut bona, de quibus satisfit, *non sint alio* saltem *justitiæ titulo debita*, quamvis forte debeantur titulo gratitudinis, amicitiæ, etc ; 4ª, ut satisfactio talis sit quæ *acceptationem* ex parte personæ læsæ quodammodo *necessitet* de-

bitumque, etiam ea nolente, exstinguat. Atqui hæ conditiones in satisfactione Christi sufficienter reperiuntur : ergo. *Min. decl :* — *a*) *Primo* enim (ut quidam dicunt) Christus ut Verbum subsistens in humana natura poterat, servata tum naturarum tum suppositorum distinctione, *Patri* subsistenti in Deitate satisfacere. At, quia satisfactio illa erat debita Deo proindeque tribus personis divinis[1], aliam explicationem rectiorem censemus et amplectimur : scil. sat erat, ut verificaretur prima conditio, unam personam Verbi *virtualiter* seu æquivalenter distingui in duo supposita pro reali discrimine naturarum in quibus subsistebat ; siquidem distinctioni naturarum innititur distinctio jurium et officiorum. Unde Christus homo Deo totique Trinitati reapse satisfecit. — *b*) *Secundo*, quod spectat ad alteram conditionem, difficultas est omnia hominum bona sive naturalia sive supernaturalia esse a Deo ; qua de causa merita nostra (quamvis condigna) nostræque satisfactiones, quæ in gratia Dei fundantur gratiæque auxiliis exeruntur, nunquam ad rigorem justitiæ pertingunt. Verum (et hæc, præ aliis, solidior videtur responsio), cum principium *quod* satisfactionis in Christo sit Verbum divinum, naturæque ab eo assumptae, ipso Unionis hypostaticæ jure, debeantur gratia et caritas cæteraque dona quibus humanitas ornatur, legitime infertur Christum *de bonis propriis* satisfecisse, quin satisfaciendi vis vel facultas ex mero Dei favore dependeret (ita *Cajet.* in III, Q. I, a. 2 ; *Franzelin*, th. 47 ; etc.)— *c*) *Tertio*, humanitas in Christo nullo adstringebatur personali debito culpæ vel poenæ, sed solum gratitudinis, religionis, obedientiæ, etc ; hæc autem debita, juxta communem sententiam, *eodem actu* solvi possunt ac debitum justitiæ, puta si quis ex contractu rependat pecuniam quam ex voto debet. Cæterum valor satisfactionum Christi erat *infinitus*, ideoque sufficiens ad adæquandum et excedendum quælibet creaturæ debita.— *d*) *Quarto* tandem uberrimam Christi satisfactionem tenebatur Deus velut ex justitia accipere, non quidem absolute, sed *hypothetice*, i. e. supposito quod decrevisset substitutionem Christi in locum perditorum hominum ; eo magis quia sic humanum genus, in Capite juridico totius naturæ nostræ repræsentatum, *pro se* quodammodo satisfaciebat. Ex ea autem justitiæ obligatione, quam in Deo ponimus, nulla ipsi imperfectio accessit ; siquidem non

[1] — Cf. Suarez, Disp. IV, S. 5, n. 7-8.

homini, sed *sibi* seu suæ sapientiæ præordinationi *debitor* factus est (cf. I, Q. XXI, a. 1, ad 2 et 3)[1].

Solv. obj.— Obj. 1 (cont 1am concl.). — Satisfactio, non secus ac contritio et confessio, ipsius est peccantis. Atqui Christus non peccavit. Ergo.

Resp. *D. M :* Satisfactio convenit cum contritione et confessione in hoc quod aliquo modo pertinet ad peccantem, *C ;* in hoc quod debeat esse ejusdem personæ physicæ, *N.*— *D. m :...* in se, *C ;* in suis membris, *N.*— *Neg. conseq.*

1° Cum ex Christo-capite et membris seu fidelibus exsurgat *una persona mystica*, pro membrorum culpa satisfecit Christus ita ut expiatio hæc pertineat ad omnes fideles ; nam et apud homines caritate conjunctos contingit quod unus pro alio satisfaciat.— 2° Neque similis est ratio de satisfactione cæterisque pœnitentiæ partibus : nam *contritio* et *confessio* maxime dijudicantur secundum internum animi motum qui uniuscujusque proprius est ; *satisfactio* vero potissime accipitur secundum rem exhibitam quæ ab amicis suppleri potest.

Obj. 2. — Nulli satisfit per majorem offensam. Atqui maxima Dei offensa in passione Christi insontis perpetrata est . Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :...* ex parte crucifigentium Christum *C ;* nec acceptior fuit caritas Christi patientis vitaque ab eo Patri oblata quam exosa crucifixorum malitia, *N.*— *Neg. conseq*

Obj. 3 (cont. 2am concl.) — Ap. de se ait (Col. I, 24) : *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quae desunt passionum Christi.* Ergo satisfactio Christi manca fuit.

Resp. *D. antec :...* et hæc intelligenda sunt de satisfactione Christi secundum se, *N ;* de ejus applicatione, *C.*— *Neg. conseq.*

« Hæc verba, inquit *S. Thomas* (*Comm.* in h. 1.), secundum superficiem malum possent habere intellectum, scil. quod Christi passio non esset sufficiens ad redemptionem, sed additæ sunt ad complendum passiones sanctorum. Sed hoc est hæreticum, quia sanguis Christi est *sufficiens* ad redemptionem etiam multorum mundorum ». — Igitur tenendum est eo sensu *passiones Christi adimpleri*, quatenus, mediantibus sanctorum passionibus, variis Ecclesiæ membris

[1] — De satisfactionis Christi indole ampliora docteque edisserit *Billuart* (Diss. XIX, a. 7).

applicantur, eaque ratione servatur ordo prædestinationis qua statutum est ut satisfactiones corporis Christi mystici, in satisfactione Capitis fundatæ, ad certam copiosamque mensuram pertingerent.

ARTICULUS III.

Utrum passio Christi operata sit per modum sacrificii.

Juverit nonnulla *praeobservare*.— 1° Ex *D. Thoma* (II-IIæ, Q. LXXXV) accipimus *sacrificium*, generice sumptum, in eo esse positum quod aliquid fiat in signum divinæ subjectionis et honoris ; unde ad virtutem religionis pertinet. Illud vero dupliciter contingere potest : vel enim actus elicitus alterius virtutis, v. g. eleemosyna, afflictio carnis, in finem divinæ reverentiæ ordinatur, et hoc est sacrificium *improprie* seu *participative* dictum ; vel efficitur aliquid speciale cujus tota laus est in contestando supremo Dei dominio, et hoc est sacrificium *proprie* acceptum.— Porro licet *consummative* seu perfective sacrificium consistat in actu animæ se suaque Deo offerentis (quod est sacrificium spirituale materiali excellentius), tamen, communi et *strictiori* sensu, nomine sacrificii intelligitur « aliquid exterius oblatum sacroque ritu destructum vel immutatum ». Immediate quidem et *symbolice* ritus ille ordinatur ad significandum sacrificium spirituale, mediate vero et *mystice* potest esse vel *commemorativus* vel *praefigurativus* alterius sacrificii.— Tandem aliud est sacrificium *privatum*, aliud *publicum* seu lege præscriptum quod *propriissime* sacrificium nuncupatur.

2° Cum superius (Disp. V, Q. I, a. 3) ostensum fuerit Christum esse sacerdotem omnibusque pateat sacerdotem dici maxime per respectum ad sacrificium (Heb. V, 1), *a priori* jam inferri posset munus illud sacerdotale expletum fuisse in cruce : nulla enim alia hostia in Scripturis commemoratur præter Christum ipsum, cujus incruenta immolatio sub specie panis et vini cruentam alteram morte Victimæ perfectam subaudit.— At, *Socianinis* negantibus mortem Christi fuisse verum sacrificium piaculare seu expiatorium, operæ pretium erit rem ulterius declarare intimiusque investigare.

Conclusio.— Christus in ara Crucis verum, necnon excellentissimum, obtulit sacrificium, cum sacrificio in ultima cœna instituto et celebrato intime sociatum.

1ª *Pars* de *veritate* sacrificii Crucis *fide* constat tum ex *Conc. Ephes.* (can. 10) tum ex *Trid.* (Sess. XXII, cap. 1-2).

Prob. 1° ex *Scriptura* utriusque Testamenti.

a) In V. T. præsto sunt *figurae :* quippe, secundum figuralem illius temporis œconomiam, cruenta sacrificia in Lege præcepta (quibus inerat vis symbolicæ substitutionis in locum hominum peccatorum)[1] *typum* gerebant futuræ immolationis cruentæ Novi Fœderis. Atqui immolatio hæc manifeste agnoscitur in morte Christi, qua Agnus immaculatus *realiter* subrogatus est in vicem nostram nostraque peccata *per se* expiavit : unde *D. Paulus* (Heb. IX-X) opponit umbræ veritatem, imagini realitatem, scil. sacrificiis inefficacibus crebroque iteratis antiquæ Legis unicam et efficacissimam Christi oblationem et hostiam.— His consonat præclara Isaïæ *prophetia* (c. LIII), qua et substitutio Christi in locum hominum graphice describitur et mors ejus plane expiatoria sub specie sacrificii exhibetur, puta (vers. 7) : *Oblatus est quia ipse voluit... sicut ovis ad occisionem ducetur* etc., et præsertim (v. 10) : *Si posuerit pro peccato*[2] *animam suam* etc.

b) In N. T. præ aliis pluribus eligimus sequentia B. Pauli testimonia (Eph. V, 2) : *Christus... tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis ;* — (Heb. V, 9-10) : *Consummatus* (en immolatio victimæ) *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* (en effectus sacrificii), *appellatus a Deo pontifex* (en potestas sacerdotalis) ; — (*ibid.* VII, 26-27) : *Pontifex sanctus... non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi : hoc enim fecit semel, seipsum offerendo ;* quam oblationem sacrificalem factam fuisse in morte Christi, alia verba declarant (*ibid.* IX, 12) : *Per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa*[3].

Prob. 2° *ratione.*— Sacrificium in genere *describi* potest (cum *Bellarmino*, de Euch. 1. V, c. 2) : Oblatio externa facta per legitimum ministrum soli Deo, in qua res sensibilis et permanens ritu quodam sacro destruitur vel immutatur, ad honorandam divinam majestatem eamque maxime placandam. Atqui conditiones in hac definitione clausæ optime conveniunt morti Christi in Cruce : ergo.

[1] — Cf. Franzelin, th. 48-49.

[2] — Juxta Knabenbauer (*Comm.* in h. l.), hæc loquendi ratio ex textu hebraïco optime designat *sacrificium* vel *hostiam* pro delicto.

[3] — Billuart (Diss. XIX, a. 4) et Knoll (P. III, S. II, c. 2, a. 2) biblica argumenta contra Socinianos solide propugnant.— Argumenta ex *traditione* hausta, a S. *Clem. Rom.* deinceps, vide penes eumdem Knoll (*l. cit.*).

Maj. decl.—Secundum præfatam descriptionem quatuor causæ sacrificii accipi possunt, scil. causa *efficiens*, causa *materialis*, causa *formalis*, et causa *finalis*.

a) Ad *causam efficientem* pertinent verba « per legitimum ministrum », quod est, par sacerdotem ; sacrificium enim correlativum est sacerdotii. Unde licet, absolute deficienteque cultu sociali, non repugnet ut persona privata sacrificium Deo offerat[1], tamen quia tota societas tenetur Deum sacrificio colere, idcirco communiter propriissimeque « non est cujusque offerre sacrificium, sed publici et certi hominis qui communi nomine id peragat.[2] In lege quidem naturæ, sacerdotes erant vel capita familiarum, ut Noë, Abraham, vel ii quibus Deus id inspirabat. In lege autem scripta, solii filii Aaron. In lege gratiæ, soli episcopi et presbyteri rite ordinati, ut omnia Concilia et omnes Patres, et omnium Ecclesiarum consuetudo docet. Atque hinc excluduntur a ratione sacrificii proprie dicti multæ oblationes privatorum hominum, factæ soli Deo, ut cum fideles candelas accendunt et consumunt in templo ad honorem Dei »(Bellarm. *l. cit.*).

b) Ex parte *materiae*, scil. *remotae*, ponitur « res sensibilis et permanens » : res *sensibilis* quidem, quia sacrificium ordinatur ad aliquid spirituale significandum ; res etiam *permanens* huic significationi magis idonea, adeo ut excludantur a ratione sacrificii proprie dicti actiones transeuntes, v. g. psalmodiæ, preces, genuflexiones, in honorem Dei factæ. —Ex parte *materiae proximae* habetur « oblatio externa facta soli Deo ». Sane omne sacrificium est *oblatio*, licet non e converso ; unde omnis pontifex constituitur *ut offerat dona* etc. (Heb. V, 1). Hanc autem oblationem *externam* esse oportere, ex eo deprehenditur, quia « oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum. Significat autem sacrificium quod offertur exterius, *interius spirituale sacrificium* quo anima seipsam offert Deo secundum illud Psalmistæ (Ps. L, 19) : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, quia exteriores actus religionis ad interiores ordinantur. Anima autem se offert Deo in sacrificium, sicut principio suæ creationis et sicut fini suæ beatificationis ; secundum autem veram fidem solus Deus est creator animarum nostrarum ; in solo etiam eo animæ

[1] — Cf. II-IIæ, Q. LXXXV, a. 4 ; — Joan. a S. Th., *de Euch.* Disp. XXXII.

[2] — « Sacerdotes offerunt sacrificia, quæ sunt *specialiter* ordinata ad cultum divinum, non solum pro se, sed etiam *pro aliis* ; quædam vero sunt alia sacrificia (minus proprie dicta), quæ quilibet potest pro se Deo offerre » (II-IIæ, *l. cit.* ad 3).

nostræ beatitudo consistit. Et ideo sicut *soli Deo* summo debemus sacrificium spirituale offerre, ita etiam soli ei debemus offerre exteriora sacrificia » (II-IIæ, *Q. cit.* a. 2).

c) *Forma* seu ratio specifica sacrificii in eo est quod res oblata ritu quodam mystico consecratur et transmutatur. Ait *S. Thomas* (*Q. cit.* a. 3 ad 3) : « Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur, et comeditur, et benedicitur. Et hoc ipsum *nomen* sonat : nam sacrificium dicitur, ex hoc quod homo *facit aliquid sacrum*. Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur etiamsi nihil circa ipsum fiat sicut dicuntur offerri denarii vel pa-, nes in altari, circa quos nihil fit ». Itaque sacrificium formaliter reponitur in determinata specie oblationis, ad quam speciem integrandam concurrit tum *ritus sacer* seu consecrativus, puta in V. L. impositio manuum super victimam, veluti *ultima dispositio* ad formam sacrificalem, tum maxime *rei oblatae immutatio*, destructio scil. aut physica aut æquivalens, veluti *forma propria* sacrificii a sacerdote peracti. *Ratio* hujus immutationis est, quia sacrificium est summa nostræ subjectionis ad Deum, quem et honorare et nobis conciliare volumus, protestatio. *Summa* autem ista protestatio requirit ut non solum usus rei alicujus Deo offeratur, sed ipsa res seu substantia, in locum nostrum substituta nostræque vitæ vicaria, quodammodo consumatur[1].

d) Jam elucet *finem* sacrificii contineri reliquis verbis «ad honorandam maximeque placandam divinam majestatem.» Hic est finis *essentialis*, omnibus sacrificiis conveniens ; sunt enim omnia quasi tributa quæ Deo redduntur in recognitionem supremi ejus dominii nostræque subjectionis[2], dicunturque idcirco habere rationem latreuticam, eucharisticam, impetratoriam, præcipueque propitiatoriam. — Huic fini seu significationi essentiali superaddi potest significatio *mystica*, prouti factum est in sacrificiis V. L. quæ *praefigurabant* sacrificium crucis[3], dum sacrificium eucharisticum ejusdem sacrificii crucis *commemorativum* existit (ut suo loco videbimus).

Min. ostend.— Et *a*) *primo* ipse Christus sacrificium crucis obtulit : quippe verus erat sacerdos (Disp. V, Q. I, a. 3), seque ipsum ceu mactandam victimam libens persecutoribus tradidit

[1] — Singularem ac plane inadæquatam sacrificii notionem exhibet Illmus Bellord, juxta quem non in prævia rei sacrificandæ destructione, sed in pia manducatione (banquet-theory) ratio sacrificalis reponenda est. (Cf. *Revue Augustinienne*, 15 mars 1906).

[2] — I-IIæ, Q. CII, a. 3.

[3] — *Ibid.*

(quæst. præc., a. 1), juxta illud (Joan. X, 17) : *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.*— *b*) *Secundo* itaque res oblata fuit Christi humanitas, quasi flos creaturarum, quo nihil pretiosius nec convenientius Deo exhiberi poterat : siquidem caro erat naturæ peccatricis, secundum passibilitatem apta immolationi, peccati expers ideoque efficax ad emundanda peccata, item eo acceptior Deo quo major demonstrabatur caritas ex parte Christi se ipsum offerentis.— *c*) *Tertio* non defuit in hac oblatione ratio formalis et *specifica* sacrificii. Nam victima in sanguineo crucis altari immolata est ; id autem non est factum sine aliqua ejusdem victimæ consecratione, quatenus scil. humana natura, ut hostia oblata Deo, novo modo sacrata est seu *actualem* tunc acquisivit sanctificationem ex primævo gratiæ et Unionis hypostaticæ dono (III, Q. XXII,a. 2 ad 3) ; ritus vero sacrificalis in eo fuit quod Christus tempore paschali et extra portam, manibus extensis, pateretur.— *d*) *Quarto* finis sacrificii sub quadruplici respectu reperitur. Fuit enim latreuticus (Joan. XVII, 4) : *Ego te clarificavi super terram ; opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* Fuit eucharisticus, ut probat gratiarum actio habita in instituenda Eucharistia passionis commemorativa (Marc. XIV ; Luc. XXII). Fuit impetratorius (Heb. X, 10) : *Sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Fuit maxime propitiatorius ; nam Christus (Rom. IV, 25) *traditus est propter delicta nostra*, et iram Dei, quasi pœnam ex peccato secutam, placavit : quod propriissime ad sacrificium pertinet.

2ª *Pars* concl. de *summa* sacrificii Crucis *excellentia* paucis verbis absolvetur.— 1° Huc referantur quæ supra (Disp. V, Q. I, a. 4) de excellentia sacerdotii Christi disseruimus ; ex quibus sponte profluit sacrificium Crucis fuisse *ex se* maxime *acceptabile*, infinite *efficax*, vi *perpetuum* et *universale*.— 2° Id singularissimum ejusdem sacrificii præstantiam commendat quod omnia in eo elementa sacrifica velut in unum coïverint : « ut, quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, *cui* offeratur, *a quo* offeratur, *quid* offeratur, *pro quibus* offeratur, idem ipse unus verusque Mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat, et quod offerebat » (August. de Trin. l. IV, c. 14).

3ª *Pars* additur de nexu intimo inter sacrificium *coenae* et sacrificium *crucis*, ad majorem doctrinæ explicationem.

Et 1° ille nexus satis elucet ex textu tridentino (Sess. XXII, cap. 1) : « Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur ; quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in *coena novissima*, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur ; sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, *corpus* et *sanguinem suum* sub speciebus panis et vini Deo Patri *obtulit*, ac, sub earumdem rerum symbolis, apostolis quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat ut sumerent tradidit », etc. Ubi apparet Christun in Cœna non solum *instituisse*, sed et *celebrasse* sacrificium eucharisticum, in ordine ad imminentem suam passionem.

2° Hanc consociationem sacrificii cœnæ et sacrificii crucis indicat Apostolus, quando scribit (1 Cor., XI, 23-24) : " Dominus Jesus, *in qua nocte tradebatur*, accepit panem et gratias agens fregit, et dixit : Accipite, et manducate ; *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur ;* » etc. Ex quibus concludit *S. Thomas* (Comm. in h. loc.) quod Christus « voluntarie passionem accepit » seu seipsum mox passurum in victimam sacrificalem tunc obtulit. Unde recte dixeris Sacrificium crucis fuisse veluti completivum et consummativum sacrificii cœnæ in quo Christus, nondum passus et resurrectione immortalis, sed jamjam passurus, immolaticia oblatione coram Deo Patre sistebatur. (Cf. *de Sacram.* 1ª pars, Disp. VIII, Q. I, a. 3).

Solv. obj.— Obj. 1.— Veritas debet figuræ respondere. Atqui in sacrificiis V. L., quæ erant figuræ Christi, nunquam offerebatur caro humana. Ergo.

Resp. *D. M.* . . quantum ad aliquid, *C* ; quantum ad omnia *N.* — *D. m ;* nec offerebatur caro animalium, *N ;* per hanc animalium carnem præsignabatur caro Christi in perfectiori sacrificio immolanda, *C.* — *Neg. conseq.*

Ooj. 2 — Quicumque offert sacrificium, aliquod sacrum facit. Atqui Christi occisores non sacrum quiddam, sed sacrilegium fecerunt. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :.. et illi dicuntur sacrificium Crucis obtulisse, *N* ; Christus seipsum sacrificavit caritatis igne et spontanea oblatione, *C.* — *Neg. conseq.*

Obj. 3 — Martyres, Christi ad instar, supplicia et mortem perpessi sunt. Atqui eorum passiones non dicuntur proprie sacrificia. Ergo.

Resp. *D. M* :... i. e. datur quædam materialis similitudo inter Christum et martyres, *C* ; similitudo formalis, *N*. — *C. m.* — *Neg. conseq.*

Martyres a Christo distinguuntur, quia nec sacerdotes plerumque fuerunt, nec proprie seipsos sacrificarunt (a quibus non dependebat mori vel non mori), nec sub sacro ritu mortem obierunt, nec *elicitus religionis* actus fuit mors eorum, sed actus *fortitudinis* quo magis elegerunt vitam perdere quam fidem negare.

ARTICULUS IV.

Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum redemptionis.

(Q. XLVIII, aa. 4-5)

Nullum e nominibus usu destinatis ad exprimendum salutis nostræ mysterium frequentius recurrit quam *redemptio* ; nec immerito : siquidem huic voci propria inest significatio, qua beneficium humanæ restaurationis clarius profertur altiusque extollitur.— Et sane redimere generatim sibi vult « aliquem a servitute vel captivitate, soluto pretio, liberare » ; quod quidem lapso homini per Christi mortem feliciter contigisse, ita ut Christo eique soli Redemptoris nomen simpliciter congruat, brevi nunc oratione declarabitur.

Conclusio 1ª.—Vere Christus passione et morte sua nos redemit ; uti habet C. *Trid.* (Sess. XXII, c. 1).

1° Suffragatur *auctoritas*.— Nam legitur (1 Pet. I, 18-19) : *Non corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati* ; et (Gal. III, 13) : *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, quatenus scil. maledictionis pœnam in cruce tulit.— Abstinemus, in re tam evidenti, a referendis Patrum sententiis.

2° Succedit *ratio*.— Homo lapsus subjacebat servituti culpæ et pœnæ. Atqui Christus, soluto pretio, eum ab utraque captivitate liberavit : ergo. *Maj.* constat. *a*) *Primo* quoad servitutem *culpae* ; nam *qui facit peccatum, servus est peccati* (Joan. VIII, 34), diaboloque incitanti consentiens in ejus incidit tyrannidem, quippe *a quo quis superatus est*,

hujus et servus est (2 Pet. II, 19). *b*) *Secundo* quoad reatum *poenae :* servitus enim est, quod homo contra suam voluntatem sit pœnæ debito obligatus. *Min.* innotescit ex eo quod satisfactio Christi, sufficiens et superabundans pro peccato et reatu pœnæ humani generis, fuit quasi quoddam pretium Deo exhibitum ad liberandum hominem ab utraque servitute. — *Conf. arg :* nam ipsa satisfactio hominis pretium quoddam dicitur, quo quis se ipsum vel alium quodammodo redimit a peccato et pœna, secundum illud (Dan. IV, 24) : *Peccata tua eleemosynis redime ;* ergo *a fortiori* etc.

Conclusio 2ª.— Simpliciter loquendo, Redemptionis munus proprium Christi dicendum est.

Revera ad redimendum duo requiruntur, scil. actus solutionis et pretium solutum. Atqui, in redemptione humani generis, utrumque *simpliciter* a Christo solo præstitum est : ergo.— *Min. decl.* ex comparatione sive cum Trinitate, sive cum sanctis.

1° Cum *Trinitate.*— Enim vero, si Redemptionis opus *personaliter sumatur*, manifestum est solum Christum fuisse personam *quae* de suo hominem redemerit.— Sin vero *causaliter* spectetur, cum tota Trinitas sit prima causa operum ad extra, sic quidem *mediate* et *remote* redemptio tribus personis divinis attribui potest, secundum illud (Ps. XXX, 6) : *Redemisti me, Domine, Deus veritatis ;* verum *immediate* et *proxime* propria est Christi, in quantum homo-Deus pretium sui sanguinis pro nobis exsolvit (cf. *Cajet.* in h. l.).

2° Cum *sanctis.*— Passiones enim sanctorum proficiunt quidem Ecclesiæ per modum exempli et exhortationis, imo et per modum satisfactionis (ut patet ex doctrina de *Indulgentiis*), non tamen absolute et simpliciter, sed diminute et *secundum quid :* quandoquidem supponunt redemptionem Christi, prosunt ex abundantia tantum, nec nisi a pœna temporali liberare valent.

Solv. obj. (cont. 1ªm concl.).— Obj. 1.— Nullus redimit quod suum esse non desiit. Atqui homines nunquam desierunt esse Dei. Ergo.

Resp. *C. M.* — *D. m :* . . . nunquam subducti sunt supremæ ejus *potestati*, C ; nunquam per peccatum a suavi divinæ *caritatis* jugo recesserunt, *N.* — *Neg. conseq.*

Obj. 2. — Exigit justitia ut injustus possessor rei alienæ eâ privetur sine accepto pretio. Atqui diabolus injuste sibi hominem subjugaverat. Ergo.

Resp. *D. M* :... i. e. non est solvendum pretium invasori injusto, *C ;* nec domino juste hanc invasionem et possessionem permittenti, *N.* — *D. m :* independenter a Deo, *N ;* ita ut juste Deus permiserit hanc invasionem quantum ad culpam, hominisque judex eum diabolo, ceu carcerario et tortori, æque tradiderit quantum ad pœnam, *C.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS V.

Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum efficientiae.

Titulus ipse satis insinuat dubium hic non moveri de influxu pure *morali :* quantus enim sit influxus hujusmodi quamque uberes salutis fructus meditantibus quibusque suavissimum Christi patientis mysterium parere valeat, quotidiana experientia testatur. At inquiritur de causalitate passionis stricte dicta seu per modum *efficientiae* non quidem principalis, sed instrumentalis, quam generatim humanitati Christi attribuendam esse alibi (Disp. III, Q. V, a. 2) demonstravimus.

Conclusio.— Passio Christi efficientia instrumentali potissima salutem nostram operatur.— Est conclusio *theologica.*

1° Indicium hujus veritatis deducitur ex eo quod legimus (1 Cor. I, 18) : *Verbum crucis... iis qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est,* seu agit in virtute Dei : unde (*ibid.* v. 25) additur : *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus,* seu infirmitas Dei patientis virtutem ex Divinitate sortitur omni vi humana præstantiorem. Atqui virtus Dei efficienter operatur salutem nostram. Ergo et passio Christi etc.

2° Memoranti distinctionem inter agens principale et instrumentale, duo jam constare arbitramur : scil. a Deo solo *principaliter* effici opus salutis, sed humanitatem Christi esse præcipuum Divinitatis *instrumentum.* Atqui hæc efficacia instrumentalis ad omnes extendi debet Christi actiones et passiones ; quippe omnium fuit vis salvifica, maxime vero finalis passionis et mortis. Ergo.— *Conf.* quia passio Christi se habet veluti spiritualis *medicina* a cœlesti Medico infirmis hominibus adhibenda ; medicina vero, quando applicatur, physice agit et sanat.

3° In *Conc. Trid.* (Sess. VI, c. 7) recensetur causa salutis efficiens Deus, instrumentalis vero sacramentum Baptismi (cui adjungas cætera sacramenta). Atqui, juxta Patrum Ec-

clesiæque sensum, sacramenta N. L. ex latere Christi pendentis in cruce fluxerunt ; nec *fluxus* ille verius quam per motum virtutis instrumentalis intelligi potest. Ergo humanitas Christi patientis habenda est veluti instrumentum per quod gratia defluens ingreditur sacramenta, præsertim sacramentum peccati originalis deletivum, scil. Baptismum.

Solv. obj.— Obj. 1.— Quod non est, non potest efficienter operari. Atqui mors seu passio Christi amplius non est. Ergo.

Resp. *D. M :* Quod non est neque formaliter, neque virtualiter... *C ;* quod non est formaliter, sed est virtualiter... *N.* — *C. d. m :* formaliter, *C ;* nec est virtualiter in cicatricibus et gloria humanitatis Salvatoris, *N.* — *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Nullum agens efficienter agit nisi per contactum. Atqui humanitas Christi passi nequit contingere omnes homines. Ergo.

Resp. *D. M :*... nisi per contactum suppositi vel virtutis, *C ;* suppositi tantum, *N.* — *C. d. m :*... contactu suppositi, *C ;* virtutis, *S. d :* ex se, *C ;* ex influxu Dei omnipræsentis ejusque vim applicantis per motum fidei[1] et sacramenta, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Ejusdem non est per meritum sollicitare effectum ab alio et per efficientiam illum ex se producere. Atqui passio Christi meritoria fuit humanæ salutis. Ergo.

Resp. *D. M :*... sub eodem respectu, *C ;* sub diverso respectu, *N.* — *D. m :*... secundum quod comparatur ad *voluntatem* et veluti in ordine *intentionis*, *C ;* quin etiam possit efficienter in salutem influere, secundum quod comparatur ad *Divinitatem* principaliter agentem et in ordine *applicationis* gratiæ ad singulos homines, *N.* — *Neg. conseq.*

ARTICULUS VI.

Quinam sunt effectus passionis Christi ; — de eorum extensione et applicatione.

(Q. XLIX)

Fructus passionis Christi spectari possunt vel respectu *Christi* ipsius, vel respectu *nostri*. — Christum quidem *po-*

[1] — Juxta *D. Thomam* (II-IIæ, Q. CLXXVIII, a. 1 ad 1) Deus etiam « *interiori* motu hominis » instrumentaliter utitur ad exequenda opera supernaturalia.

tuisse nonnulla sibi mereri, supra (Disp. IV, Q. IV a. 3) accepimus ; ea autem *de facto sibi meruisse* summatim evincitur, quia æquum est ut si quis subtraxerit sibi justa ex voluntate quod debebat habere, liberali compensatione muneretur. Atqui Christus in sua passione seipsum infra suam dignitatem humiliaverat quantum ad quatuor, scil. quantum ad mortem, sepulcri infernique locum, confusionis opprobrium, et demissionem sub humana potestate. Igitur jure optimo dicitur exaltationem meruisse etiam quantum ad quatuor, nempe quantum ad *resurrectionem, ascensionem* in cœlum, gloriam *manifestatae Divinitatis*, et influxum *judiciariae potestatis* (art. 6).

Verum præcipua hujus articuli intentio est, describere effectus quos passio *nobis* peperit ,eosque inspicere tum *secundum se*, tum ex parte *subjecti* cui destinantur.

Conclusio 1.ª — EFFECTUS PASSIONIS CHRISTI QUINQUE GENERATIM NUMERANTUR, REMISSIO PECCATI, LIBERATIO A POTESTATE DIABOLI, LIBERATIO A PŒNA PECCATI, RECONCILIATO CUM DEO ET APERTIO JANUÆ CŒLORUM ; — quorum tres sunt de *malo* removendo, duo de *bono* obtinendo.

1° *Remissio peccati.*— Hic fundamentalis effectus expresse continetur (Apoc. I, 5) : *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo ;* cf. Heb. IX, 14.— Tripliciter autem passio Christi causa est remissionis peccati : *a*) primo *dispositive* seu per modum provocantis, ineffabilis amoris exemplo, ad charitatem, qua veluti ultimo dispositi peccatorum veniam consequimur. *b*) Secundo *exigitive ;* Christus enim per suam passionem et merendi et satisfaciendi et sacrificandi et redimendi actum exercuit tanquam Caput humani generis, ex quo membra sibi conjuncta vitam derivarent. Porro secundum singulos illos causalitatis modos, jure dato ad gratiam, primum seu præcipuum arcetur salutis obstaculum, scil. peccatum sub variis rationibus aversionis a Deo, offensæ Dei, maculæ, servitutis, etc. *c*) Tertio *efficienter* ; caro enim, secundum quam Christus passus est, instrumentaliter operatur ex virtute divina ad expellendum peccatum.

2° *Liberatio a potestate diaboli.*—Dicit enim Dominus (Joan. XII, 31-32) : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, et ego, si exaltatus fuero a terra* (per crucis passionem), *omnia traham ad me ipsum ;* cf. Coloss. I, 13. — Sane homo sub potestate diaboli tenebatur triplici vinculo, scil. peccato ipso quo diabolo consenserat, justitiâ Dei eum adversæ dominationi relinquentis, et nequitiâ dæmonis omnem

artem contra humanum genus exercentis. Jamvero triplex illud vinculum vi passionis fortunatim solutum est : quippe per eam consecuti sumus remissionem peccatorum necnon reconciliationem cum Deo, justeque Deus nos dæmonis imperio in pœnam ejus iniquæ machinationis contra Christum subduxit.— Ubi subnotabo potestatem diabolicam aliam fuisse *impugnationis*, aliam detentionis seu *dominii* super humanum genus singulosque peccatores. « Potestatem igitur diaboli qua victos detinet, Christus per passionem ex toto amovit quantum ad sufficientiam ,licet non quantum ad efficientiam ... Sed potestatem qua impugnat non ex toto evacuavit, sed debilitavit, dum ipsum hostem vicit et hominibus auxilia multa ad resistendum tribuit » (3 S. D. XIX, Q. I, a. 2).

3° *Liberatio a poena peccati.*— Pœna, cujus reatus fundatur in culpa, duplex est, *aeterna* et *temporalis*. Porro ab utraque Christus eos liberavit qui effectum ejus passionis percipiunt aut percipere possunt : — *a*) A pœna quidem *aeterna* sive originali sive actuali peccato debita ; quippe, remissa culpa per passionem, necesse erat (indirecte) dissolvi reatum immediatius et formaliter culpæ connexum, scil. reatum pœnæ æternæ.— *b*) A pœna vero *temporali ;* quia passio fuit sufficiens et superabundans satisfactio pro peccatis totius humani generis. *De facto* tamen pœna temporalis respondens *peccato naturae*, ut mors, passibilitas, etc., non tolletur nisi in fine mundi, quando universa natura reparabitur ; pœna vero respondens *peccatis personalibus* totaliter aufertur per baptismum et pœnitentiam perfectam, quibus mediantibus passio Christi nobis sufficienter applicatur ; imperfectam autem pœnitentiam supplet purgatorium[1].

4° *Reconciliatio per gratiam cum Deo.*— Id explicite tradit Apost. (Rom. V, 10) : *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus ;* cf. Rom. III, 24 ; 2 Cor. V, 18-19, etc. — Revera, sicut homo per peccatum efficitur Dei inimicus, ita per gratiam eidem reconciliatur seu in amicitia divina redintegratur, propterea quod formalis est gratiæ effectus reddere justum et amicum Dei. Atqui per passionem suam Christus removit peccatum, Deique iram odore tam acceptabilis sacrificii placavit, quatenus copiosissimam gratiam humano ge-

[1] — Nota hic quæ scribit *S. Thomas* (3 S. D. XIX, Q. I, a. 3, sol. 2) : « Non oportet quod sit conformatio ad passionem Christi secundum experientiam tantæ pœnæ ad quantam aliquis obligatur ex culpa ; quia passio capitis in membra redundat, et tanto plus quanto est ei aliquis per caritatem magis conjunctus ; unde *ex vi passionis Christi diminuitur quantitas debitae poenae ;* et secundum hoc dicitur has pœnas auferre, in quantum eas diminuit. »

neri meruit ac procuravit. Ergo passio Christi effecit reconciliationem hominis cum Deo, non quidem ex parte divinæ erga nos benevolentiæ (quæ fuit principium passionis nec potest sub aliquo merito cadere), sed secundum objectivam et formalem reconciliationis rationem.

5° *Apertio januae coeli.*— Hominem per Christi passionem admissum fuisse ad fruendum beatitudine nondum ulli justo concessa, liquido constat ex verbis Ap. (Heb. X, 19) : *Habentes fiduciam in introïtu sanctorum in sanguine Christi ;* cf. Heb. IX, 12.— Et sane, duplex peccatum prohibet ab ingressu regni cælestis : unum quidem *commune* totius humanæ naturæ, a primo parente derivatum ; aliud *speciale* seu personale, proprio uniuscujusque actu commissum. Atqui passio Christi nos liberavit ab utroque peccato et quantum ad culpam et quantum ad reatum pœnæ. Ergo.— Circa *min.* advertatur peccatum originale inficere primario naturam, secundario vero personam : quocirca s. *patres* V. T. poterant per fidem passionis Christi mundari a peccato tum actuali, tum originali secundum maculam personalem, non tamen secundum quod directe et primario ipsa natura communem reatum patiebatur. Ad hunc igitur abolendum reatum passio Christi *in actu* necessaria fuit, citra quam nemo intrare poterat regnum cæleste.

Conclusio 2.ª — CHRISTI PASSIO AD OMNES HOMINES SALVANDOS INTENDITUR ; SED HUJUS UNIVERSALIS REDEMPTIONIS FRUCTUS NECESSE EST SINGULIS HOMINIBUS PER MEDIA IDONEA APPLICARI.— Utrumque eruitur ex verbis *C. Trid.* (Sess. VI, cc. 2-3), ubi Christus missus pronuntiatur ut «*omnes* adoptionem filiorum reciperent », et additur: « Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est,[1] non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat quibus meritum passionis ejus communicatur.»

1ª *Pars* dirigitur contra quosdam antiquos *praedestinatianismi* accusatos, præsertim vero contra *Calvinum*[2] et *Jan-*

[1] — 2 Cor. V, 15.

[2] — Calvini de *limitata* ad electos redemptione detestandam doctrinam (quam alii singulis ætatibus tuiti sunt) intra ipsum Protestantismi sinum maxime impugnarunt *Arminiani, Remonstrantes* etiam dicti (cf. Schaff, *The Creeds of Christendom,* vol. I, p. 517).— Plerique Calvinistæ seu Presbyteriani moderni (uti Hodge, *Syst. theol.*, vol. II, P. III, ch. 1) patrii systematis rigiditatem emollire satius judicant.

senium[1].— Refert *S. Alphonsus Lig.* (Hist. hær., Confut. XIII, n. 12) quosdam theologos sensisse quod Christus fuerit Redemptor omnium *sufficientia pretii*, non *sufficientia voluntatis ;* at Christum pro omnibus voluisse (scil. antecedenter) pretium salutis offerre, sententia communior est.

1° Demonstravimus (*de Reparat.* Disp. IV, Q. II) omnibus hominibus etiam infidelibus gratias proxime vel remote sufficientes exhiberi. Jamvero harum gratiarum fons est Christi passio. Cf. (*ibid.* a. 4) plures Scripturæ textus, 1 Tim. II, 4 ; II, 6 ; IV, 10 ; 1 Joan. II, 2 ; qui nisi a naturali detorqueantur, rem nostram plane conficiunt : asseritur enim Christus mortuus *pro omnibus*, Redemptor et Salvator *omnium*, propitiator *pro toto mundo*, absque distinctione *Judaei* et *Græci*, etc.

2° Ex *traditionis* thesauro unum depromam suffragium *Augustini*, quem adversarii pro se vindicant ; ait enim S. Doctor (de Civ. Dei, l. XX, c. 6, n. 1) : « Pro *omnibus mortuis* vivus mortuus est unus, i. e. nullum omnino habens peccatum ; » imo, de *Juda* proditore loquens, expresse eum Christi sanguine redemptum tradit (Enarr. in Ps. 68, Serm. 2, n. 11) : « Projecit, inquit, pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat ; nec agnovit pretium, quo *ipse* a Domino redemptus erat[2]. »

3° De mente *D. Thomae* non est cur vel uno momento ambigatur ; dicit enim (III, Q. XLIX, a. 1 ad 3) : « Christus sua passione nos a peccatis liberavit causaliter, i. e. instituens causam nostræ liberationis, ex qua possent *quaecumque* peccata quandoque remitti, vel præterita, vel præsentia, vel futura ; » et (*ibid.* a. 2 ad 3) : « Semper per passionem Christi est paratum hominibus remedium se tuendi contra nequitias dæmonum, etiam tempore Antichristi[3]. »

4° Universalem fuisse Redemptionem satis clare, præter ea, ostendit constans et indefessum *Ecclesiae studium* in propaganda fide Christi ejusque meritorum divitiis deferendis usque ad remotissimas et incultissimas gentes : ubique enim terrarum versati sunt ac versantur missionarii prædicantes « Christum crucifixum » omnibusque etiam despectis-

[1] — Damnata est tanquam *falsa* et *temeraria* sequens prop. Janseniana : *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.*

[2] — Vid. plura penes Petavium, *de Incar.* l. XIII, c. 2 sqq ; — Knoll, P. III, S. II, c. 2, a. 4.

[3] — Eodem spectabat oratio Christi ejusque passio. Porro « Christus, quantum est de se, *pro omnibus* oravit » (*S. Th.* in Joan. XVII, l. 2).

simis hominibus ministrantes religionis auxilia atque sacramenta[1].

2ª *Pars* concl : — 1° generatim evincitur ex ratione allata a *D. Thoma* (C. G. IV, 55) : « Mors Christi est quasi quædam *universalis causa* salutis, sicut peccatum primi hominis fuit quasi universalis causa damnationis. Oportet autem universalem causam applicari ad unumquodque specialiter, ut effectum universalis causæ participet. Effectus igitur peccati primi parentis pervenit ad unumquemque per carnis originem ; effectus autem mortis Christi pertingit ad unumquemque per spiritualem regenerationem, per quam homo Christo quodammodo conjungitur et incorporatur ; et ideo oportet quod unusquisque quærat regenerari per Christum et alia suscipere in quibus virtus mortis Christi operatur.»

2° Quantum ad *media* quibus passio Christi nobis applicatur, « *baptismus*, *poenitentia* et *alia sacramenta* exiguntur ad deletionem peccatorum sicut instrumentaliter agentia... unde agunt in virtute passionis dominicæ, et ipsam passionis virtutem in nos quodammodo transfundunt » (3 S. D. XIX, Q. I, a. 1, quæstiunc. 2 ad 4).— Etiam per *fidem* explicitam vel implicitam passionis Christi fructum Redemptionis percipimus, secundum illud (Rom. III, 25) : *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Hæc tamen fides non mundat a peccato nisi sit *caritate* formata, cum *voto* sacramentali saltem implicito.— Tandem homo per passionem Christi ab omnibus peccati sequelis liberatur, sed *certo ordine* nec sine propria *cooperatione :* unde, licet merita et satisfactiones Salvatoris superabundaverint, datur tamen locus, absque Redemptionis præjudicio, meritis et satisfactionibus nostris. *a*) Sane *merita* justorum, nedum opponantur meritis Christi (ut *Novatores* volunt), in eorum laudem redundant, tum quia ab illis nascuntur, tum quia inde habet homo quod nobili suæ activitatis usu salvetur[2]. *b*) *Satisfactiones* nostræ quare requirantur, supra (art.2) declaravimus ; cujusque tamen satisfactio « *multo minor* sufficit quam esset condigna peccato, cooperante satisfactione Christi » (III, Q. XLIX, a. 3 ad 2). *c*) *Indulgentiarum* quoque thesaurus includit passiones sanctorum Christi passionibus adjunctas, non quasi hæ per se non sufficiant, sed quia æquum est ut illæ fructu non frustrentur, præsertim cum id sit Christo, a

[1] — Cf. Leonis XIII ep. encycl. *Sancta Dei civitas*, de tribus piis operibus gallice dictis *Propagation de la Foi ; Sainte Enfance ; Ecoles d'Orient.*

[2] — Bellarm., *de Justific.* l. V, c. 5.

quo omne bonum nostrum manat, gloriosum, ipsisque sanctis honorificum.

QUÆSTIO QUARTA

DE MORTE ET SEPULTURA CHRISTI

Quæ S. Thomas de hoc argumento per duas distinctas quæstiones edisserit, nos, brevitatis gratia, ad tres articulos sub uno disquisitionis capite reducemus sequenti ordine : nimirum dicemus de *convenientia mortis* Christi (art. 1), de propria illius *mortis indole* (art. 2), deque Christi *sepultura* (art. 3).

ARTICULUS I.

De convenientia mortis Christi.

(Q. L, aa. 1 et 6)

Contra *Paulusium* aliosque scientiæ biblicæ corruptores admissum supponimus factum fundamentale mortis *verae* (non lethargicæ tantum) Salvatoris in cruce ; quod quidem non solum Scriptura explicite impliciteque attestatur, sed et universa christianitas omnis ævi pro certo indubitatoque habuit.— Altissimum profecto stupendumque mysterium, in quo Auctor vitæ vitam verissimo verbórum sensu amisit !

Conclusio.— OMNINO CONVENIENS FUIT CHRISTUM MORI.

1° Id colligitur ex sententia prophetica Caïphæ qui, licet in mente haberet bonum temporale suæ gentis, Deo tamen inspirante et intendente bonum humani generis spirituale, hæc effatus est (Joan. XI, 50) : *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.*

2° Hoc convenientissimum fuit quod procurandæ saluti nostræ tum *immediate* tum *mediate* deservire maxime poterat. Atqui hujusmodi est mors Christi : ergo. *Min.* ostend. per partes.

1ª *pars min.* decl : — etenim mors Christi spectari potest tum *in fieri*, tum *in facto esse*.— *a*) Porro, sub primo respectu, congruentissime Christus se morti subjecit, ut sic satisfaceret sustinendo pœnam ipsam quam humanitas prævaricatrix meruerat.— *b*) Sub altero respectu, mors seu

emortuum Christi corpus aptum fuit instrumentum Divinitatis sibi unitæ ad quosdam effectus salutis *efficienter* producendos : quippe congruit instrumentum quo simul producitur atque significatur aliquali similitudine intentus effectus. Jamvero evidens analogiæ similitudo hic reperitur, quatenus per mortem Christi destructa dicitur et mors animæ seu peccatum, et mors corporis ex peccato consecuta ; quod Ecclesia canit (Præf. Pasch.) : *Qui mortem nostram moriendo destruxit.* Ergo.

2ª *pars min.* evincitur, quia *mediate* et per modum doctrinæ mors Christi plures utilitates præstitit : — *a*) Nos imprimis certiores fecit de *veritate naturae* a Verbo Dei assumptæ. — *b*) Christo mortem fortiter aggrediente, facilius quoque imbecilles homines poterant a *timore mortis* liberari, prout expresse notavit Ap. (Heb. II, 15). — *c*) Item, congruebat mors Domini, ut corporaliter moriens in pœnam peccati daret nobis exemplum *spiritualiter moriendi* peccato, juxta illud (Rom. VI, 10-11) : *Quod mortuus est peccato, mortuus est semel ; quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo.*— *d*) Tandem hoc ipsum conveniebat ut opportunitas daretur admodum proficuæ ac gloriosæ Salvatoris ressurrectioni.

ARTICULUS II.

De indole propria mortis Christi.

(Art. 2-5)

Ut ea quæ ad mortem Christi peculiari modo pertinent plane appareant, tria (præter separationem animæ a corpore in qua mors communiter consistit) investiganda sunt : 1ᵘᵐ, quænam fuerit in *triduo mortis* habitudo Divinitatis ad carnem et animam Christi; 2ᵘᵐ, num Christus tunc retinuerit rationem *specificam* hominis; 3ᵘᵐ, num fuerit *idem numero* corpus Christi viventis et mortui.

Conclusio 1.ª — Divinitas in morte Christi non est a carne animaque separata, imo nec a sanguine.

1ª *Pars* (juxta Suarez, Disp. XXXVIII, S. 2, n. 4) communis est sententia theologorum, quæ certe innititur in traditione[1] et consensu Ecclesiæ. — Sequenti processu argumentabimur.

[1] — Patrum doctrinam erudite, ut assolet, expendit Petavius, *de Incarn.* l. XII, c. 19.

1° Ea quæ sunt humanæ naturæ non dicuntur de Filio Dei nisi ratione unionis. Atqui, in *Symbolo*, de Filio Dei prædicatur id quod corpori Christi emortuo separatæque animæ convenit, scil. esse *sepultum* et *descendisse ad inferos*. Ergo. — 2° Dona de se *permanentia* divinæ gratiæ nunquam sine culpa hominis revocantur, siquidem *sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei* (Rom. XI, 29) ; ex altera parte, gratia unionis, per quam divinitas unita est hypostatice carni et animæ Christi, de se maxime permanens est, in quantum ordinatur non ad affectualem tantum, ut gratia adoptionis, sed ad substantialem unionem. Atqui in Christo nullum fuit peccatum, quo conjunctio divinitatis cum carne et anima dissolveretur. Ergo hæc conjunctio post mortem perseveravit (cf. supra Disp. II, Q. III, a. 5).— 3° Ad præcavendas quasdam objectiones, duo advertemus. *a*) *Primo*, quamadmodum Verbum Dei propter unionem humanæ naturæ non dicitur humanitas, sed habens humanitatem, ita ex ejus conjunctione cum corpore et anima in triduo mortis non sequitur quod fuerit anima et corpus, sed *habens* animam et corpus. *b*) *Secundo* (ut expresse docet *Damascenus*, Orth. Fid. III, 27), licet durante morte divinitas conjuncta manserit animæ et corpori, *non* propterea persona una *in duas* divisa fuit, sed eadem Verbi hypostasis subsistentiam utrique, tum animæ, tum corpori, communicavit.

2ª *Pars* respicit *sanguinem* in passione effusum : de quo magna olim exarsit controversia inter *Franciscanos* et *Dominicanos*, his propugnantibus permanentiam unionis Verbi cum sanguine illo, prioribus vero eam negantibus. Res (prouti refert Billuart, Diss. VII, a. 2) delata est ad Pium II et coram eo agitata, quin S. Pontifex quæstionem definierit : *communior* tamen longeque *securior* videtur *sententia affirmans*.

1° In ejus gratiam suppetit auctoritas et ratio *D. Thomae* (Quodl. V, a. 5) : « Sanguis ille, ait, in passsione effusus humanum genus sanctificavit, secundum illud (Heb. XIII, 12) : *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Humanitas autem Christi salutiferan virtutem habuit ex virtute Verbi sibi uniti (Damasc.). Unde manifestum est quod sanguis in passione effusus, qui maxime fuit salubris, fuit Divinitati unitus ». — 2° Accedit, quod sanguis, utpote pertinens ad integritatem humanæ naturæ fuit a Verbo simul cum carne, scil. a conceptionis initio, assumptus : ergo, sicuti caro mansit Verbo unita in triduo mortis, ita et sanguis ; cui, non secus ac reliquis humanæ

naturæ partibus, congruit axioma : *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.*

Conclusio 2.ª — SIMPLICITER ET ABSOLUTE LOQUENDO, ERRONEUM EST DICERE QUOD CHRISTUS IN TRIDUO MORTIS FUERIT HOMO.— Dico *simpliciter* et absolute ; nam conceditur Christum tunc fuisse hominem *mortuum*, quod est conditio diminuens.

Thesis 1° fundatur in *veritate fidei*.— a) Etenim fide tenemus (juxta definitionem *Conc. Ephes.*) Christum *vere* fuisse *mortuum*. Atqui huic propositioni immediata oppositione contradicit altera, scil. Christum in triduo mortis retinuisse rationem specificam hominis. Ergo postremum hoc est error contra fidem. *Min.* liquet, quia pertinet ad veritatem mortis in homine quod desinat esse homo, disjunctâ a corpore animâ per quam completur humana natura.— *b*) Præterea, remoto superiori seu universaliori, removetur inferius seu magis particulare ; vivum vero superius est ratione animalis et hominis. Atqui ex fide novimus corpus Christi in triduo mortis *non fuisse vivum*. Ergo a fortiori non fuit humanum nec proinde Christus fuit homo.

Conf. 2° ex *falso fundamento* adversariorum.— *a*) Ideo quidam æstimarunt Christum in triduo fuisse hominem, quia vel tenebant hominem constitui per *solam animam* (Hug. de S. Victore), vel arbitrabantur unionem animæ et carnis non omnino requiri ad rationem hominis, verum hæc duo elementa sufficere etiam *sejuncta*, præsertim si in uno supposito conveniant (Petr. Lombardus). Atqui sanæ philosophiæ dogma est rationem humanæ naturæ essentialiter coalescere ex corpore et anima corpus informante. Ergo.— *b*) Argumentum etiam desumebant ex eo quod Christus nunquam desiit esse sacerdos (Ps. CIX, 5) ; sacerdos autem est homo. At « esse *sacerdotem* convenit homini *ratione animae*, in qua est ordinis character ; unde per mortem homo non perdit ordinem sacerdotalem, et multo minus Christus, qui est totius sacerdotii origo » (a. 4 ad 3).

Conclusio 3ª. — IDEM FUIT CORPUS CHRISTI VIVENTIS ET MORTUI MATERIALITER ET SUPPOSITALITER, NON TAMEN FORMALITER.

1ª *Pars* facile innotescit: — siquidem *a*) ex eadem *materia* constabat corpus Christi ante mortem et in triduo mortis. — *b*) Similiter idem *supposito* fuit corpus Christi vivum

et mortuum, propterea quod non desiit subsistere per hypostasim Verbi.— *c*) Jamvero quod servat idem suppositum potest *absolute* dici idem numero : unde, sub hoc respectu, retinuit corpus Christi in triduo mortis unitatem *numeralem*.

2ª *Pars* 1° *prob.* duplici medio. — *a*) Corpus, quod mutatur secundum speciem humanæ naturæ, non manet *formaliter* idem. Atqui corpus Christi mortuum non habuit amplius de vita quæ ingreditur essentialiter humanam naturam. Ergo. — *b*) Accedit ratio *ex opposito*. Si enim diceretur corpus Christi mansisse totaliter idem, sequeretur quod non esset corruptum corruptione mortis : id autem ipsa est hæresis *Gaïani*, quam Patres repudiarunt velut contrariam veritati humanæ salutis.

2° *Decl.* assertum.— Docuit *Scotus* corpus, qua tale, in humano composito constitui, non per gradum inferiorem animæ, sed per formam quamdam corporeitatis ab anima distinctam ; unde, secundum hanc sententiam, corpus Christi, in quantum *corpus*, idem omnino mansisset post separationem ab anima. Verum positio Scotistica adversatur sanæ doctrinæ[1] saltem philosophicæ, ideoque tenendum est corpus Christi, irruente morte, formam induisse *cadavericam*, qua ejus species immutata est. — Hanc vero formam sibi cum corpore hypostatice cunjunctam, nihil vetat quin *Verbum* mox dimiserit ; quippe perpetuitas assumptionis a Verbo (quam Patres efferunt) intelligi debet de iis quæ *per se* et permanenter, non vero de iis quæ *per accidens* et transeunter tantum, ut forma cadaverica in triduo mortis, ad naturam humanam pertinent.

ARTICULUS III.

De sepultura Christi.

(Q. LI)

Circa propositum argumentum tria considerabimus, scil. *convenientiam* sepulturæ, *modum* quo facta est, et *qualitatem* corporis sepulti.

Conclusio 1.ª — Conveniens fuit Christum sepeliri. Id congruisse evincit *D. Thomas* tribus rationibus, dogmatica una, aliis moralibus (art. 1) : — « *Primo*, ait, ad com-

[1] — Vid. tract. nost. *de Creatione*, Disp. VI, Q. I, a. 3.

probandum veritatem mortis ; non enim in sepulcro aliquis ponitur, nisi quando jam de veritate mortis constat. Unde et Marc. XV legitur quod Pilatus, antequam concederet Christum sepeliri, diligenti inquisitione cognovit eum mortuum esse.— *Secundo*, quia per hoc quod Christus de sepulcro resurrexit, datur spes resurgendi per ipsum his qui sunt in sepulcro, secundum illud (Joan. V, 28) : *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et* (v. 25) *qui audierint vivent.* — *Tertio*, ad exemplum eorum qui per mortem Christi spiritualiter moriuntur peccatis, qui scil. absconduntur a conturbatione hominum. Unde dicitur (Coloss. III, 3) : *Mortui estis et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo* ».

Conclusio 2.ª — MODUS SEPULTURAE CHRISTI CONVENIENS QUOQUE DICENDUS EST.

Constat ex Scriptura nobilem decurionem Joseph ab Arimathæa corpus Jesu honorifice sepeliisse, illud ungendo copiosis aromatibus a Nicodemo acceptis, involvendo sindone munda, ponendoque in monumento suo novo, quod in horto vicino excisum erat de petra, et cujus ostio saxum magnum advolvit. Atqui hæc omnia convenienter facta dicimus :

1° *Ex parte personarum ;* laudabilis namque illa pietas in sepeliendo Christo præfigurabat devotionem fidelium, qui erant Christo mortuo servituri.

2° *Ex parte rerum.*— *a*) Aromata enim *myrrhae* et *aloes* ob suî amaritudinem significabant pœnitentiam, per quam homo debet Christum in seipso absque corruptione peccati conservare.— *b*) *Involutio* corporis pertinebat ad decentiam honestatis ubique servandam.— *c*) Salvator sepultus est *in horto*, ut ostenderetur nos per ejus mortem liberari a morte quam incurrimus per peccatum Adæ in horto paradisi commissum.— *d*) *Sepulcrum* autem Christi erat et alienum et novum : *alienum*, prouti congruebat paupertati ejus qui domum in vita non habuit ; *novum* vero, ut daretur intelligi quod per illam sepulturam omnes innovamur, morte et corruptione destructa. — *e*) Excisum erat *in petra* , ne si multis lapidibus exstructum fuisset, tumuli fundamentis suffossis vel semotis lapidibus, Christus furto ablatus diceretur. — *f*) Tandem *saxum magnum*, ostio monumenti appositum, demonstrabat (contra resurrectionis adversarios) quod non absque plurimorum auxilio sepulcrum potuisset reserari.

Conclusio 3.ª — CORPUS CHRISTI IN SEPULCRO INCORRUPTUM MANSIT.

1° Huc pertinet sententia prophetica (Ps. XV, 10) : *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem ;* quippe (teste Suarez, *Comm.* in art. 3) conveniunt Patres in loco illo exponendo de Christo ; imo hanc interpretationem expresse tradit Scriptura (Act. II, 27 et 31).

2° *a)* Fatendum est corpus Christi quantum ad conditionem naturæ passibilis *putrefactibile* fuisse, licet non quantum ad meritum putrefactionis, quod est ex peccato ; sed *virtus divina* illud a corruptione præservavit, sicut et resuscitavit a morte.— *b) Ratio* summa est, quia putrefactio vel incineratio provenit ex infirmitate naturæ, quæ non valet amplius corporis unitatem continere. Jamvero Christus sponte, non coacte, nec ex naturæ debilitate, mortem passus est. Ergo, ne ejus mors naturali infirmitati adscriberetur, noluit corpus suum putrefieri vel incinerari, sed illud intactum servavit.

In morte se mortis victorem Christus demonstravit.

QUÆSTIO QUINTA

DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS

Postremam hanc Christi humiliationem (si tamen fas est ea voce nuncupare demissionem pure localem et extrinsecam)[1] tripliciter inspiciemus, ut responsio detur triplici quæsito, *an*, *quomodo*, et *ad quid* Christus descenderit ad inferos.

ARTICULUS I.

Utrum vere congrueque Christus ad infernum descenderit.

(Q. LII, a. 1)

Hoc in titulo duo distincte investiganda proponuntur, scil. *veritas* descensus ad inferos ejusque *convenientia*.— Veritatem vero offenderunt duplex adversariorum genus, nempe tum ii protestantes, qui post *Bucerum* et *Bezam*, nomine

[1] — Plerique theologi, ut Suarez, Bellarminus, Billuart (contra Cajetanum) sentiunt descensum ad inferos haud fuisse Christo pœnam *proprie* dictam.

inferni intellexerunt sepulcrum vel statum invisibilem[1], tum *Durandus* cujus sententia fuit Christum fuisse in inferno, non secundum animæ *essentiam*, sed secundum effectum tantum.

Conclusio 1.ª — VERE CHRISTUS AD REGIONEM INFERNALEM DESCENDIT, NEC SECUNDUM EFFECTUM TANTUM, SED ET SECUNDUM ANIMÆ SUBSTANTIAM.

1ª *Pars fide* constat non solum ex *Conc. Later. IV* (cap. *Firmiter*), sed et ex *Symbolo Apost.* in quo verba *descendit ad inferos* adjecta non fuissent, nisi quidpiam a sepultura distinctum exprimerent.

1° Sane firma existant *Scripturarum* testimonia : duo præcipua proferemus.— S. Petrus (Act. II) Christo applicat verba (Ps. XV) : *Non derelinques animam meam in inferno*, inquiens (v. 31) : *Neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Perperam vero Beza (contra Patrum interpretationem) « animam in inferno » intelligit de cadavere in sepulcro, cum et verborum proprietas et ipse contextus, juxta quem anima distinguitur a carne, hunc sensum prohibeat.— Alter locus est (Eph. IV, 8-9) : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem... Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae.* Extrema verba de descensione ad *infernum* exponenda esse non solum plures Patres suadent, sed *D. Thomas* (*Comm.* in h. l.) verisimiliter colligit ex prædicta *captivitate* quam solvit Christus, in altum deducens animas sanctas de regionibus in quibus detinebantur (cf. Bellarm. *de Christo*, l. IV, c. 10 et 12, qui Bezæ argutias docte persequitur et exsufflat).

2° *Traditionis* effata laudatus auctor (*ibid.* c. 14) erudite coegit inde ab antiquissimis temporibus, ita ut sensus Græcorum æque ac Latinorum unanimus videatur. Scripsit *S. Irenaeus* (c. Hær. l. IV, c. 27, n. 2) « Dominum in ea, quæ sunt sub terra, descendisse, evangelizantem et illis adventum suum, remissione peccatorum existente his qui credunt in eum.» *S. Cyrill. Hieros.* (Catech. IV, n. 11) : « Descendit ad subterranea, ut illinc justos liberaret ; » cf. Catech. XIV n. 19. Et *S. Augustinus* (Ep. 57 ad Dard. c. 2) : « Neque ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Jesus ; sed in inferno secundum animum, in sepulcro autem secundum carnem ».

2ª *Pars* dirigitur contra Durandi sententiam, quæ *temeraria* ac *erronea* declaranda est.

[1] — E recentioribus Hodge, *Syst. theol.*, huic positioni assentitur.

1° Etenim *Concilia*, *Scripturae* et *Patres* diserte habent, Christi *animam* descendisse ad inferos, dum caro mansit in sepulcro. Atqui certum est carnem dominicam in sepulcro jacuisse per se, non per effectum. Ergo a pari etc.

2° *Falsae* manarent *consequentiae*.— *a*) Siquidem in primis sequeretur quod Christus fuisset in inferno et animâ et *carne*, quoniam per utrumque in unum compositum humanum conveniens operatus est hominum salutem. — *b*) Sequeretur etiam quod anima Christi simul *in pluribus locis* versata fuisset, quandoquidem in illo mortis triduo influxum aliquem exercebat et in inferno, et in terra, et in cœlo, liberans animas patrum, ingerens discipulis contritionem et spem, Angelos lætificans, etc.— c) Demum, quia pergit defunctorum animas jugiter solari, quidni *in purgatorio* saltem *remansisse* dicitur ?

Conclusio 2.ª — Convenienter Christus ad infernum descendit.

Prob. 1° ex *analogia* Redemptionis.— Christus enim, innocens, at sub specie rei, venerat pœnam nostram portare, ut nos a pœna eriperet. Atqui ex peccato homo incurrerat non solum mortem corporis, sed etiam descensum animæ ad inferos. Ergo sicut fuit conveniens Christum mori ut nos a morte (scil. per resurrectionem) liberaret, ita expediebat eum ad inferos descendere ut nos ad cœlum traheret. Unde dicitur (Os. XIII, 14) : *Ero mors tua, o mors ; morsus tuus ero, inferne.*

2° Ex *effectu* producendo.— Decebat Christi triumphum ut diabolo per passionem devicto, vinctos ejus in inferno detentos manu veluti propria eriperet. Atqui hoc admirabiliter perfectum est, Christo secundum animam ad inferos procedente ; quod exprimitur (Zach. IX, 11) : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu ;* et (Coloss. II, 15) : *Expolians principatus et potestates traduxit confidenter.*

3° Ex *gloria Christi* manifestanda.— Congrue enim rex interdum carceres visitat ut, liberatis nonnullis mancipatis, aliis vero perterritis, auctoritatem et majestatem suam demonstret. Atqui Christus rex est totius mundi, superioris et inferioris. Igitur congruebat ut, infernum visitans suæque radiis gloriæ illuminans, ibidem regiam suam potestatem ostenderet, et sic *in nomine Jesu omne genu* flecteretur *coelestium, terrestrium et infernorum* (Phil. II, 10).

Solv. obj.— Obj. 1. — Infernus est mali regio. Atqui non decuit sanctissimam Christi animam ingredi regionem mali. Ergo.

Resp. *D. M :...* aut mali culpæ, aut mali pœnæ, *C ;* culpæ tantum, *N. — C. d. m :...* regionem mali culpæ, *C ;* mali pœnæ, *S. d :* perinde ac esset debitor pœnæ, *C ;* ut alios pœnæ obnoxios liberaret, *N. — Neg. conseq.*

Obj. 2. — Quæ Christus egit, ordinabantur ad humanam salutem. Atqui humana salus jam sufficienter procurata erat per passionem, quin descensus ad inferos requireretur. Ergo.

Resp. *D. M :...* ad humanam salutem aut universaliter operandam aut singulariter applicandam, *C ;* ad salutem universaliter operandam tantum, *N. — C. d. m :* passio erat universaliter causa salutis nostræ, *C ;* nec causam illam decebat mortuis applicari per descensum Christi ad inferos, *N. — Neg. conseq.*

Obj. 3.— Anima, separata a corpore, non potest localiter moveri. Atqui descensus importat motum localem. Ergo.

Resp. *D. M :...* eo genere motus quo moventur corpora, *C ;* nec eo genere motus quo moventur Angeli, scil. per *contactum virtualem* quo alicubi agit et definitive sistit, *N. — C. m. — Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Quanam ratione Christus in inferno versatus est.

(Art. 2-4)

Agitur hic de describendis *circumstantiis* descensionis Christi ad inferos ; quo sub capite tria investigationi nostræ offeruntur : unum de determinatione *loci*, aliud de *modo essendi* in loco, tertium de *tempore* seu duratione mansionis.

Conclusio 1ª. — Recensitis variis inferni generibus, statuitur in quo Christus steterit.

1ª *Pars* absolvetur verbis *D. Thomae* (3 S. D. XXII, Q. II, a. 1, sol. 2) : « Quadruplex est infernus. Unus est infernus damnatorum, in quo sunt tenebræ et quantum ad carentiam divinæ visionis et quantum ad carentiam gratiæ, et est ibi pœna sensibilis ; et hic infernus est *locus damnatorum.* — Alius est infernus supra istum, in quo sunt tenebræ et propter carentiam divinæ visionis et propter carentiam gratiæ, sed non est ibi pœna sensibilis ; dicitur *limbus pue-*

rorum.— Alius supra hunc est, in quo sunt tenebræ quantum ad carentiam divinæ visionis, sed non quantum ad carentiam gratiæ, sed est ibi pœna sensibilis ; et dicitur *purgatorium.*— Alius magis supra est, in quo est tenebra quantum ad carentiam divinæ visionis, sed non quantum ad carentiam gratiæ, neque est ibi pœna sensibilis ; et hic est *infernus ss. patrum* » (qui etiam *limbus patrum*, aut ob quietem *sinus Abrahae*, nominatur).

2ª *Pars* ita accipienda est quod Christus secundum *suî præsentiam* descendisse credatur ad *limbum patrum* tantum (alii addunt, ad purgatorium) ; quamvis secundum *effectum* quemlibet inferorum attigerit.

1° Revera eos tantum expediebat Christum localiter invisere secundum animam humanam, quos interius per gratiam visitabat secundum divinitatem, ceu liberator et gloriæ dator. Atqui Christus beneficium liberationis et gloriæ largitus est primario animabus ss. patrum et secundario nonnullis animabus purgatorii (ut mox dicemus). Ergo.— Cæterum, in una inferni parte existens, influxum suum sive consolantem sive terrificantem ad reliqua loca infernalia utcumque derivavit, sicut et in uno loco terræ passus totum mundum passione redemit.

2° Nec *Scriptura* reapse insinuat Christum descendisse ad infernum *damnatorum.*— *a*) Nam quod legitur (Act. II, 24), *Deus* (Christum) *suscitavit solutis doloribus inferni*, non est interpretandum de iis quæ damnati patiuntur, sed de dolore proveniente in ss. patribus ex dilatione speratæ gloriæ ; quem dolorem præsentiâ et opere dissipavit Christus.— *b*) Dubium est circa alium textum (1 Pet. III, 19) : *In quo* (spiritu) *et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit, qui increduli fuerant aliquando*, etç. Equidem fatemur verba ista diversimode ab interpretibus explicari ; probabilior tamen hic videtur sensus conclusioni nostræ consonus, nempe quod Christus in carcere inferni nuncium Redemptionis prædicaverit omnibus bonis spiritibus, nominatim vero iis qui, in diebus Noë increduli, finaliter pœnitentiam egerunt et salvi facti sunt[1].

Conclusio 2ª.— Totus fuit Christus in inferno, non tamen totaliter.— Est conclusio *theologica.*

Sane masculinum genus refertur ad hypostasim vel personam, neutrum vero ad naturam : ergo vere Christus totus fuisse dicitur, ubi tota ejus persona fuit secundum aliquid

[1] — Cf. Bellarm., *op. cit.* c. 13.

sibi unitum. Atqui post mortem perseveravit in Christo unio hypostatica Verbi cum corpore sepulto animaque ad inferos recepta. Ergo vere Christus totus in inferno fuit.— *Non* tamen *totaliter :* quia persona Christi nullo loco circumscribitur ; unde, dum totus erat in inferno ratione animæ, totus etiam fuit in sepulcro ratione corporis.

Conclusio 3ª.— ANIMA CHRISTI TAMDIU CREDITUR MANSISSE IN INFERNO, QUAMDIU CORPUS EJUS MANSIT IN SEPULCRO.

1° Biblicum argumentum habemus (Matth. XII, 40) : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.* Plerique enim (teste *Knabenbauer* in h. l.) verius *cor* terræ accipiunt pro inferno, in quo Christus versatus est secundum animam ; tres vero dies et noctes synecdochice ponuntur pro parte parasceves, tota die sabbati et parte diei sequentis.— 2° Sicut Christus, ut nostras pœnas in se susciperet, voluit corpus suum in sepulcro jacere, ita etiam voluit animam suam ad infernum descendere. Atqui corpus ejus in sepulcro remansit per diem integrum et duas noctes, ad comprobandum veritatem mortis suæ. Ergo etiam tantumdem credendum est animam ejus fuisse in inferno.— 3° Id non vetat quin Christus, *statim* ad infernum accedens, vectes illius carceris confregerit sanctosque ibi existentes liberaverit, eos luce gloriæ illustrando ; unde hac gloria donatum fuisse latronem ab instante mortis intelligitur ex dicto Christi (Luc. XXIII, 43) : *Hodie mecum eris in paradiso* (i. e. in paradiso spirituali). Attamen latro, etsi jam animâ beatus, cum Christo ad infernum descendit : quo de loco mox, resurgente mortis Victore, cum ss. patribus egressus est.

ARTICULUS III.

Quosnam Christus ad inferos descendens exinde liberavit.

(Art. 5-8)

Subit hic in specie determinandus effectus quem jam in genere convenire admisimus descensui animæ Christi ad infernum. Circa quod inquirere opus est utrum *ss. patribus*, utrum *damnatis*, necnon animabus *purgatorii* salutifera illa descensio profecerit.

Conclusio 1ª.— CHRISTUS DESCENSU SUO SANCTOS PATRES AB INFERIS LIBERAVIT ; scil., levato obstaculo, eos actu beatificavit, nec diu post de loco inferni in cœlum eduxit : quorum

primum *fide* certum existimat *Suarez* (Disp. XLIII, S. 3), alterum vero *communi* Ecclesiæ sensu firmatur.

1° Huc faciunt quæ supra constituimus, tum recensendo inter effectus passionis *apertionem januae* cœlorum (quæst. III, a. 6), tum demonstrando *veritatem* et *convenientiam* descensus Christi ad inferos (quæst. præs., a. 1) ; plerique enim textus biblici vel patristici ibidem allati præsentem conclusionem speciatim adstruunt.

2° Ideo animæ justorum V. T. nondum fruebantur divina gloria, quia (etiam supposita purgatione ab omni labe personali) prohibebantur reatu totius humanæ naturæ. Atqui hunc reatum sustulit Christus, oblato per passionem pretio Redemptionis eoque per descensum ad inferos mortuis applicato. Ergo Christus descensu suo animas illas *actu beatificavit*. Atqui propter hoc sancti patres detinebantur in inferno, quod nondum eis aditus ad vitam gloriæ pateret. Ergo etiam Christus eos *de inferni claustro in cœlum* eduxit.— *Evolv. arg. a*) In primis ss. patres caruisse visione Dei, docet Ap. (Heb. XI, 13) : *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes. b*) Hæc *poena* fuit originalis peccati ; cujus figuram agnoscit Angelicus (art. 5) in ejectione hominis de paradiso terrestri. *c*) Unde animæ sanctæ[1], etsi impeccabiles futuræque felicitati certo fidentes, haud poterant quin internum quemdam *dolorem* seu tristitiam experirentur ex dilatione expectatæ gloriæ, pieque orantes suspirabant in Christi adventum. *d*) Verum firma spes magnumque ex ea promanans *gaudium* dolorem temperabat, secundum illud (Joan. VIII, 56) : *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum ; vidit, et gavisus est. e*) Nihilominus non in loco cœlesti, sed in secessu *inferni* (de cujus natura non plane constat) detinebantur animæ illæ, prout communis habet traditio ipsaque Scriptura declarat, puta (Gen. XXXVII, 35) : *Descendam*, ait Jacob, *ad filium meum lugens in infernum*[2]. *f*) Patet igitur quam vere Christus, exhibens sanctis in inferno reclusis fructum suæ passionis, eos liberaverit.

Conclusio 2ª.— CHRISTUS DELAPSUS AD INFEROS NEC DAMNATOS ADULTOS, NEC PUEROS CUM ORIGINALI PECCATO DECES-

[1] — C. Hodge (*Syst. Theol.* vol. II, p. 621) præjudiciis protestanticis indulget aperteque catholicos calumniatur, quando his tribuit doctrinam quod ante Christi Ecclesiam nulla esset peccati remissio ac sanctificatio.

[2] — De toto hoc argumento vid. ampliora penes Suarezium (Disp. XLI, S. 1-2).

SOS A DAMNATIONE ERIPUIT ; — quod *Suarez* (Disp. XLIII, S. 3, n. 6) *de fide* esse opinatur saltem in genere.

Prob. communi argumento.— Descensus Christi ad inferos, vim passionis applicans, illis solis liberationis fructum contulit qui fuerant eidem passioni conjuncti per fidem charitate formatam et peccati deletricem ; nam Christum *proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius* (Rom. III, 25). Atqui damnatis omnibus deerat hæc conditio : quippe *adulti* aut penitus fide caruerant, aut saltem charitate et gratia, unde in peccatis suis decesserant ; *pueri* vero, rationis usus expertes, nec fidem propriam habere potuerant, nec per fidem parentum vel aliquod fidei sacramentum (ut supponitur) fuerant a peccato originali mundati. Ergo.

Duæ subjiciantur *animadversiones*.— *a*) Quantum ad *adultos* damnatos, ad eos usque devenit effectus descensionis Christi, non quo consolationem et levamen acciperent, sed quo confutationem et confusionem sibi debitam subirent.— *b*) Quantum ad *pueros* in originali culpa decessos, eorum status omnino differebat a statu ss. patrum : siquidem patres, etsi detinerentur adstricti reatu pœnæ originalis, erant tamen ab omni peccati macula mundati, ideoque liberationis capaces ; pueri vero tenebantur tum reatu pœnæ tum reatu culpæ.

Conclusio 3ª.— LICET CHRISTUS DESCENDENS AD INFEROS PURGATORIUM (PROBABILIUS SALTEM) NON EVACUAVERIT, RECTE CREDITUR QUASDAM ANIMAS INIBI DETENTAS LIBERASSE : CERTE VERO IN RELIQUIS SPEM AUXIT CONSEQUENDÆ GLORIÆ.

1ª *Pars*, cui plures olim contradixisse referuntur, hac *D. Thomae* ratione nititur.— Descensus Christi ad inferos liberatorius fuit in virtute passionis ejus ; Christi autem passio non habuit tunc majorem efficaciam quam nunc habeat. Atqui nunc non liberat omnes animas purgatorii universim sumptas, sed eas tantum quæ participant ejus virtutem per aliquid *specialiter ad unamquamque pertinens*, scil. per satisfactionem propriam vel alienam sibi applicatam, aut per vim sacramentalem. Ergo.

2ª *Pars* colligitur ex *Auctore* (art. 8 ad 1). Concedit enim S. Thomas aliquibus in purgatorio detentis fuisse collatum liberationis beneficium, « scil. *a*) illis qui jam sufficienter purgati erant, *b*) vel etiam qui, dum adhuc viverent, meruerunt

per fidem et devotionem ad mortem Christi, ut eo descendente, liberarentur a temporali purgatorii pœna[1]. »

3ª *Pars* patet ex duobus : *primo*, quia Christus omnes animas purgatorii liberavit a *communi* reatu quo, propter peccatum Adæ, excludebantur a gloria ; *secundo*, quia in eis spem confirmavit multiplicium auxiliorum quibus, ex applicata Christi passione, possunt nunc debita *personalia* illarum animarum exsolvi.

[1] — Id ita commentatur *Cajetanus* (in h. l.) : « Rationabiliter dicitur quod Christus descendens ad inferos multos in purgatorio existentes, qui non tam cito fuissent liberati, ex *speciali gratia descensus sui* liberavit. Consentaneum siquidem est ut multæ personæ propinquæ tempori mortis Christi, ante ipsum mortuæ, præparatæ sint a Deo cum simili devotione, ut sicut nascens Simeonem et Annam perfectos invenit, et Pastores et Magos præparatos, ut digni essent consolatione nativitatis suæ, ita moriens non solum Patres sanctos perfectos, sed etiam in purgatorio speciali devotione præparatos inveniret qui digni essent consolari ex descensu ad inferos liberatorio ».

DISPUTATIO DECIMA

DE CHRISTI TRIUMPHO

Expletis iis quæ spectant ad passionem Christi, consideranda supersunt ea quæ respiciunt ejus exaltationem seu triumphum ; nam *qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. XIV, 11). Unde, secundum ipsum *Symboli* ordinem, successive agemus : *primo* de Christi resurrectione ; *secundo*, de ejus ascensione ; *tertio*, de ejus sessione ad dextram Patris et judiciaria potestate, quæ duo ad supernam Christi gloriam pertinent.

QUÆSTIO PRIMA

DE RESURRECTIONE CHRISTI

Doctrinam D. Thomæ quatuor articulorum spatio comprehendemus, in quibus ex ordine tractabitur *factum* resurrectionis (art. 1), *qualitas* Christi resurgentis (art. 2), ejus *manifestatio* (art. 3), necnon resurrectionis *causalitas* seu efficacia (art. 4).

ARTICULUS I.

De facto resurrectionis Christi.

(Q. LIII)

Resurrectio in genere sumi potest passive vel active : *passive* quidem sumpta, resurrectio est « animæ cum corpore iterata unio post mortem ; » quam unionem si spectes ex parte causæ producentis, habebis resurrectionem *active* sumptam seu melius *resuscitationem*.— Tria circa *factum* resurrectionis Christi determinanda hic se objiciunt, *necessitas*, *tempus*, et *causa*.

Conclusio 1ª.—Necessarium fuit Christum resurgere.- Necessarium intellige (recte monet Billuart) non absolute, sed *ex suppositione* Incarnationis, prophetiarum, meritorum Christi nostræque utilitatis afferendæ.

1° *Scripturae* indubium est suffragium ; legitur enim (Luc. XXIV, 46) : *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis.* Quam resurrectionem prænuntiaverant antiqua oracula, juxta illud Ap. (1 Cor. XV, 4) : *Resurrexit tertia die, secundum Scripturas.*

2° Triplici ex capite ratiocinabimur :

Primo, ex *commendatione divinae justitiae.* — Ad hanc enim justitiam pertinet eos exaltare qui se propter Deum humiliant, secundum illud (Luc. I, 52) : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Atqui Christus, Deo amorique obediens, humiliationum calicem penitus exhauserat. Ergo ad tantum meritum remunerandum requirebatur exaltatio resurrectionis.

Secundo, ex *conditione naturæ assumptae*[1]. — Naturæ a Verbo Dei assumptæ debebatur omnis perfectio omniumque defectuum remotio (exceptis iis defectibus quos postulabat redemptionis finis). Atqui ad perfectionem naturæ humanæ pertinet conjunctio substantialis animæ cum corpore ; nec, passione expleta, humana redemptio amplius requirebat animæ corporisque disjunctionem. Ergo.

Tertio, ex *utilitate nostra.*— *a*) Utilis est enim resurrectio ad confirmandam *fidem* de divinitate Christi, revelationis et prophetiarum ; adeo ut Ap. dixerit (1 Cor. XV, 14) : *Si Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra* (suppositis scil. prædictionibus et promissis divinis, etc).— *b*) Sublevat *spem* nostram ; quia dum videmus Christum, caput nostrum, resurgere, speramus et nos, ejus membra, resurrecturos. Hac fiducia confortatus exclamabat Job (XIX, 25-27) : *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum... reposita est haec spes mea in sinu meo.*— *c*) Confert ad informandam *vitam* fidelium, juxta illud Ap. (Rom. VI, 4) : *Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.*— *d*) Denique sic completur humana *salus :* disposuerat enim Deus ut fructus passionis nobis applicarentur mediante gloriosa Christi humanitate, vi cujus homo reformari debet et in bonum promoveri. Ex quo intel-

[1] — 3 S. D. XXI, Q. II, a. 1.

ligitur illud (Joan. VII, 39) : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.*

Conclusio 2ª.— CONGRUUM FUIT UT CHRISTUS TERTIA DIE RESURGERET, RESURGENTIUM PRIMUS.

1ª *Pars* (omissis variis rationibus mysticis) uno argumento suadebitur.— Resurrectio Christi, ut dictum est, necessaria fuit ad instructionem *fidei* nostræ ; hæc autem est tum de *divinitate*, tum de *humanitate* Christi. Atqui, ut divinitas ejus declararetur, non oportebat resurrectionem longiori tempore differri ; rursus vero, ut eum vere hominem vereque mortuum esse crederemus, requirebatur et sufficiebat inter mortem et resurrectionem aliqualis mora, protracta usque ad tertium diem. Ergo convenienter Christus tertia die revixit, secundum id quod de suo corpore prædixerat (Joan. II, 19) : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.*

2ª *Pars* sibi vult neminem ante Christum *perfecte* resurrexisse.

1° Namque duplex esse potest resurrectio : una *imperfecta*, qua quis ab actuali tantum morte eripitur ; alia verior et *perfecta*, qua quis non solum a morte, sed et ab ipso mortis dominio seu a moriendi necessitate liberatur.— *a*) *Primo modo* aliquos ante Christum resurrexisse diffitebitur nemo ; ipse enim Salvator, dum publicam vitam ageret, quosdam suscitasse ab Evangelistis narratur.— *b*) Sin autem loquamur de resurrectione perfecta et *simpliciter*, sic procul dubio Christus exstitit primus resurgentium, prouti decebat insignem illum mortis Victorem ; quod testatus est Ap. dicens (1 Cor. XV, 20) : *Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium.*

2° Nec difficultatem ingerere debent verba Matthæi narrantis (XXVII, 52) quod, moriente Christo, *monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* — *a*) Nam in primis *incertum* videtur, utrum necne sancti illi resurrexerint ad vitam immortalem. Plures quidem probabiliterque id sentiunt[1], at nonnulli negant, quos inter S. Augustinus ; D. Thomas heic in *Summa* (art. 3 ad 2) in partem negativam inclinat, licet alibi[2] oppositæ sententiæ ad-

[1] — Cf. Knabenbauer, *Comm.* in Matth. XXVII.— Disceptationem hanc fuse exponit Suarez in Q. LIII, a. 3.

[2] — 4 S. D. XLIII, Q. I, a. 3, quæstiunc. 4 ad 3 ; ubi in rationem affert confirmationem resurrectionis Christi. Consentit *Cajet.* in III, Q. LIII, a. 3.— Porro inter eos qui, juxta hanc sententiam, gloriose cum Christo re-

hæserit.— *b*) Quidquid sit de ea re, patet ex vers. sequente corpora illorum sanctorum non exiisse de sepulcris nisi *post resurrectionem* Christi ; quia vero supponi nequit rediviva corpora toto mortis Christi triduo mansisse in tumulis, concludere fas est sanctos illos reapse resurrexisse post Christum, Matthæum vero *per anticipationem* quamdam factum illud recensuisse inter miracula quæ mortem Christi comitata sunt.

Conclusio 3.ª — CHRISTUS PROPRIA VIRTUTE DIVINA, NON HUMANA, RESURREXIT.

Huc 1° spectat illud Ap. (2 Cor. XIII, 4) : *Etsi crucifixus est ex infirmitate, vivit ex virtute Dei*, quæ simul erat virtus Christi : unde ipse dixit (Joan. X, 17) : *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.*— 2° Potest tam anima Christi mortui quam ejus caro considerari dupliciter : ratione ipsius naturæ creatæ, et ratione divinitatis sibi hypostatice unitæ. Atqui non potuit quidem resurrectio prodire ex sola natura creata, ut satis liquet[1] ; sed, vi conjuncti suppositi divini, corpus resumpsit animam quam deposuerat, et vice versa. Ergo Christus propria virtute, scil. divina, resurrexit.

ARTICULUS II.

Dè qualitate Christi resurgentis.

(Q. LIV)

Posito quod Christus, divina vi excitatus, mortis sigillum invicte perruperit, inquirendum succedit *qualis* in resurrectione illa visus fuerit. Quæ quæstio cum ad corpus maxime pertineat, indolem corporis Christi resurgentis determinabimus tum quoad *naturalem*, tum quoad *supernaturalem* conditionem.

Conclusio 1ª.— CHRISTUS RESURREXIT IN SUO VERO CORPORE EOQUE INTEGRO.

1ª *Pars* prob : — 1° ex *verbis Christi* ad discipulos dubitantes de resurrectionis veritate (Luc. XXIV, 39) : *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* — 2° Ex *ratione resurrectionis*. Christus vere,

surrexissent nunquam morituri, Suarez (Disp. VIII, S. 2, n. 8) aliique pie annumerant *S. Joseph*, B. Mariæ sponsum.

[1] — Cf. 4 S. D. XLIII, Q. I, a. 1, sol. 3.

non apparenter tantum resurrexit. Atqui vera resurrectio exigit ut idem tum *specie* tum *numero* corpus, ab anima per mortem disjunctum, eidem animæ ceu formali principio uniatur ad efformandum idem compositum. Ergo.— 3° Ex *solutione contrarii argumenti.* Ideo enim videretur corpus Christi resurgentis non fuisse verum, quia intravit ad discipulos januis clausis (Joan. XX, 19). Atqui verum corpus potuisse miraculose penetrare clausas januas, ex dictis superius (de egressu Christi ex utero Virginis) colligi potest : quippe non repugnat divinitus impediri id quod secundarium est tantum in quantitate. Atqui primario ad quantitatem pertinet quod sit *intrinsece* extensa in partes ; secundarium vero est, quod hanc extensionem exerat *in loco* et aliud corpus expellat. Ergo.

2ª *Pars* est de *integritate* corporis Christi.

1° Suadetur *in genere.*— Resurrectio Christi fuit non solum vera, sec et *perfecta.* Atqui resurrectio, ut perfecta sit, talis esse debet qua redintegretur quidquid per mortem ceciderit et ad integritatem humani corporis pertineat, puta ossa, carnes aliaque hujusmodi, sine imminutione. Ergo corpus Christi integerrimum omnique naturali perfectione donatum resurrexit.

2° In *specie a)* de *sanguine* dicam (cum Auctore, art. 2 ad 3) quod et ipse a Christo resurgente resumptus fuerit in ea circiter quantitate quæ in passione effusa erat : siquidem sanguis est de veritate et integritate humani corporis. *Conf.* quia in Eucharistia vi verborum sanguis Christi consecratur et per concomitantiam reperitur sub speciebus panis ob naturalem cum corpore vivo conjunctionem.— *b)* Fidei tamen non repugnat (ut declaravit Pius II)[1] asserere quod Christus modicam partem sui sanguinis in terris reliquerit ; verum id critice non constat[2]. Quod si constaret, certe non existimandum esset Divinitatem manere illi sanguini hypostatice unitam.

Conclusio 2ª.— Corpus Christi resurrexit gloriosum glorioseque cicatricatum.

1ª *Pars prob :*

1° *Generaliter.*— Legitur enim (Phil. III, 21) : *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis*

[1] — Cf. Suarez, Disp. XLVII, S. 3, n. 9.

[2] — Scribit *Angelicus* (art. 2 ad 3) : « Sanguis qui in quibusdam Ecclesiis pro reliquiis conservatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculose dicitur effluxisse de quadam imagine Christi percussa ».

suae ; — quod apparet tripliciter. *a) Primo,* ratione *exemplaritatis.* Fuit enim Christi resurrectio exemplar resurrectionis nostræ ; sancti autem in resurrectione induent corpora gloriosa : ergo a fortiori etc. *b) Secundo,* ratione *meriti :* Christus namque eo majorem gloriam meruerat, quo demissius se patiendo humiliaverat. *c) Tertio,* ratione *redundantiae* ab anima : nam dispensative factum fuerat ut ab anima Christi, initio glorificata, gloria in corpus non derivaretur propter mysterium nostræ salutis. Hoc autem mysterium passione et morte impletum est. Ergo in resurrectione nil amplius vetuit quominus anima gloriam suam corpori communicaret.

2° *Specialiter.*— Quatuor sunt supernaturales corporum beatorum dotes : *impassibilitas,* qua corpus perfecte coaptatur animæ ut *formae* imperiturae ; *subtilitas* seu spiritualitas, qua corpus perfecte subjicitur animæ ut *spiritui* libero ; *agilitas,* qua corpus totaliter subditur animæ ut *motori ; claritas,* qua corpus mirifice splendet ex refulgentia animæ *beatae*[1]. Atqui dotibus istis ornatum dicendum est corpus Christi resurgentis : habuit enim *impassibilitatem,* nam *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur* (Rom. VI, 9) nec ulli pœnæ obnoxius est ; habuit *subtilitatem,* nam, ad nutum, poterat Christus videri vel non videri (Luc. XXIV, 31) aut in ea specie apparere quæ proposito congrueret (Marc.XVI, 12); habuit *agilitatem,* ut mysterium ascensionis demonstravit ; habuit tandem *claritatem,* ut patet ex recitato textu Ap. (Phil. III, 21). Ergo.

2ª *Pars* additur quoad *cicatrices* quas in glorioso Christi corpore servatas fuisse perspicue elucet ex verbis ipsius Domini (Joan. XX, 27) : *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.*— Nec desunt convenientiæ rationes : quarum 1ª est, ut in illis cicatricibus speciali decore fulgentibus *gloria Christi* veluti in perpetuis reportatæ victoriæ monumentis splendeat ; 2ª est, quia volebat Christus circa *fidem* suæ resurrectionis corda discipulorum confirmare ; 3ª est, ut eloquentia illa suæ passionis signa jugiter ostendens, Patri pro nobis convenientius *supplicet ;* 4ª est, ut homines sua morte redemptos, quam *misericorditer salvati sint,* clarius persuadeat, impios vero et reprobos, quam *juste damnentur,* vehementius convincat.

[1] — De his uberius agitur in *Eschatologia* seu tract. *de Novissimis.*

ARTICULUS III.

De manifestatione resurrectionis.

(Q. LV)

Cum resurrectio sit factum quoddam supernaturale et extraordinarium, operæ pretium est in ejus *manifestationem* et declarationem specialiter inquirere. Circa quod tria considerationi objiciuntur : *unum*, quoad eos quibus Christus se manifestavit ; *alterum*, de ratione seu *modo* hujus manifestationis ; *tertium*, de *signis* quibus confirmata est.

Conclusio 1ª.— QUIBUSDAM ELECTIS TESTIBUS CHRISTUS RESURGENS CONVENIENTI ORDINE SEIPSUM REVELAVIT ; aliis verbis decuit Christum non statim omnibus promiscue se manifestare, sed Angelis primum, dein piis mulieribus et discipulis (art. 1-2).

1ª *Pars.*— Licet ea quæ sunt naturæ omnibus communiter pateant, ea tamen quæ naturam excedunt hac manifestationis lege reguntur ut a Deo immediate superioribus revelentur, iisque mediantibus ac auctoritate sua testificantibus, deferantur ad inferiores. Atqui resurrectio præsertim gloriosa communem hominum cognitionem excedit. Ergo resurrectio Christi non statim debuit omnibus patefieri, sed quibusdam tantum *testibus praeordinatis a Deo* (Act. X, 41).

2ª *Pars.*— Hi testes fuerunt in primis *Angeli :* quippe sat generalis est Providentiæ ordo ut ea quæ supra homines sunt, hominibus per Angelos denuntientur ; præsto sunt exempla non pauca. Atqui Christus resurgens (ut constat) non ad conditionem communiter notam rediit, sed ad vitam quamdam immortalem et divinam. Ergo ejus resurrectio non debuit immediate hominibus videri, sed eis Angelorum ministerio nuntiari, prout *Scriptura* tradit (Luc. XXIV).

3ª *Pars.*— Quorsum cœleste nuncium primum mulieribus[1] commissum est, per quas dein ad Apostolos discipulos-

[1] — Quamvis Scriptura in describendis Christi apparitionibus taceat nomen B. M. Virginis, pia tamen est ac *probabilis sententia*, a nonnullis Patribus pluribusque scriptoribus propugnata, quod Christus post resurrectionem primum omnium augustissimæ suæ Matri apparuerit. Unde illud (Marc. XVI, 9), *apparuit primo Mariae Magdalenae*, intelligunt non absolute, sed *relative* seu de prioritate inter testes præordinatos resurrectionis quos Evangelium recenset (cf. Suarez, Disp. XLIX, S. 1).

que perveniret? Duplicem ea de re rationem perhibet *Angelicus* (art. 1 ad 3). *a*) *Una* est, quia sicuti olim mulier primo nuntium mortis ad hominem detulerat, ita congruebat ut ipsa primum spem vitæ in resurrectione Christi nuntiaret. *b*) *Altera* est, ut significaretur sexum fœmineum nullum ex infirmitate sua pati detrimentum in his quæ ad statum gloriæ pertinent : siquidem mulieres, quæ arctius Christum amaverant, nec ab ejus sepulcro discipulis recedentibus recesserant, primo eum in gloria resurgentem videre meruerunt.

Conclusio 2ª.— NON OPORTUIT CHRISTUM POST RESURRECTIONEM CONTINUE CUM DISCIPULIS CONVERSARI, QUANQUAM FREQUENTER APPARUISSE TRADITUR (art. 3).

1ª *Pars* ostend.— Circa resurrectionem Christi duo erant discipulis declaranda, veritas resurrectionis et resurgentis gloria. Jamvero pluries iterata Domini apparitio sufficiebat ad certificandum discipulos de *veritate* resurrectionis ; conversatio autem continua eos potuisset circa *gloriam* resurgentis decipere, opinionem inducens quod talem vitam resurgendo suscepisset qualem prius habuerat. Ergo.

2ª *Pars* decl. verbis *D. Thomae* (resp. ad 3) : « Ideo prima die frequentius apparuit, quia per plura indicia erant admonendi ut a principio fidem resurrectionis reciperent ; postquam autem jam eam receperant, non oportebat eos jam certificatos tam frequentibus apparitionibus instrui. Unde in Evangelio non legitur quod post primum diem eis apparuerit, nisi quinquies. Ut enim Augustinus dicit (l. 3 de Consensu Evang.), post *primas quinque* apparitiones *sexto* eis apparuit, ubi vidit eum Thomas ; *septimo* ad mare Tiberiadis in captione piscium ; *octavo* in monte Galilææ, secundum Matthæum ; *nono*, quod dicit Marcus, *novissime recumbentibus*, quia jam non erant in terra cum illo convivaturi ; *decimo* in ipso die ascensionis, non jam in terra sed elevatus in nube, cum in cœlum ascenderet.— Sed non omnia scripta sunt, sicut Joannes fatetur. *Crebra* enim erat ejus cum eis conversatio, priusquam ascendisset in cœlum ; et hoc ad consolationem ipsorum. Unde et 1 Cor. XV, 6 dicitur quod *visus est plus quingentis fratribus simul... deinde visus est Jacobo :* de quibus apparitionibus in Evangelio non habetur mentio[1]».

[1] — Advertit *Auctor* (a. 3 ad 2) : « Incognitum autem est quibus in locis intermedio tempore corporaliter esset, cum hoc Scriptura non tradat, et in omni loco sit dominatio ejus ».— Verisimiliter præsumitur amantissimum Filium, aliquando saltem, cum dilecta *Matre* versatum fuisse eamque suavi sua præsentia recreasse.

Conclusio 3ª.— EXPEDIEBAT UT CHRISTUS RESURRECTIONEM SUAM ARGUMENTIS DECLARARET ; QUÆ NUM FUERINT NECNE CONGRUA, BREVITER APERITUR (art. 5-6).

1ª *Pars* prob.— Argumentum duplicis est generis : aliud enim est argumentum *propter quid* seu ipsis rei principiis innixum ; aliud argumentum *quia*, quo res certificatur quin intrinsece patefiat. Jamvero resurrectio Christi, utpote supernaturalis, non poterat quidem primo argumentorum genere demonstrari ; at utile erat Christum illam secundo modo adstruere, vid. per *auctoritatem* S. Scripturæ maximeque per *signa* quædam evidentia, quæ dogma illud attestarentur salva manente fidei ratione (licet forte nimia signorum aviditas ejus meritum imminueret). Talium signorum utilitatem ducit S. *Thomas* (art. 5) ex duobus : *primo*, quia corda discipulorum non erant sufficienter disposita ad fidem resurrectionis de facili accipiendam, quod eis Christus exprobravit (Luc. XXIV et Marc. XVI) ; *secundo*, quia sic pronum erat fore ut eorum testimonium efficacius redderetur, juxta illud (1 Joan. I, 1) : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris... et manus nostrae contrectaverunt... testamur.*

2ª *Pars* evincitur ex *testimoniis* et *signis* quibus resurrectio Christi manifestata est, quæque, *simul* accepta, perfectam fidem faciunt.

1° Christus « est usus *duplici testimonio* ad manifestandum suam resurrectionem discipulis, quorum neutrum potest refelli : quorum primum est testimonium *Angelorum*, qui mulieribus resurrectionem annuntiaverunt, ut patet per omnes evangelistas ; aliud autem est testimonium *Scripturarum*, quas ipse proposuit ad ostensionem suæ resurrectionis, ut dicitur Luc. ult.» (*S. Thom.* art. 6).

2° Congrua etiam fuerunt *signa* a Christo adducta : « Quod fuerit *vera* resurrectio, *a*) ostendit uno modo *ex parte corporis ;* circa quod tria ostendit : *primo* quidem quod esset corpus *verum* et solidum, non corpus phantasticum vel rarum, sicut est aër. Et hoc ostendit per hoc quod corpus suum palpabile præbuit (quod esse poterat naturaliter palpabile et supernaturaliter incorruptibile)... *Secundo* ostendit quod esset corpus *humanum*, ostendendo eis veram effigiem, quam oculis intuerentur. *Tertio* ostendit eis quod esset *idem numero* corpus quod prius habuerat, ostendendo eis vulnerum cicatrices... *b*) Alio modo ostendit eis veritatem suæ resurrectionis *ex parte animae* iterato corpori unitæ. Et hoc ostendit per opera triplicis vitæ : *primo* quidem per opera *vitae nutri-*

tivae in hoc quod cum discipulis manducavit et bibit, ut legitur Luc. ult. (quæ fuit vera, etsi non nutritiva, comestio, secus ac comestio apparens angelorum in corporibus assumptis). *Secundo* per opera vitæ *sensitivae* in hoc quod discipulis ad interrogata respondebat et præsentes salutabat ; in quo ostendebat se et videre et audire. *Tertio* per opera vitæ *intellectivae* in hoc quod eis loquebatur, et de Scripturis disserebat. Et ne quid deesset ad perfectionem manifestationis, ostendit etiam se habere *divinam naturam* per miraculum quod fecit in piscibus capiendis, et ulterius per hoc quod eis videntibus ascendit in cœlum » (*ibid.*). — Resurrectionem illam esse *gloriosam* sufficienter demonstravit Christus ex conditionibus sui corporis, quas (art. præc.) descripsimus[1].

ARTICULUS IV.

De resurrectionis causalitate seu efficacia.

(Q. LVI)

Postremo loco dicendum superest de influxu quem resurrectio Christi sibi vindicat respectu resurrectionis nostræ sive corporalis sive spiritualis.— Ubi observabimus resurrectionem sumi, non pro ipso eventu transitorio in Evangeliis narrato, sed pro *gloriosa humanitate*, secundum quam Christus resurrexit et in cœlis triumphat.

Conclusio 1ª.— RESURRECTIO CHRISTI HABERI DEBET TANQUAM CAUSA RESURRECTIONIS CORPORUM, CAUSA, INQUAM, EFFICIENS INSTRUMENTALIS NECNON EXEMPLARIS.

Prob. generaliter.— *a*) Enimvero quod est *primum* in aliquo genere, reliqua ad genus illud spectantia causalitate aliquâ attingat necesse est. Atqui primum in genere veræ resurrectionis fuit resurrectio Christi. Ergo resurrectio Christi dicenda est (sub principali auctore Deo) causa resurrectionis nostræ, juxta illud Ap. (1 Cor. XV, 20-21) : *Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium ; quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.*

[1] — Non est cur hoc loco orationem de veritate resurrectionis Domini latius persequamur, cum miraculum istud soleat in *Theol.* dogmatica *fundamentali,* ceu validissimum religionis Christianæ firmamentum, diligenter expendi.— Plura insuper de eodem argumento magis proprie disputantur a tractatoribus *rerum biblicarum.*

— *b*) Id eo rationabilius videbitur, quod principium humanæ vivificationis est *Verbum Dei*, in quo est *fons vitae* (Ps. XXXV, 10). Atqui hoc habet naturalis rerum ordo ut causa primo influat in id quod est sibi propinquum et per illud operetur in alia remotiora, ut patet de igne calefaciente aërem et per aërem corpora magis distantia. Ergo Verbum Dei primo tribuit vitam immortalem corpori sibi naturaliter unito, et per ipsum resurrectionem in omnibus operatur.

Decl. specialiter.— *a*) Et dico causalitatem illam resurrectionis Christi esse in primis *efficientem instrumentalem*, quatenus scil. humanitas Christi *rediviva* aptissimum erit instrumentum per quod Deus, sive vocis imperio, sive alio modo, tum *bonos*, tum *malos* ad vitam revocabit.— *b*) Rursus, tribuenda est resurrectioni Christi, utpote perfectissimæ in tali genere, causalitas *exemplaris* respectu resurrectionis nostræ ; verum hæc exemplaritas proprie se extendet solum ad *bonos*, quippe hi soli accipiunt spiritum adoptionis filiorum et Christo compatientes conglorificabuntur (Rom. VIII).

Conclusio 2ª.— Resurrectio Christi censenda est influere etiam in animarum resurrectionem seu justificationem.

Ratio est, quia proportio quædam servanda est inter effectum et agens etiam instrumentale. Atqui ex una parte passio et mors Christi majorem proportionem dicunt quam resurrectio ad effectum destructionis peccati in anima ; ex altera vero parte, major humanitati Christi redivivæ quam patienti et mortuæ inest proportio ad effectum vitæ spiritualis per gratiam producendum. Ergo divina virtus per Christi humanitatem tum passam tum gloriosam, quasi per instrumentum virtualiter multiplex, simul sub diverso respectu justificationem animarum *efficienter* operatur ; ex quo illud intelligitur (Rom. IV, 25) : *Resurrexit propter justificationem nostram.*— Jam ex hoc quoque colligitur, quam apte ratio *exemplaritatis* conveniat resurrectioni Christi respectu resurrectionis animarum, quoniam Christo resurgenti debemus etiam secundum animam conformari et ad ejus similitudinem *in novitate vitae* perpetuo ambulare (Rom. VI, 4).

QUÆSTIO SECUNDA

DE ASCENSIONE CHRISTI

Primum triumphi Dominici stadium fuit resurrectio, secundum vero *ascensio*.—Porro ascensio Christi dupliciter investigari potest, vel *secundum se* (art. 1), vel secundum *effectus* salutiferos quos parit (art. 2) : utrique veritatis explorationi incumbendum est.

ARTICULUS I.

De Christi ascensione secundum se.

(Q. LVII, aa. 1-5)

Fuerunt olim (teste *Damasceno*. de Hæres. in 93) quidam hæretici quos *Christolytas* seu « Christum solventes » appellat, sentientes « D. N. J. Christum, posteaquam surrexit a mortuis, relicto in terra animato corpore, nuda solaque deitate ad cœlos ascendisse ». Positionem hanc, a Conciliis Patribusque proscriptam, una refellat Scripturæ sententia (Heb. XIII, 8) : *Jesus Christus, heri et hodie, ipse et in saecula.*— Ascensionem Christi, catholica fide creditam, singillatim considerabimus et quoad *motum*, et quoad *subjectum*, et quoad *causam*, et quoad *terminum*.

Conclusio 1ª.— CONVENIENS FUIT QUOD CHRISTUS IN CÆLUM ASCENDERET.— Motum hic seu *factum* ipsum inspicimus, de quo Scriptura (Joan. XX, 17) : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum*.

Sane *a*) locus debet esse *proportionatus* locato. Atqui Christus per resurrectionem vitam immortalem et gloriosam inchoavit ; terra autem, quam habitamus, obscurum domicilium est, nec satis sejunctum a miseria et corruptione præsentis conditionis. Ergo conveniebat ut Christus nobiliorem locum seu cœlum peteret (id ipsum probant plerique *effectus* describendi in seq. art.).— *b*) Per hoc autem quod Christus ascendit in cœlum, « nihil ei accrevit quantum ad ea quæ sunt de *essentia gloriae* sive secundum corpus, sive secundum animam ; tamen accrevit ei aliquid quantum ad *loci decen-*

tiam, quod est ad bene esse gloriæ » (art. 1 ad 2) ; de quo, antea præviso, jam *novo modo* gavisus est uti de re impleta[1].

Conclusio 2ª.— CHRISTUS ASCENDIT IN CŒLUM SECUNDUM HUMANAM NATURAM ; — ubi determinatur, non ascensionis causa, sed *conditio subjectiva* ascendentis.

Re quidem vera, ascensio nequit Christo convenire nisi ratione illius naturæ quæ capax sit *motûs localis* in aliquid *altius*. Atqui nihil datur divinitate altius quo ea possit ascendere, nec naturæ illi immobili et omnipræsenti competit motus localis ; at hæ duæ conditiones bene conveniunt humanæ naturæ, quæ loco continetur, et motui subest. Ergo Christus secundum humanam naturam seu ut homo in cœlum profectus est.

Conclusio 3ª.— CHRISTUS ASCENDIT IN CŒLUM PROPRIA VIRTUTE, TUM DIVINA, TUM CREATA SECUNDUM GLORIAM.

Etenim, cum in Christo sit duplex natura, divina et humana, secundum utramque accipi potest *propria* Christi virtus. — Virtus autem humanæ naturæ alia est *naturalis* seu ex principiis naturæ procedens, alia est *gloriosa* seu naturae glorificatæ competens.

1° Igitur manifestum est quod Christus in cœlum non ascenderit *virtute naturali ;* siquidem ascendere sursum, secundum statum præsentem, contrariatur legi gravitatis humani corporis.— At potuit Christus creata *virtute gloriae* ascensionis motum exercere : quippe erat corpus Christi post resurrectionem vestitum dotibus gloriosis, inter quas subtilitas et agilitas. Jamvero, juxta has dotes, corpus tam perfecte animæ beatæ obsequitur, ut in hujus potestate sit illud quo voluerit, eaque velocitate quæ congruat, deducere. Ergo etc.— 3° Verum sicuti corpus efficitur gloriosum ex redundantia animæ, ita ipsa anima gloriam et virtutem suam supernaturalem obtinet ex participatione Dei. Unde prima origo ascensionis Christi in cœlum est *virtus divina ;* quæ quum eadem sit Patris et Filii, optime intelligitur Christum et propria virtute ascendisse et simul a Patre esse *assumptum* et *elevatum* (Marc. XVI, 19 ; Act. I, 9).

[1] — Certum *fide* est Christum ascendisse in cœlum post quadraginta dies a resurrectione, juxta illud (Act. I, 3) ; *Per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei.* Ideo autem sic suam ascensionem distulit, quia volebat et veritatem resurrectionis efficacius comprobare et discipulos de regno Dei instruere et Ecclesiam suam, institutis sacris ritibus, perfecte fundare.— Prætereundas ducimus rationes mysticas.

Conclusio 4ª.— De termino ascensionis id tenendum proponitur quod sit locus materialis, certus seu determinatus, ac dignitate præcellens.

1° Est locus *materialis*.— Quamvis enim *coelum* aliquando in Scripturis spirituali sensu accipiatur, tamen, spectato contextu attentisque Patrum interpretationibus, dubium non est quin materialiter sumi oporteat in sequentibus textibus (Joan. XIV, 2) : *Vado parare vobis locum ;* (Luc. XXIV, 51) : *Dum benediceret illis, secessit ab eis, et ferebatur in coelum ;* etc.— Hoc certe exigit *realitas* corporis Christi, cui materialis locus debetur.— Pulchre *S. Ambrosius* (l. 4 de Fid. cap. 1) de Christo triumphante eloquitur : « Veniebat novis victor redimitus exuviis, Dominus in templo sancto suo. Præibant Angeli et Archangeli, mirantes spolium ex morte quæsitum... Debuit novo victori novum iter parari... quia non unus homo, sed totus in omnium Redemptore mundus intrabat ».

2° Est locus *certus* seu *determinatus*.— *a*) *Lutherani* quidem[1] ascensionem Christi explicant per hoc quod Christus, mutato statu, *ubiquitatem* humanitatis *actu* tunc exercere incœperit. At doctrina hæc manifeste repugnat definitis corporis Christi dimensionibus, prouti jam olim *Augustinus* adverterat (ep. 187, al. 57, ad Dardanum, n. 10) : « Noli, inquit, dubitare ibi nunc esse hominem Christum Jesum, unde venturus est... Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus ».— *b*) Licet vero mansio cœlestis Christo in perpetuum debeatur, tamen ejus « dignitati non derogat, si ex aliqua dispensatione *quandoque corporaliter ad terram descendat*[2], vel ut ostendat se omnibus,

[1] — Apud Hodge, *Syst. theol.*, P. III, c. 13.

[2] — Nec enim per miraculum fieri posse videtur (secus ac Suarez aliique nonnulli sentiunt) quod corpus Christi sit *simul* præsentia *dimensivâ in coelo* et *in terra* seu in pluribus locis. Nam « aliquod corpus esse localiter in aliquo loco, nihil est aliud quam corpus *circumscribi* et comprehendi a loco secundum commensurationem propriarum dimensionum. Quod autem comprehenditur a loco aliquo ita est in ipso loco, quod nihil ejus est extra locum illum : unde ponere quod sit localiter in hoc loco, et tamen sit in alio loco, est ponere contradictoria esse simul » (Quodl. III, a. 2 ; cf. 4 S. D. XLIV, a. 2, sol 3. ad 4).— Haud tamen inferas corpus Christi gloriosum ita referri ad locum ut loci legibus, ad instar corporum naturalium, subjiciatur. Nam, ut ait Auctor (heic, a. 4 ad 1), « sedes Dei dicitur esse in coelo, non sicut in continente, sed magis sicut in contento » ; et (*ibid.* ad 2) : « Nihil prohibet corpus Christi esse extra totam continentiam coelestium corporum et non esse in loco continente ». Unde corpus Christi gloriosum potius *dominatur* loco cœlesti in quo esse ponitur.

sicut in judicio, vel ut ostendat se alicui specialiter sicut *Paulo*, ut habetur Act. IX. Et ne quis credat hoc factum esse non Christo ibi corporaliter præsente, sed aliqualiter apparente, contrarium apparet per hoc quod ipse Ap. dicit (1 Cor. XV, 8) ad confirmandam resurrectionis fidem : *Novissime omnium tanquam abortivo, visus est et mihi.* Quæ quidem visio veritatem resurrectionis non probaret, nisi ipsum verum Christi corpus visum fuisset ab eo » (art. 6 ad 3)[1].

3° Est locus *dignitate praecellens.*— *a*) Patet hoc ex Scripturarum dictis (Eph. IV, 10) : *Ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia ;* et (*ibid.* I, 20-21) Deus dicitur Christum *constituens in coelestibus supra omnem principatum et potestatem... et omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.* Scilicet Christus, pro dignitate sua nobiliorem locum in cœlestibus occupans, sub se habet Angelorum et beatorum hierarchias secundum loca[2] sibi congruentia ordinate distributas.— *b*) Ubinam vero situm sit cœlum quanamve constitutum ratione quæ felicitati supremæ respondeat, nec revelatio nos docuit nec assequibile est nisi conjecturis quas peritioribus in re physica relinquimus. Sapienter *Cajetanus* (in art. 4) : « Mittamus hæc supernaturalia futuri sæculi scientiæ futuri sæculi ».

ARTICULUS II.

De effectibus ascensionis Christi.

(Art. 6)

Quidquid egit Christus miro Providentiæ consilio in nostrum bonum ac profectum spiritualem ordinabatur : hujus rei novum ac præclarum specimen perhibet ascensio.

Conclusio.— Ascensio Christi multiplicem contulit utilitatem humanæ saluti ; — quod duplici ex capite probari aut illustrari potest, tum ex parte nostra, tum ex parte Christi ipsius (*S. Thom.* et *Catech. Trid.*).

1° *Ex parte nostra.*— *a*) Quantum ad *fidei* meritum : fides enim earum est rerum quæ sub aspectum non cadunt.

[1] — Præter plures Christi apparitiones in Sanctorum vita relatas, probabile videtur quod a Patribus pie traditum accepimus, Christum Dominum in *assumptione B. V. Mariae* hunc Matri honorem præstitisse ut in ejus occursum corporaliter veniret (cf. Suarez, Disp. XXI, S. 2, n. 11).

[2] — Circa modum quo *Angeli* sunt *in loco*, vid. tract. nost. *de Creatione* (Disp. III, Q. II, a. 4).

Quare si Dominus a nobis non discessisset, minus nobis conveniret illa fidei laus (Joan. XX, 29) : *Beati qui non viderunt et crediderunt.*— *b*) Quantum ad *spei* vim : per hoc enim quod Christus humanam naturam assumptam in cœlo collocavit, spem in nobis erexit illuc perveniendi, juxta illud (Joan. XIV, 3) : *Si abiero et praeparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.*— *c*) Quantum ad *caritatis* affectum : quippe ascensus Christi amorem nostrum de terrenis in cœlestia rapuit, juxta verbum Dominicum (Matth. VI, 21) : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Quia vero vis amoris Spiritui S. appropriatur, jam optime intelligitur illud Domini ad discipulos (Joan. XVI, 7): *Expedit vobis ut ego vadam ; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos* (nimis carnaliter mihi adhærentes) ; *si autem abiero, mittam eum ad vos.*— *d*) Quantum ad *reverentiae* seu religionis sensum : siquidem ascensio id quoque effecit ut Christum æstimaremus non ut hominem et regem terrenum, sed ut Deum et principem cœlestem ; unde Ap. (2 Cor. V, 16) : *Si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.*

2° *Ex parte Christi.*— *a*) Nam in cœlum abiens, *portas*, quæ Adami peccato interclusæ fuerant, patefecit, nobisque *viam* munivit qua ad cœlestem beatitudinem perveniremus, juxta illud (Mich. II, 13) : *Ascendet pandens iter ante eos*, quasi Caput eo procedens quo membra secutura sunt. In hujus rei signum animas sanctorum, quas ab inferno eripuerat, secum in patriam introduxit.— *b*) Præterea, jam superius (Disp. V, Q. I, a. 2) asseruimus Christo competere in cœlis munus *interpellandi pro nobis ;* quod præfiguratum habetur in pontifice V. Legis sanctuarium ingrediente ut Deo pro populo assisteret. « Nec vero (*Catech. Trid.* P. I, art. 6, n. 9) quidquam est, unde fideles majorem lætitiam et animi jucunditatem capere debeant, quam Jesum Christum *patronum* causæ ac *deprecatorem* salutis nostræ constitutum esse, cujus sit apud æternum Patrem summa gratia et auctoritas ».— *c*) Demum ascensu Christi factum est ut, in cœlorum sede Deus et Dominus constitutus, exinde *quasi ex proprio fonte* divinarum gratiarum dona ubertim in homines effunderet.

QUÆSTIO TERTIA

DE SUPERNA CHRISTI GLORIA

Usu biblico et catholico gloria Christi in cœlis ea sub ratione describi solet quod *sedeat ad dexteram Patris* et *potestate* polleat *judicandi* vivos et mortuos. Hæc autem potestas dupliciter spectari potest, nempe vel *in se* et subjective, vel in *universalitate* eorum ad quæ se extendit.— Jam inde præsignatam habemus materiam trium articulorum.

ARTICULUS I.

De sessione Christi ad dexteram Patris.

(Q. LVIII)

Præadvertendum est locutionem illam, *sedere ad dexteram Patris*, non esse proprie et anthropomorphitarum sensu accipiendam[1], sed *metaphorice*. Nomine enim *dexterae Patris* recte significantur *gloria* divinitatis, ejus *beatitudo* ac *regia* seu judiciaria potestas ; nomine vero *sessionis*, *quieta*, *stabilis* ac *magnifica* illorum bonorum *possessio*.— Duo in dubitationem veniunt, *num* sessio illa Christo conveniat, eique *soli* attribuenda sit.

Conclusio 1ª.— SEDERE AD DEXTERAM PATRIS COMPETIT CHRISTO ET SECUNDUM QUOD DEUS, ET SECUNDUM QUOD HOMO (art. 1-3).

Prob. 1° *generaliter*.— Jam in V. T. dignitas illa conferenda Christo prædicta fuerat (Ps. CIX, 1-2) : *Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*.— Paginæ N. T. frequenter de eodem testimonium perhibent, puta (Marc. XVI, 19) : *Dominus quidem Jesus... assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei ;* et (Heb. I, 3) ; *Locutus est nobis in Filio quem constituit haeredem universorum... qui sedet ad dexteram majestatis in excelsis.*

[1] — Reapse (notat *Cajetanus* in art. 1) si de positione Christi-hominis quæratur, num stet vel sedeat, dicendus est potius *stare*, quod naturalis est perfecti corporis situs.

Ostend. 2° *specialiter.*

a) *Primo*, dignitas illa convenit *Christo, secundum quod Deus.*— Ratio in promptu est ; siquidem Filius Dei ab æterno fuit æqualis Patri in gloria, beatitudine et potestate.— Cum vero in laudata locutione, *sedere ad dexteram*, importetur relatio originis secundum quam unus intelligitur suam alteri dignitatem communicare, nullo modo potest dici quod *Pater sedeat* ad dexteram Filii vel Sp. Sancti, licet concedatur *Sp. Sanctum* sedere ad dexteram Patris vel Filii.— Nihilominus præfata locutio per appropriationem melius tribuitur Filio, qui procedit a Patre secundum rationem æqualitatis.

b) *Secundo*, propriissime sessio ad dexteram Patris prædicatur de *Christo, secundum quod homo.*— Sensus est in primis, quod Christus-homo per gratiam unionis est simul Filius Dei, ex quo factum est ut esset *perfecte consors* divini honoris paternæque dignitatis.— Sensus maxime est, quia Christus per abundantiam gratiæ habitualis excellenter *participat*, præ omnibus aliis creaturis, in sua humanitate, de divinitatis gloria, beatitudine et potestate judiciaria, cujus jam, post resurrectionem et ascensionem, tranquillam ac stabilem, omnique miseria liberam, possessionem sortitus est : unde sessio ad dexteram Patris solet exhiberi tanquam ascensionis terminus.

Conclusio 2ª.— Nulli, nec angelo, nec homini, convenit sedere ad dexteram Patris, nisi soli Christo.

1° Etenim legitur (Heb. I, 13) : *Ad quem Angelorum* (a fortiori hominum) *dixit aliquando ; Sede a dextris meis?* quasi dicatur, ad nullum.— Re quidem vera, Christus intelligitur sedere ad dexteram Patris, in quantum secundum divinitatem æqualis est Patri, secundum humanitatem vero gaudet excellenti bonorum divinorum possessione præ cæteris creaturis. Atqui utrumque Christo proprium est. Ergo.

2° *a*) Equidem aliæ creaturæ præter Christum divinæ beatitudinis beneficia potiuntur ; at *sedere ad dexteram* non significat simpliciter esse beatum, sed habere *beatitudinem* cum quadam *dominativa potestate* et veluti *jure proprio ;* quod solius Christi est.— *b*) Hinc, quando legimus de aliis sanctis quod regnabunt cum Christo (Apoc. III, 21), vel sedebunt *super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël* (Matth. IX, 28), hæc aliaque similia intelligi debent de secundaria quadam potestate a Christo accepta et ab eo dependente.

ARTICULUS II.

De judiciaria Christi potestate subjective sumpta.

(Q. LIX, aa. 1-3)

Solemne est Scripturæ Ecclesiæque effatum quod Christus, pro regia sua potestate, supremum quemdam judicatum in mundum exerceat, juxta illud (Act. X, 42) : *Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.*— At, cum in comperto sit judicandi munus Christo *in genere* tribuendum esse, quæstio sponte suboritur, hoc in articulo enucleanda,num dignitas illa ei specialiter conveniat simul quatenus est *Deus*, et quatenus est *homo :* duarum hinc offertur conclusionum opportunitas.

Conclusio 1ª.— CHRISTO, QUATENUS EST PERSONA DIVINA, CONVENIENTER ATTRIBUITUR SEU APPROPRIATUR JUDICIARIA POTESTAS.—Dico *appropriatur* propter specialem convenientiam, licet potestas reapse communis sit toti Trinitati.

1° Huc pertinet (juxta Augustinum aliosque graves interpretes) quod legitur (Joan. V, 22) : *Neque Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio ;* quamquam non diffitemur multos quoque hunc textum intelligere de potestate judiciaria *homini* Christo demandata.

2° *a*) Ad judicium faciendum tria concurrunt, quorum duo quasi *praerequisita*, scil. *jurisdictio* et *rectitudinis* zelus, tertium vero quasi *formale constitutivum*, scil. *sapientia :* quandoquidem proprie et formaliter ratio judicii consistit in lege sapientiæ et veritatis secundum quam judicatur. Atqui Filius Dei est sapientia genita et veritas a Patre procedens, quem perfecte repræsentat. Ergo non absque causa judiciaria dignitas eidem Filio appropriatur.— *b*) *Arg. illustratur* ex distinctione facienda inter *auctoritatem* judicandi et formalem *judicii rationem* (art. 1 ad 2) : cum enim Pater sit principium Filii, auctoritas judiciaria aptius Patri attribuitur, verum ratio ipsa judicii convenientius de Filio, qui est sapientia Patris, prædicatur ; adeo ut, sicut Pater omnia efficit per Filium ceu per artem suam, ita etiam omnia judicet per Filium ceu per propriam veritatem et sapientiam.

Conclusio 2ª.— ETIAM QUATENUS EST HOMO, CHRISTO CONVENIT POTESTAS JUDICIARIA, QUAM ALIQUALITER MERITIS ADEPTUS EST.

1ª *Pars* prob.— 1° Ex *Scriptura* (Joan. V, 27) : *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est*, i. e. non præcise propter solam conditionem naturæ humanæ, sed propter gratiam Capitis quam habuit Christus in humana natura.— Omnes sane textus qui probant Christum-hominem fuisse *Regem* universorum (cf. Disp. III, Q. II, aa. 1-2), eo ipso evincunt ipsi insidere judiciariam potestatem ; unum enim in alio continetur, juxta illud (Prov. XX, 8) : *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.*

2° Quamvis apud Deum remaneat *primaeva auctoritas* judicandi, hæc tamen potest secundario committi seu *delegari* inferiori potestati ; ita ut inferior potestas *vere* judicet, non autem tantum sententiam superioris potestatis promulget. Atqui animæ Christi maxime competebat quidquid requiritur ad judicatum exercendum, scil. tum scientia[1] intellectus, tum justitia voluntatis, tum efficacia potestatis (ut patet ex superius disputatis). Ergo.

3° Suppetunt *rationes convenientiae.*— *a*) *Primo* ex *affinitate Christi ad homines :* sicut enim Deus per causas medias, tanquam effectibus propinquiores, operatur, ita homines per hominem Christum judicat « ut sit suavius judicium » (*S. Thom.* a. 2).— *b*) *Secundo* ex *analogia* cum *resurrectione :* resurrectio enim corporum ordinatur ad finale judicium, quasi medium ad finem. Atqui constat Deum esse suscitaturum corpora per ministerium Christi hominis. Ergo.— *c*) *Tertio* ex *circumstantia judicii :* consentaneum enim erat ut judicandi, tum boni, tum mali, viderent suum judicem, nec malis licet eum aliter adspicere quam in forma humana, siquidem visio Dei, qua Deus est, beatos facit.

2ª *Pars* insinuatur his verbis (Apoc. III, 21) : *Ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus*, quasi nempe sedere in throno seu regnare et judicare fuerit præmium certaminis et victoriæ Christi in passione.— Et vere nihil prohibet unum et idem deberi alicui ex causis diversis, ut patet de gloria corporis Christo conveniente tum ob exigentiam divi-

[1] — Præclara hic habet *D. Thomas* (art. 2 ad 1) : « Judicium, inquit, pertinet ad veritatem sicut ad regulam judicii ; sed ad hominem, qui est veritate imbutus, pertinet, secundum quod est unum quodammodo cum ipsa veritate, quasi *quaedam lex et justitia animata*... Anima autem Christi præ cæteris creaturis magis fuit unita veritati et magis eâ repleta ».

nitatis et gloriam animæ, tum ob passionis humilitatem et meritum. Atqui judiciaria potestas Christo quidem competebat triplici ex titulo anteriore, scil. ex nobilitate divinæ personæ, ex vi capitalis seu regiæ dignitatis, et ex congruentia maximæ scientiæ et sanctitatis ; at simul æquum erat ut qui pro justitia pugnaverat injusteque judicatus fuerat, judicis munus Dei providentiâ consequeretur. Ergo Christus passione sua sibi saltem quantum ad *usum* potestatem judiciariam promeruit, quam (nisi aliter habuisset) etiam quantum ad *substantiam* merito comparasset.

ARTICULUS III.

De extensione judiciariae potestatis in Christo.

(Art. 4-6)

Extrema superest consideratio de potestate judiciaria Christi *objective* spectata et secundum *universalitatem* quam sibi vindicat. Cum enim et homines et Angeli totiusque creaturæ regimen sub judicium cadere valeant, horum omnium judicem Christum esse mox ex dicendis comperietur.

Conclusio 1ª.— JUDICIARIO CHRISTI MUNERI SUBJICIUNTUR OMNES RES HUMANÆ ; ET DE OMNIBUS HOMINIBUS TUM PROXIMUM TUM FINALE JUDICIUM CENSERI DEBET AB EO FERENDUM.

1ª *Pars* ostend :

1° Si de Christo loquamur secundum *divinam naturam*, veritas intenta manifeste liquet, propterea quod vis judicatoria Filii adæquat potestatem Patris a quo processit, juxta illud (Joan. V, 22) : *Omne judicium dedit Filio.*

2° Si sermo sit de Christo secundum *naturam humanam*, idem affirmandum est triplici ex motivo : — *a*) *Primo* propter *habitudinem animae Christi ad Verbum.* Mens enim Christi ita Verbo inhærebat ut per quamdam fontis illius refluentiam vel occulta humanorum cordium cognosceret et veritatis plena existeret. Atqui *spiritualis judicat omnia* (1 Cor. II, 15), hoc est, qui Spiritu Dei et illuminatur et agitur de singulis ad salutem spectantibus recte judicat (S. Thom. *Comm.* in h. 1). Ergo *a fortiori* id Christo tribuendum est, juxta illud (Rom. II, 16) : *In die, cum judicabit Deus occulta hominum... per Jesum Christum.*— *b*) *Secundo* propter *meritum mortis Christi :* nam *in hoc Christus mortuus est et re-*

surrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur (Rom. XIV, 9). Atqui non est cur hanc sententiam generalem restringamus ; imo diserte subdit Ap. (v. 10) : *Omnes stabimus ante tribunal Christi ;* cf. Dan. VII, 14.— *c) Tertio* ob *comparationem rerum humanarum ad finem humanae salutis.* Cuicumque committitur principale seu judicium de fine, committitur et accessorium seu judicium de mediis. Atqui omnes res humanæ aliqualiter ordinantur in finem beatitudinis, ad quam homines admittuntur vel a qua repelluntur judicio Christi, ut patet ex Matth. XXV, 31-46, ubi duplex Domini sententia circa bonos et malos refertur. Ergo.

2ª *Pars* (quia magis ad *Eschatologiam* pertinet) summatim absolvetur.

1° De *proximo* seu *privato judicio* singulis animabus statim post mortem contingente, testem *Scripturam* habemus (Heb. IX, 27) : *Hominibus statutum est semel mori, post hoc autem judicium ;* unde Christus in cruce *latronem* pœnitentem illico salvatum pronuntiavit (Luc. XXIII, 43), et *divitem epulonem* sepultum in inferno commemoravit (*ibid.* XVI, 22).— Ratio est quia, quantum ad ea quæ sunt animæ, homo post mortem sortitur quemdam statum immutabilem, ita ut de animæ sorte non oporteat ulterius differri judicium.

2° Quod ad *finale judicium* attinet, *Scriptura* quoque illud attestatur (Joan. XII, 48) : *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die,* i. e. Pater judicabit per Christum.— Nam suavis Dei providentia exigit ut definitivum judicium non feratur nisi præteritis iis quæ utcumque ad vitam humanam pertinent, ac eo tempore quo corpus jam præmiari potest. Atqui licet terrenum nostrum curriculum *secundum se* per mortem terminetur, homo tamen quodammodo supervivit in pluribus, puta in memoria concivium, in filiis, in operibus, in corporis reliquiis, in affectionum objectis, nec nisi post resurrectionem præmium corpori decernitur. Ergo.

Conclusio 2ª.— JUDICIUM HABET HOMO-DEUS SUPER IPSOS ANGELOS, IMO SUPER ADMINISTRATIONEM TOTIUS CREATURÆ.

1ª *Pars* suadetur : — 1° ex *Scriptura,* ubi legimus (1 Cor. IV, 3) : *Nescitis quoniam angelos judicabimus.* At apostoli non judicabunt nisi veluti Christi assessores. Ergo etc.

2° Tribus ex *rationibus.*— 1ª *ratio* sumitur ex *superioritate* animæ Christi, quæ, utpote Verbo Dei unita, longe excedit Angelos et scientiâ et gratiâ.— 2ª *ratio* petitur ex humi-

litate passionis qua *meruit* Christus gloriæ et potestatis exaltationem super omnes Angelos ; unde dicitur (Apoc. VII, 11) quod *omnes Angeli stabant in circuitu throni.*— 3ª *ratio* ducitur ex *ministerio Angelorum* circa homines ; quod præstant dependenter a Christo, et propter quod accidentalia præmia seu gaudia, judice Domino, percipiunt, dum mali angeli seu dæmones ex opposito pœnis accidentalibus subjiciuntur.

2ª *Pars* adjicitur de judicio Christi « super administrationem *totius creaturae* » (ut loquitur *S. Thomas*, art. 6 ad 3). — Licet enim Christus in terris vivens non exercuerit terrenam potestatem (ut alibi indicavimus), dubium esse non potest quin ex quo in cœlum ascendit, primatu quodam regio et judiciali actualiter dominetur universo mundo ; de ipso quippe vaticinatus est David (Ps. LXXI, 8-11) : *Dominabitur a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum... Et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.*

Huic Supremo Regi expletum jam opus, quod de ipso scribendum susceperamus, humili obsequentique animo offerimus.— Lectoribus vero nobilia S. Petri verba replicamus : *Crescite in gratia in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc, et in diem aeternitatis. Amen* (2 Pet. III, 18).

LAUDETUR

JESUS CHRISTUS

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

PAG.

Præfatio. 3

PARS PRIMA

DE MYSTERIO INCARNATIONIS

PAG.

Procemium. 5

DISPUTATIO PRIMA

Quæstio unica.— *De convenientia Incarnationis*

ART. 1.— Utrum conveniens fuerit Deum incarnari. 11

ART. 2.— Utrum necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari 14

ART. 3.— Utrum, si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset 19

ART. 4.— Utrum principalius Christi incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale quam actuale 22

ART. 5.— Utrum conveniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi 24

ART. 6.— Utrum Incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi. 26

DISPUTATIO SECUNDA

DE MODO SEU NATURA UNIONIS HYPOSTATICÆ

Quæstio I.— *De unione hypostatica in se*

PAG.

ART. 1.— Utrum unio Verbi incarnati sit facta in natura. 29

ART. 2.— Utrum unio Verbi incarnati sit facta in persona ; — de Divinitate Christi 33

PAG.
ART. 3.— Utrum unio Verbi incarnati facta sit in supposito vel hypostasi 42
ART. 4.— De proprietatibus Unionis hypostaticæ 44
ART. 5.— De causa Unionis Verbi incarnati 48

Quæstio II.— *De modo unionis ex parte personæ assumentis*

ART. 1.— Utrum personæ divinæ conveniat assumere naturam creatam.. 51
ART. 2.— Utrum divinæ naturæ conveniat assumere..... 54
ART. 3.— Utrum una quælibet persona possit sine alia unam vel plures naturas, et plures personæ unam numero naturam, assumere 56
ART. 4.— Utrum fuerit magis conveniens quod persona Filii assumeret humanam naturam quam alia persona divina..... 59

Quæstio III.— *De modo unionis ex parte naturæ assumptæ*

ART. 1.— Utrum natura humana fuerit magis assumptibilis a Filio Dei quam aliqua alia natura 63
ART. 2.— Utrum conveniens fuerit ut Filius Dei assumeret naturam humanam singularem et numero unam ex stirpe Adæ..... 66
ART. 3.— Utrum Dei Filius verum et terrenum corpus assumpserit..... 69
ART. 4.— Utrum Filius Dei assumpserit animam eamque rationalem... 72
ART. 5.— De ordine assumptionis humanæ naturæ..... 76

DISPUTATIO TERTIA

DE COASSUMPTIS A FILIO DEI IN HUMANA NATURA

Quæstio I.— *De gratia Christi ut est singularis homo*

ART. 1.— Utrum in anima Christi fuerit aliqua gratia habitualis 80
ART. 2.— Utrum in Christo fuerint virtutes 83
ART. 3.— Utrum in Christo fuerint dona Sp. Sancti 86
ART. 4.— Utrum in Christo fuerint gratiæ gratis datæ..... 87
ART. 5.— Utrum et quænam fuerit in Christo plenitudo gratiæ 89
ART. 6.— Utrum Christi gratia sit infinita neque augeri valeat..... 93
ART. 7.— Qualiter gratia habitualis Christi se habeat ad Unionem 96

Quæstio II.— *De gratia Christi capitis*

ART. 1.— Utrum Christus sit Ecclesiæ caput et rex..... 98
ART. 2.— Utrum Christus sit rex universorum omniumque hominum caput 101

PAG.
ART. 3.— Utrum Christus sit caput Angelorum. 104
ART. 4.— Utrum gratia capitalis Christi sit in ipso eadem cum gratia habituali. 107
ART. 5.— Utrum esse caput Ecclesiæ sit proprium Christo. . 108

Quæstio III.— *De scientia Christi in communi*

ART. 1.— Utrum Christus habuerit aliquam scientiam præter divinam. . 110
ART. 2.— Utrum Christus habuerit scientiam beatorum. 113
ART. 3.— Utrum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam. 115
ART. 4.— Utrum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam. 118

Quæstio IV.— *De scientia Christi in specie*

ART. 1.— De perfectione intensiva scientiæ beatæ in Christo 121
ART. 2.— De extensione scientiæ beatæ in Christo 123
ART. 3.— De objecto et actu scientiæ infusæ Christi. 127
ART. 4.— De scientia infusa Christi sub ratione habitus. 129
ART. 5.— De objecto scientiæ Christi acquisitæ. 131
ART. 6.— De modo originis scientiæ acquisitæ in Christo. 133

Quæstio V.— *De potentia animæ Christi*

ART. 1.— Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter 136
ART. 2.— Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum 137
ART. 3.— Utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis suæque exequendæ voluntatis 143

Quæstio VI.— *De defectibus corporis a Verbo coassumptis*

ART. 1.— Utrum Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus 145
ART. 2.— Quomodo Christus defectibus corporalibus subjacuit. 147
ART. 3.— Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit ; — de pulchritudine Christi. 149

Quæstio VII.— *De defectibus animæ a Christo coassumptis*

ART. 1.—Utrum in Christo fuerit peccatum. 152
ART. 2.— Utrum in Christo fuerit fomes peccati peccandique possibilitas. 153
ART. 3.— Utrum in Christo fuerit ignorantia et admiratio. 157
ART. 4.— Utrum anima Christi fuerit passibilis. 158
ART. 5.— Utrum in Christo fuerint dolor et tristitia, timor et ira. 160

DISPUTATIO QUARTA

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM ABSOLUTE

Quæstio I.— *De modo loquendi seu de communicatione idiomatum*

PAG.
ART. 1.— De mutua naturarum prædicatione in Christo 165
ART. 2.— De alterna proprietatum communicatione in Christo..... 169
ART. 3.— De formulis significantibus fieri Incarnationis 173
ART. 4.— De locutionibus quibusdam reduplicativis..... 176

Quæstio II.— *De unitate Christi quantum ad esse*

ART. 1.— Utrum Christus sit unum vel duo..... 177
ART. 2.— Utrum in Christo sit tantum unum esse..... 179

Quæstio III.— *De unitate Christi quantum ad voluntatem*

ART. 1.— Utrum in Christo sint duæ voluntates 184
ART. 2.— Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium..... 188
ART. 3.— Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinæ voluntati in volito..... 191
ART. 4.— Utrum in Christo fuerit contrarietas voluntatum..... 192

Quæstio IV.— *De unitate Christi quantum ad operationem*

ART. 1.— Utrum in Christo sit una tantum operatio divinitatis et humanitatis..... 194
ART. 2.— Utrum in Christo sint plures operationes humanæ..... 198
ART. 3.— Utrum actio humana Christi potuerit esse sibi meritoria..... 199
ART. 4.— Utrum Christus aliis mereri potuerit..... 201

DISPUTATIO QUINTA

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM RELATIVE

Quæstio I. — *De subjectione, oratione et sacerdotio Christi*

ART. 1.— De subjectione Christi..... 205
ART. 2.— De oratione Christi 207
ART. 3.— De veritate sacerdotii Christi..... 210
ART. 4.— De excellentia sacerdotii Christi 213

Quæstio II.— *De filiatione et prædestinatione Christi*

PAG.

ART. 1.— Utrum Christus, secundum quod homo, sit filius Dei adoptivus 216
ART. 2.— Utrum Christo conveniat prædestinatum esse. 220
ART. 3.— Utrum prædestinatio Christi sit nostræ prædestinationis exemplar et causa. 222

Quæstio III.— *De adoratione Christi*

ART. 1.— Utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi et ejus humanitas. 224

ART. 2.— Utrum humanitas Christi adoranda sit adoratione latriæ; — de cultu SS. Cordis Jesu 228
ART. 3.— Utrum imago Christi sit adoranda adoratione latriæ. 235
ART. 4.— Utrum crux Christi sit adoranda adoratione latriæ 241

Quæstio IV.—*De cultu sanctorum*

ART. 1.— De cultu sanctorum in genere 244
ART. 2.— De invocatione sanctorum 247
ART. 3.— De cultu reliquiarum. 252
ART. 4.— De imaginibus sanctorum. 255

PARS SECUNDA

DE CHRISTI MATRE EJUSQUE VITÆ MYSTERIIS

DISPUTATIO SEXTA

MARIALOGIA

Quæstio I.— *De B. V. Mariæ sanctificatione*

ART. 1.— Utrum B. Virgo fuerit sanctificata in conceptione sua. 260
ART. 2.— Utrum per sanctificationem Maria consecuta sit immunitatem a fomite peccati et a quovis peccato. 269
ART. 3.— Utrum B. Virgo per primam sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum. 272

Quæstio II.— *De virginitate et desponsatione B. Mariæ*

PAG.

ART. 1.— Utrum B. Maria virgo extiterit ante partum, in partu et post partum. 274
ART. 2.— Utrum mater Dei virginitatem voverit. 280
ART. 3.— De matris Dei desponsatione 282

Quæstio III.— *De B. M. Virginis annuntiatione*

ART. 1.— Utrum necessarium fuerit annuntiari B. Virgini quod in ea erat generandum. 284
ART. 2.— Utrum annuntiatio fieri debuerit per Angelum visibiliter apparentem. 286

Quæstio IV.— *De maternitate divina*

ART. 1.— Utrum et quomodo Sp. Sanctus fuerit principium activum conceptionis Christi. 288
ART. 2.— Utrum secundum temporalem Christi nativitatem B. Virgo possit dici mater ejus. 290
ART. 3.— Utrum B. Virgo debeat dici mater Dei. 293

Quæstio V.— *De summa B. Virginis perfectione*

ART. 1.— Quanta fuerit B. M. Virginis sapientia. 298
ART. 2.— Quantus fuerit B. Virginis in sanctitate profectus 300

Quæstio VI.— *De assumptione et gloria B. M. Virginis*

ART. 1.— Utrum B. Virgo paulo post mortem surrexerit et assumpta in cœlum fuerit 303
ART. 2.— Quanta sit gloria Deiparæ in cœlis 306

Quæstio VII.— *De mediatione B. M. Virginis*

ART. 1.— Utrum B. Virgo cooperata sit humanæ redemptioni 309
ART. 2.— Utrum B. Virgo vices Conciliatricis in procuranda hominum salute impleat. 311

Quæstio VIII.— *De cultu B. Virginis Mariæ*

ART. 1.— Utrum cultus aliquis sit B. M. Virgini exhibendus. 317
ART. 2.— Quinam cultus Mariæ impertiendus est 320

DISPUTATIO SEPTIMA

DE INGRESSU CHRISTI IN MUNDUM

Quæstio I.— *De conceptione Christi*

PAG.
ART. 1.— De materia conceptionis Christi hujusque genealogia 325
ART. 2.— De modo et ordine conceptionis Christi..... 328

Quæstio II. — *De nativitate Christi*

ART. 1.— De loco et tempore nativitatis Christi 330
ART. 2.— De iis quibus Christi nativitas manifestata est..... 332
ART. 3.— De mediis per quæ nascens Christus innotuit 333
ART. 4.— De ordine et modo manifestationis Christi 335

Quæstio III.— *De legalibus circa puerum Jesum servatis*

ART. 1.— De Christi circumcisione et nominatione 337
ART. 2.— De oblatione Christi in templo..... 339

Quæstio IV.— *De baptizatione Christi*

ART. 1.— De baptismo Joannis..... 341
ART. 2.— De baptizatione Christi..... 343
ART. 3.— De signis cœlestibus in baptizatione Christi proditis..... 344

DISPUTATIO OCTAVA

DE PROGRESSU CHRISTI IN MUNDO

Quæstio I.— *De modo conversationis Christi*

ART. 1.— De conversatione Christi inter homines 349
ART. 2.— De vivendi more Christi Domini..... 351

Quæstio II. — *De tentatione Christi*

ART. 1.— De tentatione Christi absolute sumpta..... 354
ART. 2.— De circumstantiis tentationis Christi..... 355

Quæstio III.— *De doctrina Christi*

PAG.
ART. 1.— De auditoribus Christi docentis. 358
ART. 2.— De Christi docendi ratione 359

Quæstio IV.— *De miraculis Christi*

ART. 1.— De miraculis Christi in genere 361
ART. 2.— De singulis miraculorum Christi speciebus. 363

Quæstio V.— *De transfiguratione Christi*

ART. 1.— De transfiguratione secundum se. 366
ART. 2.— De circumstantiis transfigurationis 367

DISPUTATIO NONA

DE EXITU CHRISTI AB HOC MUNDO

Quæstio I.— *De passione Christi*

ART. 1.— De necessitate passionis. 372
ART. 2.— De convenientia passionis et supplicii Crucis 374
ART. 3.— De magnitudine passionis. 378
ART. 4.— De circumstantiis passionis. 382

Quæstio II.—*De causa efficiente passionis Christi*

ART. 1.— Utrum Christus sibi ipsi obedientiæque motivo mortem pepererit. 385
ART. 2.— Utrum Deus Pater tradiderit Christum passioni. 388
ART. 3.— Quanam scientia et malitia Christi persecutores eum ad mortem dederunt 389

Quæstio III.— *De effectu passionis Christi*

ART. 1.— Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum meriti 392
ART. 2.— Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum satisfactionis 394
ART. 3.— Utrum passio Christi operata sit per modum sacrificii. 400
ART. 4.— Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum redemptionis 406

Pag.
Art. 5.— Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum efficientiæ. 408
Art. 6.— Quinam sunt effectus passionis Christi : — de eorum extensione et applicatione 409

Quæstio IV.— *De morte et sepultura Christi*

Art. 1.— De convenientia mortis Christi. 415
Art. 2.— De indole propria mortis Christi 416
Art. 3.— De sepultura Christi 419

Quæstio V.— *De descensu Christi ad inferos*

Art. 1.— Utrum vere congrueque Christus ad infernum descenderit..... 421
Art. 2.— Quanam ratione Christus in inferno versatus est 424
Art. 3.— Quosnam Christus ad inferos descendens exinde liberavit. 426

DISPUTATIO DECIMA

DE CHRISTI TRIUMPHO

Quæstio I.— *De resurrectione Christi*

Art. 1.— De facto resurrectionis Christi. 431
Art. 2.— De qualitate Christi resurgentis. 434
Art. 3.— De manifestatione resurrectionis 437
Art. 4.— De resurrectionis causalitate seu efficacia..... 440

Quæstio II.— *De ascensione Christi*

Art. 1.— De Christi ascensione secundum se..... 442
Art. 2.— De effectibus ascensionis Christi 445

Quæstio III.— *De superna Christi gloria*

Art. 1.— De sessione Christi ad dexteram Patris 447
Art. 2.— De judiciaria Christi potestate subjective sumpta 449
Art. 3.— De extensione judiciariæ potestatis in Christo 451

FINIS

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1749.T511919 C001 V004
DISPUTATIONES THEOLOGICAE SEU COMMENTARI
3 0311 00042 3645

WITHDRAWN

BX
1749 31211
.T51 AUTHOR Thomas Aquinas, Saint
1919 TITLE DISPUTATIONES THEOLOGICAE.
V.4

DATE DUE	BORROWER'S NAME

208.877 P219d v.4

1879

BEFORE TAKING BOOK
from library, remove slip; put your name and date on it and place it in the box provided

WHEN RETURNING BOOK
return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.

A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT
Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best possible service from your library.